







DISSERTATIONES  
THEOLOGICAE  
ET  
PHILOLOGICAE.



D. SAM. FR. NATHAN. MORVS

THEOL. PROFESSOR IN ACAD. LIPS.



LIPSIAE

APVD CHRISTOPH. CAROL. KLAVBARTHVM

A. CIOIACCLXXXVII.



3333




16 196

  
Has dissertationes in academia Lipsiensi subinde scripsi, cum aut munera publica suscepi, aut iis fungens solemnia quaedam de more indixi. Eas cum recudi vellet is, qui typis impresserat, et diuenderat, denuo examinaui, et non nulla plane correxi, alia melius constitui,

quaedam addidi. Restat, vt earum lectio  
adferat nonnullis fructum: id quod vt  
vehementer opto, ita, si euenerit, lae-  
tabor:

Scripsi Lipsiae d. 12. Febr. Aø. 1787.

---



# INDEX DISSERTATIONUM.

---

## I.

- Defensio narrationum noui testamenti, quoad modum narrandi.* pag. 1

## II.

- De discrimine sensus et significationis in interpretando.* 61

## III.

- Ad locum Paulinum 2 Corinth. 10, 12—17.* 99

## III.

- Ad locum evangelii Lucae 2, 34.* 131

## V.

- Ad locum Paulinum Epist. ad Galatas 6, 8.* 150

## VI.

- Ad locum Paulinum 1 Corinth. 15, 35—55.* 154

## VII.

- De modo cogitandi de officiis, ad locum Paulinum Epist. ad Roman. cap. 14.* 218

VIII.

*De formandis notionibus uniuersis in theologia.*

pag. 239

VIII.

*De Christo, demandatum sibi duplex negotium  
exsequente cum virtute, et habetens Patri  
obediente.*

308

X.

*De Deo, Spiritu, ad popularem intelligentiam  
accommodate describendo.*

328

XI.

*De modo religionis sic tradendae, ut Christiani  
vim eius experiendo cognoscere queant.*

349

XII.

*De causis, quibus ntititur interpretatio allego-  
riarum.*

370

XIII.


*De nexu significationum eiusdem verbi.*

394

XIV.

*De Phoenissis Euripidis.*

409



## *Defensio narrationum Noui Testamenti quoad modum narrandi.*

Satis cautum putamus sic inscribenda disputatio-  
ne, ut fecimus, ne quis aut plus exspectet,  
quam propositum nobis fuit, aut indignetur, quod  
nos potissimum de hoc arguento scribere insti-  
tuerimus. Est hic locus de N. T. narrationibus,  
si quis omnia exsequi suscipiat, et amplissimus et  
difficillimus: sed, ceteris omissis, quae de fonti-  
bus, fide, dissensione, utilitate, temporibusque  
narrationum quaeri solent, unum narrandi modum  
diadicare, et, quo genere tractandi dicendique  
rerum aliquis scriptor usus sit, exponere, licuit  
fortasse ei, qui historiis hoc etiam consilio legen-  
dis aliquam impenderit operam. Cuius rei hunc  
fructum si me tulisse dicam, qui est christiano ho-  
mene dignissimus, ut non crederem tantum aliis,  
narrationes sacrorum librorum nullis omnino post-  
habendas esse, sed et meo quodam usu certius co-  
gnoscereim: nonne sensus mei proferendi libera-  
lissima venia dignus videar? Est nimurum vulgata  
nimis opinio, communis illa ceteris quoque disci-  
plinis, nulli magnopere rei, quae subinde arte in-  
genioque a simplicitate auocata est, pretium ali-  
quod relinquens, nisi tota ornamentis commen-  
data sit. Hinc oratorium facultatem ornatu, ver-  
borum in primis, aut orationis vehementia absolui  
volunt, carinensisque scribendi vim iis illico con-

cedunt, qui ad suavitatem satis lepidi, vel ad fin-  
gendum ingeniosi, vel ad audendum aciores sint:  
quasi nulla eloquentis viri subtilitas ad definien-  
dum, partiendum et argumentandum necessaria sit,  
nullae eius partes in docendo sint; aut nulla poe-  
tae seueritas in temperanda suavitate, iudicanda  
que fictione, ars nulla in compescenda ingenii  
abundantia, describenda carminis forma, liman-  
disque singulis locum habeat. Manauit idem er-  
ror ad historias, quas ut quisque maxime ornauit,  
ita maxime probandus dicitur, ut interdum fictae  
rei expositio, modo suauiter in animum influat,  
tenuioribus, quamvis ceteroqui fide dignis, mul-  
tum praeferatur. Iam si quis ita statuere confue-  
vit, mirum non est, ab eo sacras narrationes,  
quarum nullam eius modi suavitatem deprehende-  
re potuerit, aliis postponi. Est igitur omni modo  
defendendum, praeter fidem et veritatem, de  
quibus nunc non agitur, esse in modo narrandi  
necessarias virtutes, longe diuersas ab ornatu ad-  
venticio et ab artibus dicendi, quibus virtutibus  
laus bene scriptae historiae recte tribui possit. Pul-  
ciores fieri scienter ornando, concedimus; sed  
non, quidquid destituitur cultu, turpe vel male  
scriptum abiectumque dici debet. Si enim rei ex-  
positio consilio historiae scribendae accommodata,  
et ad naturam narrationis instituta fuerit: aut bona  
dicetur, aut norma bonitatis iudicandae non e na-  
tura historiae quaeretur: cuiusmodi norma an-  
certa sit et idonea, vehementer dubito. Cum ergo  
vicerimus, inesse in modo narrandi, quem scri-  
ptores N. T. usurparunt, necessarias ad narrandi  
consilium naturamque virtutes, easque omnes sim-  
plicita-

plicitate scribendi, sine ornatu, teneri posse, consecuti videbimus, quod voluimus, ut nemo cum contemnendum existinet. De quo si quis occurrat, ante quam haec disputatio scripta sit, nota haec omnia fuisse, is primum sciat, nos ei vehementer assentiri; tum largiatur nobis, ut cum multis notissimas res tractand⁹ nostras faciamus. Nos quidem, si non nulli eorum, qui in doctrinae commentatione versantur, admoniti a nobis didicerint, quid in tali disputatione aut animadverterendum, aut reprehensoribus respondendum sit, tantum, quantum patitur usus noster et ingenium, praestitisse nos putabimus.

*Opinio secus sentientium exponitur*

2. Prius tamen, quam res ipsa tractetur, dicendum est, quem cultum orationis intelligent, quibus natura, res ipsa et simplicitas non sufficit, et, quasi cultu destituta, videtur parum curanda. Nempe volunt, eam redundare translati⁹ aut exquisitis verbis ac formulis loquendi, figuris orationis a vulgari sermone ad venustiorem habitum inflecti, luminibus imaginum et similitudinum illustrari, sublimitate interdum efferrari, acutis sententiis distingui, grauitate verborum signari, descriptionibus locorum repleri, narrationem coagerie crebro concidi, solumque totius sententiae continuationem, notari assidue mores et ingenia hominum: si quid carminibus simile repererint, vel audacius translatum, vel noue dictum, vel ad concinnitatem aequale, id vero lucro apponunt. Quae omnia, cum loco et moderate usurpantur, afferunt profecto orationi ornatum; neque enim

in se reprehensionem incurront, aut a peritis scriptoribus neglecta sunt: tamen primo extrinsecus venerunt in historiam (§. 27), et, cum nihil necessitatis habeant, sine vitio abesse possunt; deinde frequentia facile fastidium mouent, cum et naturalem pulcritudinem obscurent, et artem prodant, aut adeo affectionem, quam ne usus quidem humanae vitae sine risu ferre solet.

### *Narrationum necessariae virtutes*

3. Narrationem, cuius necessarias virtutes quaerimus, dicunt orationem, quae res gestas cuentaque exponat (Cic. Inu. I. 19.). Ideo narrantis est, id, quod acciderit, aut hominum administratione factum sit, sic exponere, ut accidit, hoc est, cum *rei partes omnes*, tum eo *ordine*, quo coniunctae fuerunt, enumerare: (quae duo veritatem narrationi conciliant et cum natura similitudinem, poteruntque causae perspicuitatis in rebus dici, ad quam adeo, velut ad normam et consilium, utrumque horum referetur:) denique, quia verbis rem exponit, *oratione perspicua* opus est. Haec autem ita quidem sunt necessaria, ut nec simplicitas, nec ornatus, nec longitudo, nec breuitas, nec vox, nec scriptum, immutare aliquid possit, et quidquid ab his discessum sit, contra naturam rei peccatum videatur: tamen cum dicendo tractantur, ut iam eius, qui rem exponit, ipsius sit narratio, (fiunt enim res dicendo nostrae,) duplex modus intelligi potest, ut aut contentus sit scriptor oblatis ab ipsa rei natura virtutibus, aut, nactus occasionein, excitet se ad aliquem facultatis suae usum, ideoque de suo non nulla addat.

Ita

Ita vero accidisse, usus docuit. Alii enim, tribus illis necessariis virtutibus contenti, nihil ex ingenio suo vel ad commendationem rei, vel ad cultum orationis, adiecerunt, qui quin *simplicitate* narrandi usi sint, dubitari nullo pacto potest: alii, seruatis quidem necessariis virtutibus, tamen res et orationem insuper ornarunt\*). Cuius quidem accessionis inuentio et imitatio cum ingenio arbitrioque scriptorum debeatur, non a necessitate naturae aut officio eorum ducatur: efficitur, nihilo minus bonam et naturae consentaneam esse narrationem, etiam si nihil extrinsecus importatum habeat. Disputabimus ergo hoc ordine, ut necessarias narrationum virtutes, sigillatae explicatas, in primis simplicitatem, sacris libris vindicemus, tum de origine cultus pauca dicamus, denique sine eo bonam appellari posse historiam ostendamus.

*Omnis rei partes amplecti narratio debet*

4. Postulamus primum, ut omnes rei partes enumierentur: in quo vehementer cauendum est, ne partium vocabulo argutam magis, quam narrationis naturae consentaneam, notionem tribuamus. Qui enim totam rem gestam sic demum se intelligere putat, si omnes omnino partes, nulla plane minutula περισσαται praeterita, cognorit, is non animaduertit, se nullius facile rei integrum narrationem aut acceptum vincit, aut ipsum perscriptum. Habet quaeque res voces, verba, gestus, aliaque fortuita (accidentalia), quae si ignorentur, nihil narrationis veritati et perspicui-

tati detrahitur. Itaque in hac quidem disputatione integra res , omnibus partibus constans , plene narrata , dicitur , cum sine errore , clare , per antecedentia , comitantia , consequentia euodo , sic intelligitur , vt , quicumque legerit , totum aliquod factum agnoscat , cui nihil *necessarium* ad intelligendum desit , nec aliam rem , quam est , fuisse autem (Liu. 3, 43.): id quod narrationis consilium flagitat , ad fidem graue est , et necessarium partium expositione satis tenetur. Nam omis- sis iis , quae paulo ante praeteriri posse iudicauimus , non alia res , quam est , fuisse videbitur , nec quoad ordinem , nec quoad modum : nemo item integrum aliquod factum , a primordio de- currens ad finem , se legisse dubitabit : erit igitur vera et perspicua rei expositio \*). Neque vero necessarium ducimus , aut difficultatem rei sic nar- randae demonstrare , (peritum enim rerum esse oportet , qui animaduertere et narrare vult , quae ad rem integrum necessaria sunt , et Thucydi- des potius , aut Xenophon , aut Caesar haberet , quam Liuus , e libris narrans , non ex aspectu et vnu ) aut scriptoribus diligentiam et usum rerum commendare , vt accurate sciant , quid sit necessa- riū : quae quidem hoc loco sumi possunt. Age- mus tantum vniuersitate de officio scriptoris in modo narrandi : qui si hoc habuerit , vt omnes rei par- tes cognoscantur , bonus haud dubie dicendus est. Ad has autem partes si referri doceremus locum , tempus , homines , adiumenta , impedimenta , causas et innumera , quae facilius singulis tempo- ribus

\* ) Dion. Hal. T. 2. p. 142. 143.

ribus animaduertuntur, quam vniuersa disputatio-  
ne explicantur, foret primum ab hoc loco alienum, in quo partes cuiusque rei non disquirimus; tum nescio an temerarium in hoc nostro vitae ge-  
nere, quod, a publicis rebus remotum, non nisi  
legendo et muta quadam disciplina talia degu-  
stauit.

*Notatio breuior hominum*

5. Duo tamen quin admoneamus, facere  
non possumus. Non ubique sufficit, mera homi-  
num nomina resque ab iis peractas posuisse, si  
principes in omnium eius rei partium serie fuerint;  
sed ad expletionem totius rei breuior eorum no-  
tatio necessaria videtur, unde factum id, quod  
etiam maxime traditur, ita potissimum euenisce ap-  
pareat: quod quale sit, Liuii locus (21, 52. Cor-  
nelio nec causa — censebat) cum Polybio (3, 70.)  
comparatus, facile docere potest. Igitur vna cum  
nomine vel externa hominis conditio, vel aetas,  
vel ingenium, vel sensus aliquis memoratur, unde  
hoc euentum originem habuit, aut has vicissitudi-  
nes, aut hunc exitum. Quo genere notationum obseruato, ornata historia occasionem descriptio-  
num inferendarum nacta est, de quibus alio tem-  
pore dicetur. Sed in breuiore hoc notandorum  
hominum genere acri attentione et delectu opus  
est, ac nescio an maiore, quam in morum  
vniuersa et vberima expositione, ut nec ne-  
gligas ostendere, qua parte hominem nunc spe-  
ctare lectores debeant, et illam vnam monstres,  
quae nunc intuenda sit. Atque adeo, quamquam  
est uno loco integra hominis descriptio proposita,

quae vel semina futurae narrationis continet (Tacit. A. 4, 1.), vel absolutae iam narrationis summa in imagine viri, per quem res administrata est, veluti contuendam exhibit (Curt. 10, 5. Xenoph. Expedit. 1, 9.), tamen subinde nomini eius, de quo narratur, breuior notatio adhaerere debet, ut, qualis nunc fuerit, animo, sensu, fortunis, quantopere mutatus ab illo superiore, appareat: in quo saepe causa est memorabilis et inopinatae conuersationis. Quantum enim distent Latii et Graeciae florentes statores ab semet ipsis, extoribus patria, Coriolani, Alcibiadis, Themistoclis exempla quemuis docent. Quae res nisi prudenter delectuque constaret, non lapsi essent multi aut obliuione talium notationum in obscuritatis vitium, aut incogitantia et sedulitate addendi in redundantiae vituperationem.

*Transfertur haec virtus ad libros sacros*

6. In hoc igitur genere et sacri scriptores diligentes fuere. Significant diuitias iuuenis (Marc. 10, 22.), confidentiam militis (Matth. 8, 8.), spem mulieris (Matth. 9, 21.), arrogantiam Pharisei (Luc. 18, 11. cf. v. 9.), metum Nicodemi (Io. 3, 2.), voluntatem Iosephi (Io. 19, 38.), sollicitudinem Apostolorum (Io. 20, 19.), diuturnum coeci malum (Io. 9, 1.), aegroti destituti miseriam (Io. 5, 5. 7.), Stephani singularem dignitatem (Act. 6, 5.), Sauli ferociam (9, 1. 2.), probitatem Cornelii (10, 1. 2.), Demetrii vitae genus (19, 24.), omninoque Apostolorum Acta locis eiusmodi referta sunt. Tum vero, quae fuit singularum narrationum N. T. pars perquam necessaria, eum, cuius

ius facta et dicta memoriae proderentur, Messiam fuisse, eiusque rei demonstrandae causa omnia literis consignata esse, ea in narratione de partu Mariae ita clare expressa est, inque aliis locis ita assidue repetita, ut nec obliuisci possimus, et omnia, hac de re admoniti, multo melius utiliusque intelligamus. Ac saepe in vna tali re, veluti experiri quosdam Christi responfa, irretire eum, elicere aliquid ex ore eius voluisse, ipsum sensa hominum animaduertisse, tardis et segnibus aliquid saltem respondisse, in vna ergo tali re saepe causa est, cur hoc maxime responderit, sic potissimum egerit. Nec raro iatelloctum totius narrationis adiuuat, videre, quae res obvia Christo et oblata huic admonitioni, huic allegoriae, huic metaphorae occasionem praebuerit.

*Brevior locorum notatio*

7. Poteramus idem de locis iudicare, quos editos ad certam altitudinem, remotos exiguo spatio, impeditos paludibus, maunitos siluis, asperos collibus, occultos virgultis tum dicunt, cum eos nominare tantum, velut montes, vias, insidias, campos, littora, castra, rei totius cognoscendae causa non satis est. Licebat etiam diuinorum scriptorum exempla colligere, et situm oppidi fontisque originem a Ieanne (4, 5.) recte indicatam laudare, quibus non notatis colloquium integrum (v. 12.) non commode intelligi posset, nec expleta videretur narratio: aut mentionem novi sepulcri (Io. 19, 41.) ad auertendam calumniam narrationis de reditu Christi in vitam trahere: aut in altitudine montis (Matth. 4, 8.) narrationis fi-

dema reperire , et tantum ambitum monstratum Christo intelligere , quantum patitur montis altitudo : aut attendere , Galilaeam priimum omnium a Christo collustratam esse , non casu , sed consilio (Matth. 4, 13. sqq.) : aut Lucam (2, 4.) his adiungere : sed talia facillime agnoscuntur et iudicantur.

*Pars rei sunt sensus*

8. Veniemus ad alterum , vt doceamus ; ad partes rei necessario hominum in ipsa re sensus pertinere . Quo quidem vocabulo non illas molientium fraudes , non honesta ante rem gestam consilia , non apparandae rei voluntatem conatumque , non studia pacificandi , corruptiendi , latendi , omninoque nihil eorum , quae rem antecedunt , intelligimus , in quibus est magna pars civilis illius scientiae ; nec ea , quae paulo ante (§. 5) posuimus ; etsi insunt etiam sensus ; quoniam ibi hactenus de iis diximus , quoad notationem et characterem , causamque sic potissimum agendi , continent , non omnino intentis aliqua motione censentur : sed intentis omnes commotiones *inter agendum aut preferendum aut spectandum* indicamus , studia cum ipsa re mobilia , voluntates , libidinem , contentionem , fraudes , taciturnitatem , impetus , vehementiam , exspectationem , et alia , ex ipsa re enata ; uno verbo , affectionem animi in ipsa re . Atqui nunquam res vñquam sine hominum interventu gesta est ? Quid usquam accidit , quod non hominibus , aut iis faltem sentientibus , acciderit ? Qui si vlo aliquo modo interfueret , vtrum torpuisse tum illorum sensus dicemus , an animo moti fuisse

fuisse videbuntur? Quod si affecti fuerunt, est illa sensuum commemoratio, si quid video, pars euenti aut rei gestae, et, quem volumus omnibus partibus vti, ei legem sensuum una exprimendo-  
 rum dicere possumus. Ac ne quis hanc partem parum necessariam opinetur, cum, velut in spe-  
 ctando, non ad seriem partium ipsius rei perti-  
 neat, nosse, quo sensu spectatores sint affecti,  
 sciendum est, etiam si hoc omitti posse conceda-  
 mus, non ubique tamen licere, ideoque hac opi-  
 nione sententiam nostram non omnino euerti.  
 Deinde ne in illa quidem narratione, in qua omitti possint, negare ausim, sensus esse partes euenti:  
 nam si fuere spectatores, iisque non coeci aut tor-  
 pentes; in promtu est, eos aliquid sensisse, ac proinde spectatorum sensus inter agendum aequa,  
 ac ipsos spectatorum, partem rei recte dici. Quis ferret pictorem, qui spectatorum omnes auerso ca-  
 pite pingaret, aut in vultu nihil motuum exerce-  
 ret? Cur ergo os eorum aduertit, cur vultus si-  
 gnat? Nempe quia mente inouentur. Et quod penicillum et manus significat, id oratio tacebit?  
 Quicumque igitur rerum scriptor sensus negligit,  
 is profecto spectatorum oculos claudit, aut ora  
 auerit, creatque, vt cum Dionysio Halicarnasseo  
 (T. 2. p. 83. v. 14.) dicam, πρόσωπα ἀνθοποι-  
 τα et αὐχα. Sed plerumque illi sensus ma-  
 gnum fecere ad rem sic potissimum gerendam mo-  
 mentum, vt maior ira acceleraret exitum, vehe-  
 mentior metus successum tardaret, desperatio au-  
 dacissima consilia subiiceret, amor studium accen-  
 deret, gloriae spes laborantes confirmaret, misericordia impetum crudeleum compesceret, aetatis  
 aut

aut sexus verecundia libidinem sisteret, humilitas animi indigna ferret, magnitudo et liberalitas inopinata aggredieretur. Atque has rei partes esse, quis tandem neget, aut sibi, his praetermissis, omnes rei partes annumeratas putet? Nos quidem vidimus, quicunque historiam scripserint, eos moratam fecisse narrationem, et ne tenuissimum quidem commentariorum auctores ab hoc genere penitus abhorruisse. Ac fortasse in hac sensuum notatione aliquid ex eo genere, quod elegantissimus Hornius \*) in descriptione necessarium censet, possum est: negat enim sufficere, si quis ipsas partes iuxta se posuerit, quae est naturae coniunctio, satis illa ad oculos oblectandos et satiandos efficax; sed esse huius coniunctionis rationem et modum (relationem) simul indicandum, cum verba minus moueant, quam quae oculis solent offerri. Iam vero sensus, in quibus est tantum ad rem gerendam momentum, ut plurimum significant partium rei coniunctionem, et sicut spectator rei acquiescit motu, gestu, statu, progressu videndo, non sollicitus de sensibus agentium, sic lector illa omnia vincita sensibus esse (sunt enim illa omnia fere effecta sensuum) laetatur. Ceterum per se adparet, partes rerum gestarum eventuumque etiam loco et tempore copulatas esse, et hoc ipsum ab intelligenti scriptore exprimi oportere.

\*) Grundsaetze der Critik T. I. p. 41.

*Modus tractandorum sensuum*

9. Iam ut lectio, praesertim copiose scriptae historiae, utilitatem hujus rei confirmat, ita et modum accurate indicat, de quo agere in disputacione de modo narrandi non poenitet. Primum, quod paulo ante explicauimus, in omnibus rebus gestis sensus exprimantur: deinde paucis verbis intertexantur, ut admonitio de iis rei gestae parti similis sit, attentio scriptoris appareat, lectoribusque, facti cogitatione occupatis, succurratur: tertio non omnes omnino in eadem re, ut si qui leuiiores et velut obscuriores fuerint, aut quos quisque vel non admonitus diuinare possit, aut observare adeo nolit: denique interduni improviso, ut letores, inter ipsas res tamquam perculsi sensuum obseruatione, eo vehementius moueantur. Quod autem breuitatis rationem habendam diximus, id ipsi naturae propterea conueniens arbitramur, quoniam illae humanarum mentium commotiones rei gestae pars aduenticia et fortuita appellandae sunt, atque adeo aliae esse potuerunt; quibus si quis studiosius inhaereat, verendum profecto est, ne lectorum animos a rebus ipsis, et rerum serie auerteret, aut, si saepius fecerit, eos nimia similitudine fatiget. Sed et hac de causa vitiosa talis sedulitas iudicari debet, quod poetis, suum consilium, a narrantis consilio diuersum, sequentibus, sensuum vberior descriptio, vel partes tenuiter enumerans, vel copiam formularum adhibens, vel similitudine eos illustrans, recte conceditur: a quibus recedit adstricta veritati historia, minus illa libertatis ad copiam postulans in ea re, quam obiter exprimit, nihil autem fictionis

ctionis admittens, in cuius suspicionem copiosa sensuum explicatio, tota ex ingenio poetae profeta, facile incurrerit. Nam motos fuisse homines, verum est; illius motus omnes vicissitudines narrare, et pectorum singulos motus singulatim percensere, fictum et nimis liberum. Itaque volumus, intertextos sensus partibus rei gestae similes esse (Xen. Hellen. 4, 4, 19. Liu. 21, 35. *Fessis taedio — Italianam ostentat.* ibid. c. 36. *velut ad finem viae.*), aut ex ipsis adeo factis dictisque intelligi \*), vt e Demosthenea narratione (de cor. c. 53.) sine difficultate studium, metus, cupiditas et exspectatio Atheniensium apparet (cf. Herodian. 1, 6. Liu. 21, 42. Xen. Hellen. 5, 1, 3.). Qui exempla sensuum expressorum velit, ei suaserimus, quamcumque Liuianae historiae partem perlegere. Sexies notat gaudium plebis, e sacro monte in urbem, liberatam decemuirali dominatu, redeun- tis (3, 54.): erat enim incredibilis laetitiae mate- ria. Nullus homo, nulla rei pars, in loco de Appii iniuria (3, 44—54.), sine sensuum indicio memoratur, omniaque in illa decemuirorum hi- storia (3, 55 sqq.) nemo primum prodit, nemo aut quiescit, aut molitur aliquid, quin de sensibus eius diserte admoneatur. Inopinata est rerum con- versio e L. Corn. Maluginensis calliditate (3, 40. 41.): eius vero sensus sic notantur, vt, qui non miretur unius hominis callidam improbitatem, dormitare videatur. Legat mihi aliquis, quae de sertamine trigeminorum fratum elegantissimo con-

\*) Τὰ στόμεα ἔχειν γέγονα. Aristot. rhet. 3. p. 244. v. 52. T. 2. Opp. ed. Erasmi.

consignauit (i, 25.), et quaerat periodum, quae sit hac sensuum significatione vacua. Cf. 21, 16. Xen. Cyrop. i, 4, 18 -- 24. Vnum est in hoc toto genere in primis efficax, si sensus hominum in ea re, quae tractatur, comparentur cum sensibus, olim propter rem admodum notabilem concitatis, aut cum ritu aliquo coniunctis. In quo deligenda est res in historia ciuitatis, de qua scribitur, illustris, quae, cum sit ciuibus notissima, et perspicuitatem insignem assundet sensibus, qui nunc exprimuntur, et renouabit omnem dolorem, indignationem, laetitiam, spem, metum, cum illo illustriore facinore quondam coniunctum. Hoc modo saepius terror, cuius magnitudo in praesentia est declaranda, similis ei dicitur, qui patria capti cives percusserat. Interdum clamor et concursatio comparatur ei, qualis captarum vrbium esse solet. Tum, cum populi spectatoris plausum Livius (i, 25.) describit, eum cum theatraли plausu confert: *qualis ex insperato fauentium esse solet.* Sed hic quoque distincta est historia a carminibus, quae sensuum talem comparationem et illustrationem, quam historia in factis et memoria gestarum rerum quaerit, ab similitudine vniuersa, et plerumque a comparatione cum aliqua parte naturae, repetunt.

### *Sensus in libris sacris notantur*

10. Quodsi N. T. scriptores cum ceteris historiarum auctoribus in hac sensuum notatione contendamus: facile reperiemus, quare illi his nullo modo posthabendi sint. Dico igitur, saepe numero, ac breuiter quidem et idoneo loco, a sacris



sacris scriptoribus sensus expressos esse, Quoties amor, lenitas, misericordia, fortitudo, placabilitas et patientia ipsius Iesu Christi diserte significata est! Quoties obedientia erga Deum patrem, et orga doctrinam V. T. reuerentia! Quoties e sermonibus eius eadem intelliguntur! Quis dubitaret, etiam si nulli, nisi ante mortem a Christo habiti, a Joanne memoriae proditi essent, cum immenso inauditoque generis humani amore fuisse, negotiumque sibi demandatum constanter peragere vtiique voluisse. Quos quidem sensus Iesu Christi diligenter notare, eo magis necesse erat, cum in omni doctrina christiana exemplum Christi maximus esset, et esse deberet, ad imitandum momenti, et e talibus sensibus pateficeret interior animi conformatio, facta reddens digna virtutis laude. Sed ut ad hominum, in N. T. narrationibus obuioruin, sensus veniamus, oblatum est in tradenda historia Christi singulare illud commodum, quod, ut omnia norat, ita ad alte repositam in mente hominum indolem penetrare, abditosque silentio sensus promere, et inde dicendi materiam petere potuit: cum in humanis libris exspectare cogamus, donec simulatio pectoris agendo patefacta sit: ut interdum in narrationis decursu ignoremus, cur res aliqua hoc potissimum modo euenerit, cuius longe alium exitum species hominum ostenderat. Et disertus est in hanc rem locus, Io. 2, 25, et passim id ipsum significatur. Tum crebra sunt illa: διεγόγγυζον, ἐθαύμασαν, ἐταράχθησαν, διελογίζοντο εν ἑαυτοῖς, οὐκ ἡθελον ἐρωτᾶν, ἀλεγον πρὸς ἄλληλους, et alia, quae interdum, nisi ore proleta videntur, tacitae potius cogitationis fuerunt.

fuerunt. cf. Luc. 16, 3. 4. Atqui his simillima in humanis libris: *Tum fremere plebes: admurmurare omnes: exanimes vicem unius.* Etiam animaduersione eorum, quae interdum paucis prolati dicuntur, non obscuram sensuum intelligentiorum occasionem suppeditat, ut in libris sacris aequa ac aliis a sensibus ad sermones, a sermonibus ad sensus cogitando progredi liceat, nec usquam obliuiscamur, interuentu hominum rem accidisse. Nam quod Actor. 22, 10. prostratus Paulus, *Quid iubes?* interrogat, id apertam facit significationem animi, obedire incipientis. Quod alibi Luc. 11, 27. admiratione Christi incensa mulier, *O felicem eam, quae te peperit!* exclamat, quanti esse videtur ad eius mentem intelligendam, si ex ore mulieris prorupisse cogitemus, quae non ipsam sapientiam collaudat, non utilitatem auditoribus gratulatur; sed mulier mulierem, tanti filii partu beatam, praedicat, quasi nulli alii huiusmodi filii spes, unica mulieris beatitas, relicta sit. E quo etiam fieri potuisse cognoscitur, quod alioqui, si non incredibile, at inexpectatum est, illam unam in tanta multitudine exclamare ausam esse. Profecto, si hoc in humano libro reperirent, naturae simile appellarent, venustum, elegans: cur non in sacro aequa admirabile censemus? Cf. Io. 11, 21. 32. Matth. 27, 63. 64. Act. 7, 56. 60. 26, 24. 29. Ipsa tandem facta, modo quis attenderit, saepius sensuum indicia sunt, nec obscurum est, e clamoribus et sedulitate comitantis aut obuiam venientis multitudinis (Matth. 21, 8. 9.), quid illa iudica-

verit de Iesu, intelligere. Cf. Act. 12, 22.  
19, 34 \*).

*Omnis rei partes in singularibus N. T. narrationibus*

II. Ad extremum quaeri poterat, an sacri etiam scriptores, enumerandis rerum singularium cunctis partibus, integrum rem ubique tradidissent eo sensu, quem supra (§. 4) definieram. Sed cum narrationes singulas persequi in tam breui disputatione non liceat, quo tamen neglecto, iudicari accurate non potest, omittere exempla cogimur. Ac fortasse ne opus quidem est, modum narrationum singularium N. T. hoc consilio examinare, cum partim suo sensu quisque experiri debeat, an, perfecta narratione, totam rem tenere se arbitretur; partim facile inter legendum cognoscatur, homines, occasiones, apparatum, impedimenta, exitus, voces, sensus, summam Christi potentiam eiusdemque ταπείνωσιν, unitam vim Dei Patris, precibus interdum disertis exoratam, cetera-

que

\*) Ex huiusmodi factorum dictorumque notacione, ut e signo animi, iudicarunt de moribus et indele hominum viri docti, qui ex aliquo tempore hunc locum de industria tractarunt, Niemeyerus in Characteristice Scripturae sacrae, pluribus voluminibus comprehensa, et Heßus in historia vitae I. C. et historia scriptisque apostolorum I. C. Hos viros sequi sunt plures, edendis spicilegiis: in quo genere tamen imitoribus illorum virorum cauendum videatur, ne hominum, quorum semel mentio fit, et unum alterumque factum aut dictum commemoratur, mores ipsos indolemque describant, cuius indolis perpetuitas e singulis exemplis iudicari nequit.

que totius rei explendae causa comprehensa esse. Verum si quis hoc vbique factum neget, suamque opinionem comparandis euangeliorum narratio-nibus firinet, quarum aliae aliis vberiores sunt, non nullae vix intelligi satis possunt, nisi alterum euangelium conferatur \*), quid ei tandem respon-dendum videtur? Primum dicemus, quod inter-dum factum sit, id non omnino valere. Deinde breuitas narrationis, in summam contractae, non impedit, quo minus, *quid omnino euenerit*, intel-ligatur. Nam constat comparantibus cum Diony-sio Halicarnasseo aut Polybio Liuum; vel Herodotum, Thucydidem et Xenophontem cum Dio-doro Siculo; ea quae breuius narravit alter, vbe-riore alterius expositione illustrata quidem reperiri et aucta; e breuiore tamen non minus, quam ex vberiore, disci, *quid omnino euenerit*. (Liu. 2, 10. cf. Dion. Hal. T. I. p. 295.) Nonne ergo sine rei et historiae ipsius detimento alias alio breuior esse possit, modo, dum breuior narratio legitur, totum aliquod factum intelligatur? Quod nihilo minus fiet, et si vox quaedam, nomen, aut pars non necessaria omissa fuerit. (Matth. 9, 20 — 23. cf. Luc. 8, 43 — 49.) Etenim fere tuin desidera-mus aliquid in breuiore narratione, cum vberio-

B 2

rem

\*) Mirum est, eum, qui adfectati regni reus fit (Luc. 23, 2.), ipsum confessum (v. 3), tamen inson-tem pronunciari. Sed comparato loco Ioanneo (18, 33) intelligitur, quid is, qui confitetur, confessus sit, quid de suo regno dixerit, quomodo se ab ad-fectati regni humani crimine purgarit. Ergo sic in-telligitur, cur, haec et hoc sensu confessus, cense-a-tur insons.

rem alium locum de eadem re legimus, quamquam cognoscendo breuiore ab initio acquieueramus, et facti ipsius veram notitiam tenebamus, (Luc. 22, 40. cf. Matth. 26, 36. et Marc. 14, 32. aut Marc. 15, 12. cf. Luc. 24, 13.). Donec ergo illa breuitas narrandi per se nullum detrimentum veritati et perspicuitati attulerit, ac ne animaduera quidein sit, priusquam plura ex eodem genere sint collata, (quod de sacris narrationibus saepe valet,) non video, quid quarundam partium omissione per se vituperetur. Sed non omnes rei partes enumerantur. Audio. Tamen nihil dani ni inde exortum est, nisi totum velis subtiliter dicere, et eius partes in digitis enumerare: tum ea etiam narratio integra est et tota, quae rem integrum sic exponit, ut sine errore possit intelligi, quis, ut hoc vtar, et quo morbo sit liberatus, quis quid quaesierit, quid cui responsum sit; etiamsi scriptor non minutissimas quasque partes persequatur (§. 4). Rursus etsi nemo sacrorum scriptorum res Christi consignare aggressus est, nisi ut eas cum fide exponeret: tamen in hoc communi consilio alius aliam legem sibi dixisse videtur, et Matthaeus cum Luca quaedam pluribus executus esse, quam Marcus; Ioannes item addidisse superioribus non nulla, in primis sermones Christi. Accedit, nisi omnem historiam veterem spernere velimus, Matthaeum Palaestinensibus scripsisse, Lucam, ut ipse dixit, amico, Ioannem Asianis, Marcum suosu monituque Petri. Qui scriptores si hunc aut illum modum narrandi suo consilio accommodatiorem arbitrati sunt, non possunt illico obliuionis, negligentiae, aut vituperandae brevitatis

vitatis argui: praesertim cum scirent, exstare plures libros, vnde res eadem peti possent et vberius cognosci (Luc. 1, 1.); neque, vt mihi videtur, illatos aliorum libros repudiare et inutiles reddere per suos commentarios vellent, sed per suos hos, suamque *autoψιαν*, certae fidei consulere. Ac si vel maxime laboretur in vnius scriptoris breuitate; adsunt tamen ceteri, conferendi illi potius cum breuiore loco, quam breuior per se vituperandus, qui suum secutus est consilium. Nec illud negligendum, multos illorum euangeliorum, Matthaei praesertim, lectores ipsos audiuisse Christum, eiusque res spectasse: vt possent multa, quippe nota, breuissime narrari. Nec dubitem, apostolos eorumque collegas multa coram narrasse, quae librorum, ab ipsis scriptorum, breuitatem compensarent. Cum autem tot causae diuersitatis huius, quae breuitatis alium, alium vbertatis studiosum fuisse ostendit, reperiri possint: discendum est ab interpretibus veterum scriptorum, similibus Scaligeri, Casauboni, I. Fr. Gronouii, Wesselungii, Perizonii, qua modestia et cautione animaduerti hae causae potius, quam scriptores ipsi exagitari debeant. Ergo vbi inter legendum ita haeserimus, vt dubitatio comparatione vnius cum altero tolli plane nequeat, hoc est, vt plane non adpareat, quid euenerit, plane nullum factum agnoscere possit, plane nihil expediri, sed narratio, tamquam desperata, deponi debeat: ibi concedetur, omissa re necessaria non obscuram, sed vitiosam factam esse narrationem. Atqui difficile fuerit, tale quid in sacris libris reperiire.

*Ordine singulares res exponendae sunt*

12. Alteram fecimus narrationis necessariam virtutem, vt ordine eo, quo res gestae sunt, eorum partes continentur. Ac illas quidem partes, quae habent vicissitudines, mutuo se excipiunt, agendoque constant, et vel in administratione hominum insunt, vel spectantibus aliis deinceps eveniunt, vt cum pugna, iter, sermo, conuentus, sollemnia dierum describantur, illas ergo sic ordine iungi, vt, quae priora fuerint, priore loco, cetera suo quaque loco deinceps ponantur, quis admoneri aut explicari sibi sustineat? Vnus est ordo naturae ipsius et gestae rei, vnum certum narrantis iter, persequens rei vestigia: neque arbitrium scriptoris ullum modum narrandi in his constituere potest, sed mera obseruatio ordinis naturalis postulatur: cui quo est adstrictior narratio, eo magis ab ordine laudari meretur. Ceterae autem partes habent aliquam ordinis cautionem. Nam homines, qui rem gesserunt, et locus, vbi gesta est, adde et tempus et occasionem, si non opportune indicentur, affundenda aliqua obscuritate, aut molestia saltem, inturbare ordinem facillime possunt. Quod vitium effugiemus, his rei partibus suo loco notandis, hoc est, tum, cum ad reliquorum intellectum necessariae sunt, quae quidem necessitas perspicuitate intelligendi censetur, hoc est, animaduersione, an cetera, quae sequuntur, queant nequeantue intelligi, nisi nunc vtique mentio fiat loci, temporis, occasionis: quam perspicuitatem scriptores opportuna aut praepostera talium mentione adiuuare aut impedi-  
re possunt. Si enim in ipso ingressu in rem gestam

stiam quaerere cogamur, quis sit, de quo agatur, (quae dubitatio nobis quidem, Pausaniam legentibus, interdum oborta est,) an iuuuerit hunc rei progressum opportunitas loci temporisque, post illam vero haesitationem tandem in media narratione edocti ad initium eius reuertamur, vt, clare demum omnibus cognitis, acquiescere possumus, nonne ordo neglectus sit? Similiter cum rituum descriptio, vt disciplinae Persicae apud Xenophonem (Cyrop. 1, 2.), ac caerimoniarum Romanarum apud Dionysium Halicarnasseum, Herodianum, Zosimum et alios, vel Gallicarum et Germanicarum in Caesaris commentariis, aut cum disputatio de loci situ, non quoad opportunitatem ad proelia, itinera, castra, sed propter imperia, pacta, fines, ad totius narrationis perspicuitatem prodest, vnicuique sponte occurrere debet, his sero descriptis, priora non posse non obscura esse. Sed haec sunt eius potius historiae, quam iufra (§. 27) describere coepimus.

*Singularium narrationum ordo in libris sacris*

I 3. Sacrarum narrationum virtutibus et haec recte accensebitur. In quo etsi nec omnia hic examinare, nec in magna similitudine locorum diligere quaedam praecipua exempla possumus: tamen iure hoc defendimus, non partes tantum rei, quae seriem eius deinceps continerent, ordine legitimo continuatas esse; sed et loca, homines, occasiones, tempora ibi indicata, vbi ad legem perspicue narrandi fuit necessarium. Si quis hoc consilio priuum et secundum Lucae caput, ultimum Ioannis, narrationem de Lazaro, a mor-

tuis reuocato, de passione Christi, de colloquio eius cum iis, qui Emmauntem petebant, res quinquagesimi a paschate diei, locum de naufragio Pauli et Cornelii accessione ad religionem christianam perlegerit: ordinis naturalis laudem his locis deberi vel hinc cognoscet, quod nusquam relicta in prioribus obscuritas eius generis, quae neglecto ordine oritur, in media demum narratione sublata est, sed omnia ipso progressu clara sunt. Illa vero patica, quae anticipatione ad alienum locum relata interdum leguntur (Luc. 3, 19. 20.), aut alia, quae aliquanto post, quam acta fuerant, exposita sunt, (id quod comparantibus Matthaeum et Lucam in oculos incurrit,) illa ergo vel similitudine humanorum librorum excusare poteramus: sed quod etiam ita inserta sunt, ut facili negotio cognoscas, ea aut maturius dici seriusue, aut consilio quodam aut commoda occasione hic poni, nulla magnopere molestia lectori attento creabitur: negligens enim nec ordine*q̄ui*, nec perturbationem eius sentit. Qui autem meminerit, nos de modo narrandi singulas res exponere, is primum non trahet ad hanc disputationem totius vitae Christi, per annos plures actae, enarrationem, quae factorum multorum serie constat, ideoque, ut integrum opus historicum, ordinem ad seriem annorum ac dierum adstrictum poscit, quo quidem in ordine non modus narrandi singulas res spectatur. Si quis in decursu totius operis annorum numerandorum morem, in sua quenque ciuitate constitutum, (vt per Olympiades, archontum aut consulium nomina, mensium a nouo inde anno seriem,) deserit et immutat, suoque arbitratu-

inter.

interualla temporis definit, vt Thucydides, cui ab initio veris auspicari annos commodius visum est, quam archontum nominibus distinguere (p. 361.); vt Ioannes, qui per paschatum terminos historiam deduxit; aut Matthaeus, qui, prout Christus Galilaeam, Peraeam, Iudeamque peragruerat, ita narrando secutus est; vt Lucas, qui vitam Christi non per tempora, sed per species scripsit \*): referetur quidem hic arbitrarius ordo ad modum historiae scribendae; sed cum illo ordine narrandi singula, de quo mihi hoc loco sermo est, nihil commune habet. Neque vero de comparatione quatuor euangeliorum, qua harmoniam, quae dici solet, efficere tentant, agimus hoc loco, in quo nihil aliud propositum nobis est defendere, quam ordinem in singulis narrationibus.

### *Perspicuitas orationis*

14. Rem verbis dilucide exprimere, (hoc enim tertium proposuimus §. 3), adeo necessarium  
B 5 est

\*) Vfus sum Suetonii verbis, qui vitae Augusti partes singulatim, non per tempora, sed per species, exsequi se velle professus est (c. 12): hoc est, narrare de bellis, honoribus, legislatione, disciplina, vita domestica. Similiter Lucas vitae Christi partes exsecutus est non per tempora, sed per species, vt narraret de natalibus eius et pueritia, de rebus eius in Galilaea (a cap. 4. vsque ad 9, 51), de ultimo itinere Hierosolymitano (a cap. 9, 51 ad cap. 20), de extremis octo diebus, ad Hierosolyma transactis (cap. 20 et 21), de morte atque reditu in vitam. Atque hic modus narrandi per species dici hodie solet rerum (realis) ordo.

est per narrationis naturam, vt, perspicuitate neglecta, ne diei quidem mereatur rei expositio. Accusant Thucydidis, Polybii, Liuui, Sallustii, Taciti in multis locis obscuritatem; tum e verbis singulis, tum ex habitu orationis; laudant vbiique Xenophontem, Herodotum, Caesarem, alium compositione orationis apertum, alium verborum vsu: vituperant mediae aetatis inscitiam scribendi; probant recentiorum temporum intelligentiam: atque ita constanter hoc iudicant, vt mirum fuerit, si tam multi magno cum consensu errent. Sed non minus inuenustum est, huius rei necessitatem demonstrare, quam alienum a consilio meo, perspicuitatis naturam operose explicare: dabunt fortasse periti, pura et propria verba cum habitu totius orationis, secundum naturam conformato, perspicuitatis causas esse \*). Omnino vero hanc partem disputationis, nisi eius tractandae necessitatem aliquam res et ordo mihi imposuisset, libenter omissem; adeo ab inuito scripta est. Quid enim, nisi centies dicta, ac fortasse sine vlla orationis commendatione, repetere possum, ita autem breuiter repetere, vt ne spes quidem rei utcumque exponendae locum habeat? Sed nonne statim ab initio labascet defensio narrationum N.T. vindicans iis perspicuitatem, e *puritate* dictionis ortam? Eas enim narrationes, quas hic tractamus, vbiique pure scriptas dicere, fuerit hodie temerarium, et magnam arguat puritatis ignoracionem. Igitur, inquis, si non sunt pure scripti, non erunt perspicui hi libri sacri. Non erunt repetentibus ea,

\*) Ernestii init. rhet. 310. sqq.

ea, quae graeca non sunt, e scriptoribus et vsu  
graeco: erunt vero, simul ac concesserimus, ita  
misum esse dicendi genus e graeca et hebraica lo-  
quendi consuetudine, vt, si quis vtriusque linguae  
vsum cognitum habeat, ac praesertim graeca, ex  
hebraico fonte ducta, cum hebraicis permutare,  
et vt primum graeca legerit, in iis hebraica, qui-  
bus respondent, agnoscere didicerit, vt ergo talis  
lector singula ad vtriusque linguae indolem  
accommode expessa reperiat, hoc est, intel-  
ligat. Nam cum hebraica hebraice doctis, grae-  
corum autem peritis graeca, per se singula, per-  
spicua esse debeant: efficitur, vtriusque linguae  
guaro vtraque ad intelligendum exposita fore,  
omnemque in hoc genere obscuritatem ex ignora-  
tione linguae oriri \*): qua cognita et illud cognos-  
citur, alia hebraeae, alia graecae linguae indoli  
congrua esse, alia ex hebraei sermonis indole, alia  
e graecae linguae consuetudine pura esse; hacte-  
nus autem, quod seruata est indoles linguae, pu-  
ritas perspicuitatem continet. Ipsi illi, qui de hu-  
ius rei difficultate scripsierunt, in quibus libenter  
nomino Ernestium \*\*), quoniam et huius rei co-  
gnitionem eius disciplinae debeo, illi, inquam,  
cum hoc modo non praecidere spe in intelligendi  
omnem, cautos tamen et verecundos interpretes  
reddere vellent, superandae difficultatis et alia ad-  
minicula commendarunt, et vero etiam vtriusque  
linguae cognitionem, cum qualis in se esset, tum  
quo

\* ) Ernestii Instit. Interpr. N. T. §. 15. p. 43.

\*\*) In opusculis philologicis et criticis p. 198.

quo modo graeca ex hebraicis libris ab Alexandrinis expressa essent, genusque graece loquendi prorsus singulare institutum fuisset. Quo cum genere loquendi sic quoque familiaritatem contrahent sacrum literarum studiosi, si libros V. T. apocryphos adsidue legerint, in quibus, praesertim ubi de moribus praecipitur, exemplum est dictionis hebraeo-graece, ab illa Alexandrinae versionis anxietate ερμηνευτική inflexae paululum in formam παραγεντικήν et δογματικήν liberiorem, et aetati apostolorum propiorem. Nihilo minus occurunt narrationes, in quibus explicandis fere sufficit aliqua graecae linguae notitia, (Io. 2, 1-10. 4, 1-20. Luc. 7, 41-48. 15, 11-32.) quas quidem sine multa hebraismi comparatione perspicuas esse graee intelligenti palam est. Nec proprietatis laude caret sacrorum scriptorum oratio, quamquam et ipsa fere ex indole hebraicae linguae cognoscitur. Dicimus, quia nec hic congerere exempla lubet, de uno genere verborum, quae, cuin ab Hebreis adstricta essent doctrinae religionis, et ab Alexandrinis graeca facta, (vt πίστις, νόμος, ἐπιστρέΦειν, ἀγιωσύνη, σὰρξ, πνεῦμα, μαρτυρῶν, αὐτοῦτοι, προσκυνεῖν Θεὸν, λατρεύειν Θεῷ, ταπεινώσθαι ἐνώπιον τῷ Θεῷ.) etiam in altero testamento diligentissime seruata sunt, vt commode usum loquendi de religione, sacris libris Iudaeisque proprium, intelligere possimus. Atque etiam cum de aliis rebus sermo est, vt vasis, sabbato, ritibus, partibus templi et aedificiorum, iter Hierosolyma facientibus aut illinc redeuntibus, ponuntur his rebus propria vocabula, quibuscum alia, etsi adsunt, permutare foret illicitum in hac quidem hebraeo-

graeca

graeca dictione; sed a Philone et Iosepho, propter studium purae orationis graecae, necessario immutari debuerunt, et sunt plerumque immutata. Similiter, quae sunt ad graecae consuetudinis legem in N. T. libris narrata, ut in Actis nauigatio Pauli et naufragium, ea propriis in hac re nominibus significantur, quae facile huc referri potuisserent, nisi in legendō ab unoquoque graecarum literarum perito obseruari possent, velut, ἐπιβαίνειν, ἀνάγεσθαι, κατάγεσθαι, ἐμβιβάζειν, πλοῦς ἐπισφαλῆς, παραχειμάζειν, αἴρειν et alia, et si non omnia fortasse. De *compositionis perspicuitate* quamquam dubitarunt, qui anacoluthis, hyperbatis et aliis id genus offensi erant, poterant tamen et vocibus doctorum hominum, et veterum librorum lectione edoceri, haec scriptoribus omnibus communia esse, et viius alteriusque diligentiore interpretatione facilem reddi totius generis obseruationem, nec, si vel maxime ab aliquo frequentata fuerint, librum integrum obscurari. Nostrae causæ in primis prodest, quod narrationes sacrae his difficultatibus multo parcior impeditæ sunt, quam ceteri apostolorum libri, in quibus placita et præcepta religionis consulto pertractantur. Ipsa orationis conformatio simplicitatis explicandæ causa infra (§. 26) demonstrata est, unde perspicuitas necessario apparebit.

### *Superioris disputationis summa*

15. Secundum haec haud dubie concludere licebit, narrationes N. T. bonas probandasque esse, in quas narrationis integra notio cadit, et quibus virtutes eae, quas supra (§. 3) suspensas esse e notione

notione naturae narrationis docuimus, omnino conueniunt. Quod si vnaquaeque res, quae necessarias ad naturam suam partes omnes complectitur, quae naturae suae consilioque respondet, quae ad id, cuius causa inuenta est, plane prodest, aequae nominari bona meretur, ac prudens et peritus eius opifex: idem iudicandum erit de narrationibus sacris, quae nulla necessariorum virtutum carent, in rei gestae expositione, memores velut consilii sui, ubique versantur, consilioque narrantium et legentium omni ex parte satisfaciunt.

### *Simplicitatis notio*

16. Quaecumque autem narratio praeter necessarias virtutes nihil tradit, monet, explicat, quod publice aut priuatim ad vitae humanae partes varias ac tempora plura imitando, cauendo agendoque proficit, aut ad lectorum delectationem, eiusque, qui scripsit, facultatem demonstrandam valeat, sed ex altera parte rebus gestis euentisque contenta est, ex altera unum hoc propositum habet, ut verbis idoneis plane et perspicue rem exhibeat lectoribus cogitandam, ea, nisi vehementer erramus, in uniuersum simplex dicenda est. Sed quoniam huic virtuti, quae ubique in N. T. narrationibus dominatur, non semper, praesertim a fastidiosis iudicibus, iustum premium statuitur, faciendum putauimus, ut eleuandae criminacionis causa naturam eius diligentius examinaremus. Simplicitas ergo, qualis in vita operibusque humanis occurrit, quam quidem hic describimus, omnino in partium naturalium similitudine posita videtur, ideoque

ideoque aliquid μονοειδὲς esse \*). Hanc, vt ceteras res, quae arte et imitatione continentur, natura duce sensibus externis acceptam, mens humana ad vitam transtulit: natura eniū innumera corpora formauit, quorum partes necessariae singulae, vt folii vel corticis, essent similes; saltem, si ad varietatem, velut figuræ foliorum auratique marginis deflexit, eam superaddidit simplicitati. Itaque cum natura sensibus externis non nisi res compositas obiiciat, simplicitatem in his deprehendi certum est, nec ei multitudinem partium, sed diversitatem contrariam ponit. Quam diu ergo similibus partibus nihil diuersi additum est, agnoscitur hac velut nota simplicitas: additamentum vnum quodlibet, non sublata quidein simplicitate, tam initium est varietatis; ad quam si accesserit scientia diligentius efficiendi, ornatus et ars oritur; si nimia eius frequentatio, obscurans adeo similitudinem, transitus fit ad affectationem \*\*). Et  
ad

\* ) Etiam in metaphysicis veterum simplex dictum est, quod esset vnum, vnius modi, non multiforme, siue quod partibus eiusdem generis constaret. Cic. Acad. I, 7. 4, 39.

\*\*) Hemius (Grundsaetze der Critik. T. I. p. 302.) simplicitatem opponit mixtioni rerum, coniunctim animo oblatarum et velut implicitarum, effusisque ornamentis, cum humanae mentis attentio, multis in eam vna irrumptibus, turbetur, eaque fere praeteruoleat. Eruditissimus Winckelmannus cum in Historia Artium (p. 150.) posuisset: *exprimere et proferre magnam rem simpliciter*: hoc sic explicare videtur, vt rei ambitum hoc modo emitiri nos adsperetu vno, vna notione comprehendere dicat. Atqui hoc in magna partium varietate locum habere non potest.

ad hanc vacuitatem ab additamentis significandam partes in definitione *naturales* nominauimus, quas et *necessarias* appellare licebat, eamque ob causam verbum hoc adiecimus, quod et accendentium varietatis artisque causa partium similitudo intelligi potest, aliena tamen ab hoc loco. Ars quidem, quae omnino censetur accurate imitandae naturae scientia, cum simplicitatem aequae ac varietatem exprimat, per se non tollit simplicitatem, sed imitatur, (nil vero eam assequi exiguae artis est) interdumque ei adiungit varietatem ornatumque. Quae si cui argute nimis disputata videantur, is, modo ne falsa appelle, simplicitatem in vacuite ab omni ornatu per nos ponere poterit. Sed maluimus ipsam rem videre, non contrarium ei vitium aut virtutem facere iudicandi notam: nam si illam definitionem probauerimus, tamen quaeretur, quidnam, detracto orationi omni cultu, reliquum sit: quod quidem natura duce reperiri posse, non desperandum fuit: reliqua enim est, detracto ornatu, ipsa illa naturalium partium similitudo.

### *Simplicitas orationis in rebus*

17. Tribuetur itaque orationi simplicitas, cum meras naturales partes habet. Sed quoniam oratio rebus verbisque constat, quae vtraque accessio-  
nibus

poteſt. Cf. Eiusdem liber de Allegoria artium p. 30. Die Einfalt der Allegorie besteht in Entwerfung eines Bildes, welches mit so wenig Zeichen, als möglich ist, die zu bedeutende Sache ausdrückt.  
— Sie ist in Allegorien, wie Gold ohne Zusatz.

nibus immutari possunt, non poterit de naturalibus partibus, et vacuitate ab accessionibus dici, priusquam rerum verborumque simplicitas fuerit explicata. Iam cuin omnino simplicitas similes naturales partes postulet, ideoque diiudicari nequeat, nisi ad naturam cuiusque rei referatur: in promptu est, scribentibus nobis de simplicitate in rebus, naturam rerum spectandam esse, si partes naturales deprehendere veliunus. Haec autem natura rei sic intelligitur, si, quot sint cuiusque rei necessariae partes, duce experientia examinemus, iisque colligendis totam rem coagmenteinus: ita enim efficietur hoc, quod quaerimus, et aduenticia facile discernentur. Siue ergo facti, siue vocis, siue alius rei naturam eo consilio inquiramus, ut simplicitatem orationis, rem illam exprimentis, cognoscamus: in summam coniungentur singulorum partes necessariae, quas solas si oratio deinceps posuit, ut legendo res sine illa accessione appareat, de simplicitate eius dubitari non poterit. Sed quoniam oratio partes rei, quae, cum in ipsa vita versamur, in sensus incident, notionibus et sententiis (*συνοίασις*) significat: necessario diuersa est eius simplicitas ab illa ratione, qua ceterae artes in imitatione simplicitatis vntuntur. Illae enim simplicem rem aequem ac natura sensibus tantum obiiciunt; oratio menti admouet beneficio notionum sententiarumque. Quapropter oratio, quae meras notiones et sententias usurpat, quarum summa nihil nisi imaginem expositae rei, sine additamento, animo imprimit, hoc est, quae meras rei naturales partes sine illa varietatis accessione continet, in rebus simplex est.

*Simplicitas verborum in oratione*

18. Ergo et verborum simplicitas dici poterit partium orationis naturalium similitudo, quae duas formas habet, alteram verborum singulorum, alteram iunctorum. Sed ante omnia quaerendum videtur, quid in his naturale sit. In quo si cogitemus, naturalibus hoc loco variata studio et arbitraria cultu opponi, varietatem autem linguarum in discessione ab vsu primo et consuetudine ultima positam esse: efficitur, proprie primam loquentium consuetudinem naturales verborum significatus aequa ac orationis naturalem structuram continere; varietatem contra iis, qui aliquid a primo vsu immutare coeperint, deberi. Nolumus enim illam, inutilem fortasse, saltem hodie prouersus impeditam disputationem tangere, quae, cum notiones verbis signatae sint, notionum et verborum naturalem coniunctionem, siue sonorum vi expressam rerum indolem, indagare conatur, et, quamquam plerumque ne in vernacula quidem aliquid certo constitui potest, tamen longissimo vetustatis interuallo remota vocabula peregrinaruna linguarum e natura rei ipsius repetere audet. Nobis quidem, quidquid in oratione varietate studium ornatumque prodit, quo non sponte utuntur indocti et inculti, quo hi ipsi sunt ducendi, quo ducti vix perueniunt, id ergo nobis adiuuentum videtur, ideoque illud, quocum mixta est haec varietas, censemus primum, naturale, nondum ornatum aut studio tractatum. Cum autem, ut iam de significationibus agamus, nulla lingua primi illius usus adeo ubique tenax fuerit, ut plane nihil mutaretur, (praeterquam in his fere, quae uno

vno tantum modo ad reū, quam signant, referruntur, nēc ingenio similitudinis aliquam animadversionem relinquunt, aut cum alia re coniunctionem offerunt, velut, *et, qui,* similiaque:) ad agnoscendum naturalem significatuni in scribendo dicendoque sufficit, vsu vulgari eum hac aetate, qua scribimus dicimusque, notioni alligatum esse. Quod quidem et in translata haētenus cadit, quo ad primorum penitus amissorum locum occuparunt, vel vsu crebriore sic inualuerunt, vt sine arte, ornatu et intelligendi difficultate cum primis recte permutari possent, et in communi vita ab indoctis etiam, vt prima et propria, frequentarentur. Atque vt vnius rei vocabula plura subinde reperta sunt, non illa quidem ornata et exquisita, sed notione similia, opinione usurpatum ac delectu dissimilia, ita, qui ex iis visitiora praeferit, nihil magnopere curans elegantiam in feligendo et subtilitatem in distinguendo, simplicior illo altero censendus est, cui serius inuenta, vel substituta aliis, varietatis causa magis placuisse videntur. Quare, qui signa, ei rei, quam significant, arbitratu hominum aut priuum adstricta, aut vsu quotidiano trita, hoc est, verba seu partes orationis naturales, vbique ponit, is, cum perpetuo sibi invicem similibus signis naturalibus vtatur, simplicitatem verborum tenet: qui prima, trita, et certa iam vocabula et signa rei a re, quam indicant, studiosius transfert ad similem, is simplicitati adiungit varietatem, induitque orationi in partibus non nullis diuersum a ceteris habitum: qui delectu saepe vtitur, is transgreditur ad cultum, imitatur consuetudinem venustiorem, ac deserit naturae

ipsius vulgarisque consuetudinis initia et tenuitatem. Quidquid autem de usu communi scripsimus, id quis non videt sic intelligendum, ut plebeiae fordes remoueantur? Quae ut in se non ad popularitatem pertinent, ita multo magis ab eo, qui inter scribendum et cogitandi et mutandi et cauendi moram nanciscitur, vitari debent. Sed cum non singulorum tantum verborum, verum coniunctio etiam plurium verborum ad efficiendam sententiam, siue una propositione ( $\Phi\acute{e}\alpha\sigma\epsilon\iota$ ) comprehensam, siue pluribus, ut  $\epsilon\eta\sigma\iota\varsigma$  fiat, naturale quid habeat \*), quod et ipsum in primo hominum usu quaerendum videtur, huius conseruatio perpetua in dicendo scribendoque simplicitatem structurae efficiet. Ille vero usus primus videtur partim formulas loquendi eas explesse, e quibus ellipsis postea aliquid sustulit; quo de genere ad Sanctii Mineruam multis locis intelligenter disputauit Perizonius; partim recta via, quam etiamnum ingreditur communis vita, ad copulanda verba et membra incessisse; nihil magnopere vel ad varietatem numeri et compositionis, vel ad brevitatem inflexisse, ideoque diductior fuisse, ut sine studio periodi aut schematis operosi proflueret oratio: qualis est hebraica ubiuis, et graeca ibi, ubi refert ad se inuicem  $\mu\acute{\epsilon}\nu$  et  $\delta\acute{\epsilon}$ , multa item per illud  $\delta\acute{\epsilon}$  necit, nondum variat transitiones \*\*). Sed

quæ

\* ) Idem, sed alio sensu et consilio, docuit Salmasius de Hellenistica p. 137. 138. Quinetil. 9, 4. init.

\*\*) Dionys. Halic. T. 2. Opp. p. 168. ubi de genere scribendi Thucydideo loquitur, utramque simplicita-

quae postea, vſu tamen omnium, e prima vastitate detracta sunt, aut eodem ipſo vſu ſubstituta primis, praefertim particulae et participia, (ſed ſine ornatu,) vt fit in vulgari ſermone, quae ſemel introducta aequa frequentari cooperunt, ac vetuſta illa ab initio frequentata fuerant, (e quo genere eſt Lysiae narrantis atque Xenophontea oratio, vbi membratim funditur, et Constantini Porphyrogennetae in de administrando imperio,) quae de- niq[ue] ſyntaxis, ſenſim plus vſurpari coepit, veterem velut expulfam rariorem eſſe voluit, ea ergo, miſta naturalibus initiis, iam tenent locum primo- rum et naturalium, atque propter consentientem omnium vſum, ſubinde introductorym, omnibus que notiſſimum, naturalia iudicari debent. Ne- que vero existimandum eſt, ſi quidem de ingenio humano infra (§. 27) vere iudicauimus, vllam aliquam metaphoram exquifitiorem, aut locum aliquem ſublimem ſimplicitati contrarium eſſe. Imo ſunt haec ſemina ingenii prorumpentis, quod alii celerius molliusque contigit, alii quietius et

C 3

aqua-

plicitatem, et verborum et compositionis, defribit: Διαφέρει (Thucydides) τῶν ἄλλων, διὰ τὸ μὴ κατ' εὐ- θῖαν ἐρμηνέαν ἔχειν πάχαι τὰ νούματα, μηδ', ὡς ἔσι τοῖς ἄλ- λοις σύνηθες λέγειν, ἀπλᾶς καὶ ἀφελῶς, ἀλλὰ ἔξηλλάχθαις αὐτὸν ἀπειράφθαι τὴν διάλεκτον, ἵκ τῶν εὐ θῖει καὶ κατὰ φύσιν τὰ μὴ συνήθη τοῖς πολλοῖς, μηδ' ὡς οἱ φύσις ἀπαιτεῖ. Μοχ περιεργον nominat λέξιν, et εὐθῖαν τῆς λέξεως ἑδὸν con- trariam, opinor, ſchemati et inflexioni ponit. Ibi- dem ſingula verba et modos loquendi, a ſimplicitate immutatos, recenser. Idem de Lysia (p. 83. v. 20.): Τὸν κέσμον εὐκ ἐν τῷ διαλλάττει τὸν ἰδίωτην, ἀλλ' ἐν τῷ μιρῆσθαι λαμβάνει.

aequabilius, periclitandoque spem fecit, fore, ut excitatum exultumque aliquid excellens pareret. Norunt omnes Virgilii thesauros Ennianos: et tamen Ennius, qui hos Virgilio reliquit, in vniuersum simplicitate usus est. Ac nominatim in sublimitate ea, quae oritur ex ipsa rei magnitudine, percellente animum, ut prium percepta est, quae nihil ab arte adiumenti ad sentiendum capit, omniumque hominum sensibus et animis se ingredit, ita propriam sedem habet verborum simplicitas, ut sublimitatem placere posse dubitem, si naturalis magnitudo, iam sua vi feriens animum, verborum aut formularum arte illustretur dicam, an obscuretur. Offert etiam natura sensibus permagna, eaque simplicia corpora: ac tum ducere spectatorem ad montium moles, ad obstupefacendum eum sufficit; demonstrare verbis magnitudinem, ut spectator obstupefiat, inuenisti et gauruli comitis videatur \*).

### *Signum aliquod simplicitatis*

19. Si praeterea sensu nostro, neglecto definiendi acumine, orationis simplicitatem examinemus: hoc signo agnosceretur, si, quod animus simplici corpore conspecto iudicet, abesse disparsa et variata, relinqui similia, idem sentiat simplici oratione accepta. Non illico, auditis pueri precibus, etsi circuitione celasse veros, et praetexuisse simulatos sensus sibi videtur, ubique tamen expositum eius suique simile pectus et veritatem expre-

\* ) Winckelmanni Historia Artium. p. 150. Sulzeri theoria artium in v. Erhaben.

expressam deprehendimus? Non opificem, vitae suae casus dicendo persequenteim, similem vbiique sermoni communi artisque rudem iudicamus? Non ad eumdem modum in artis operibus adspicetus columnae omnes partes similes, non in portico columnarum similitudinem animaduertit? Si ergo, quo modo afficimur oblato nostris oculis corpore vel simplici, vel immanni, eodem modo nos affecterit oratio, in re simplici aut sublimi versans; si utraque affectio animi eodem gestu iisdemque vocibus se prodiderit: iure arbitramur, rem simplicem aut magnam esse nobis oratione simplici aut sublimi monstratam. Sic indolem orationis iudicamus comparatione sensuum, quos excitat, cum sensibus, quos natura rerum quondam excitarat.

*Simplicitatis cum pulcritudine coniunctio*

20. Quod si denique quaeratur, an simplicitati per se pulcritudo tribui possit, (quam non male faciunt, qui, spreta communis vitae in hoc vocabulo ambiguitate, apte iungendis simplicitati variis partibus partiumque nexu concinno teneri, et vi quadam oblectandi agnosci arbitrantur,) videtur summae simplicitatis in se et merae partium similitudinis, sineulla varietate, nulla esse pulcritudo. Cum ergo prorsus simplicia corpora pulcritudinem habere dicuntur, quod centies clarae naturae vox censere iubet, ad illam structurae partiumque similitudinem accedunt fere, quae diuerositatem efficiant. Interdum magnitudo aut exiguitas, interdum ordo et concinnitas, interdum color, situs, figura, nouitas, opportunitas loci temporisque, carent pulcritudinis sensum: et in alio

genere pauci similes soni, atque unus adeo, unus item motus, accessione tremoris diurni, molitiei, numeri, continuationis celeritatisque placent. Modo manus, naturae simplicitatem verissime imitata, nos tenet, modo sensus quidam nostrer nos rei beneulos reddit, quae tamen non ad ipsius rei pulchritudinem pertinent. Iam ut in illa partium similitudine expletio earum aut absolutio, hoc est, perfectio intelligi potest, quae rem praestantem aut laudabilem reddat: sic, ubi natura ei aliquid varietatis adspersit, naturalis pulchritudo exoritur. Quod si haec doctorum hominum placita, quae tamquam oracula fundi solent, ad orationem transferantur: huius etiam simplicitati ipsi per se abiudicanda videtur pulchritudo, praesertim cum experientia hanc sententiam confirmet. Quo quis enim simplicius scripsit, eo minus vulgo exceptitur; et qui in communi vita simpliciter, etsi non falso, loquuntur, tamen nullum in aliis sensum excitant, quam qui notiones, in aliorum animum illatas, necessario sequitur; sed elegantioris hominis sermo, non affectantis ornantisue, illico pulcher appellatur. Orpheus quidem, cuius hymni unius fere modi sunt, (sumamus enim temporis causa, eos non mysticos, sed Callimachiis similes esse,) ille ergo si praeter attributa deorum, omnia eodem genere loquendi expresa, etiam de factis eorum et operibus vberius cecinisset, aut orationem saltrem variasset, mereretur fortasse eamdem laudem, quam Homeridae cuin Callimacho, numeroso, multiplici, copioso et in primis docto poeta, qui illam diuinarum virtutum descriptionem uni tantum singulorum hymnorum loco assignauit, per reli-

reliquam partem facta et historiam deorum distribuit. Itaque simplicitati orationis accessione dupli pulcritudo conciliata est, vel ipsius rei beneficio, ut naturalis esset, vel ingenio scriptoris, ut arte adiuuaretur. Interdum enim sensus, aetas et mores hominum, a quibus vox edita vel res facta est, eam a simplicitate ad pulcritudinem et suavitatem prouexerunt: interduim sublimitas, ordo, nouitas, opportunitas, quae rei ipsi adhaeret, eam decorauit: quo tempore magni merere nolumus, ut huius naturalis pulcritudinis adspectus interuentu cultus cuiusdam impediatur. Sed et ii, qui rem dicendo tractarunt, verissima naturae imitatione cum rei simplicitate pulcritudinis laudem saepe communicarunt, vt res artificis causa placeret, quod innumeris Homericorum carminum locis accidit. Alii venustate orationis simplicitatem reliquam lectoribus probarunt: e quo genere Lysiam praesertim, Xenophontem et Caesarem censuerim, qui vitam quidem communem componenda oratione plerumque imitati sunt; sed, ne humiles vbique essent, praeter subtilitatem notionum verborumque delectum, oratoriam quoque suppellestilem verecunde assumferunt, ideoque subtiles et elegantes dicti sunt. Alii denique omne in apparatum ornamentorum pulcritudinis causa usurparunt. Hactenus ergo pulcritudo cum simplicitate coniuncta est.

### *Exempla simplicis orationis*

21. Vtriusque simplicitatis exempla in eorum libris occurrunt, qui primi se in aliquo genere ad scribendum dedere, inter quos nominare

licet Mosen, cuius libri saepissime hoc genere dicendi tamquam signati sunt; Homerum et Hesiodum, iis maxime in locis, in quibus vitae humanae minutissimas, omnique dicendi ornatu destitutas partes persequuntur; Herodotum, praecipue vbi naturae partes, earumque ab hominibus inuentam administrationem explicat, ut bestiarum indolem, nidos, capturam; fabularum antiquissimos conditores (Liu. 2, 32.); annalium denique auctores, qui, ut ait apud Ciceronem (de Orat. 2, 12.) Antonius, *neque tenuerunt, quibus rebus ornaretur oratio, et, dum intelligeretur, quid dicerent, unam dicendi laudem putarunt esse breuitatem* \*). Ab his ergo discendum est, quo modo ingenium humaanum, nullo duim vel exemplo informatum, vel praecepto admonitum, vel frequentis usus adsuetudine ac taedio ad varia; singularia et affectata inclinatum, reni verbis exprimere soleat, cum certi, atque adeo hi ipsi in multis locis, artem ornandi et elegantiam naturae addiderint, vel delectu verborum, vel compositione orationis. Cuiusmodi cum sint initia naturae, et prius humanae mentis conatus, mirum non est, si, quotquot unam hanc rationem per integros libros tenuerunt, rudes fere et ab omni arte remoti fuerunt: quon nomine tamen, praefertim in initiis cuiusque rei, nemo reprehendi potest; quinquam adsueti multis ornamentis, ideoque ab incorrupto veri iudicio abhorrentes, simplicitatem moleste ferunt \*\*). Eadem simplicitas dominatur, quod recte docuit

Hermo-

\* ) Dionys. Hal. T. I. p. 7. v. 27. μονοειδῆς.

\*\*) Homius l. l. p. 312.

Hermogenes (de ideis P. 2. fol. 62. ed. Argent.), in vocibus infantum, omniumque eorum, quorum mores nulla simulatio deprauavit, aut elegantia poliuit, quos ille ἀπλάσους, ἀκάκους, ἀφελεῖς, appellat, et in exemplis agricolas illudque Cyri pueri e Xenophonte (Cyrop. 1, 3, 2.) commemorat: Ὡ μῆτερ, ὡς καλός μοι ὁ πάππος: cui omen L. Aem. Paulo oblatum addimus: *Pater, Persa periit*: utraque enim vox, in tanta temporis illius, quo ab infante proferebatur, dignitate et splendore, decora aperto infantis pectori, verbis, ad illum unum sensum accommodatis, simplicitatem indicat. Cf. Io. 4, 11. 12. 15. Supereft etiam in carminibus legum et formulis solemnibus, antiquis fere, aut ad vetustum morem compositis, in Theocrito et Virgilianis Eclogis non nullis, Anacreonte, Xenophonte, Thucydide, ubi narrat, (sed non semper,) Lysia, Deinosthene, ac saepius fortasse, quam opinentur, qui δεινότητα in eo laudari audierint, Palaephato, Terentio, Caesare, Ciceronis epistolis pluribus, Phaedri locis permultis, aliisque. Sed exempla collegit Hermogenes; quaedam et Vossius (Comment. rhet. P. 2. p. 505.) \*). Ceterum ut is, qui rerum simplicitate acquieuit, verba tamen aut habitum orationis accessione ornatus vel suavitatis illuminare potuit, ita, qui simplici dicendi genere usi sunt, rerum seriem interdum varietate distinxerunt. Nihil in verbis, in primisque structura eorum, Xenophonte inter-

\*) Cf. Proteuangelium Iacobi et euangelium de infantia Christi. Fabric. Cod. apocr. N. T., T. I. p. 66. 159.

interdum simplicius, nihil item ad rerum varietatem eodem ingeniosius.

*Simplicitas verum in narratione*

32. Transeundum est ad narrandi simplicitatem, cuius causa haec omnia scripta sunt. Ea rursus duplex erit, rerum altera, altera verborum. Ac rerum simplicitas tenebitur, si merae partes necessariae rei gestae ponentur, atque ita praecisa fiet narratio: nam quidquid scriptoris ingenium iis adiunxit, id, cum diuersitatis causam continet, a simplicitate narrationem abducit. Iam primum quod merae partes rei continuandae sunt, id aequ de plurium euentorum serie, per annum unum aut multos tracta, ac de singulari singulorum expositione, ut proelii, seditionis, caedis, pestilentiae, accipi potest. Cum vero perdere operam videar, si docere aggrediar, quid sit, in narratione sine aliis rei interuentu partem parti nectere, dicam potius, quid rei gestae partibus dispar et adsciticia videatur. Seilicet quae ingenium scriptorum adinuenit, aut ad utilitatem narrationis grauia, aut ad suavitatem iucunda, ut iudicia, causarum expositionem, disputationes, admonitiones, sententias, descriptiones, conciones, similitudines, digressiones, ea, cum dissimilia sint rei necessariis partibus, recedunt ab hac rerum simplicitate. Similiter quidquid harum accessionum affectatio inepte tractauit, id, cum et frequentius et alieno loco occurrit, simplicitati non tantum aduersatur, sed eam adeo tollit. Quod quidem genus si quis vsu cognoscere velit, Florum legat; si recte castigare, Graeuii pulcerrimam dispu-

disputationem, Floro praemissam; si ridere denique exempla, Lucianum de conscribenda historia. Liuiana quidem narratio de Annibale, iniurias iurante (21, 1.), aut Xenophontea de victoria Lacedaemoniorum ad flumen Aegos (Hell. 2, 1.), Herodotea de Darii Hystrispidis fraude (3, 85. 86.), vel Herodiani de insidiis patefactis (1, 8.), ita profecto quoad res institutae sunt, ut, quidquid demseris, partem rei detrahas: quo tempore ac loco, quorum administratione, quibus spectantibus, quo ordine coepta, acta, finita sit res, ac praeterea ne verbum quidem, memoratur. Omnibus tamen preferendi videntur Xenophon in Hellenicis et Caesar. Neque vero in exemplis simili modo continuatae narrationis mentio praeterunda videtur tragoeiarum et comoediarum, quarum nulla facile narratione caret, ipsiusque Homeri iis in locis, ubi heroas vitam ante actam enarrantes fecit, aut aliud quid tenuiter narrauit (Od. π. 1—16.). Sed quam brevia ibi omnia, quam non interrupta! Quam pressa rei vestigia persequitur oratio! (v. Sophocl. Oed. Tyr. p. 201. ed. Steph. Terent. Eun. 1, 2, 27—57.). De oratorum narrationibus, quae loco suo illustrandi delectandique causa obiter inseruntur, in primisque breuitatis laude placent, dicere non attinet, cum exempla vel in Verrinis ubique occurant. (Cf. Demosth. de cor. c. 53. Cic. Verr. 4, 14. Aeschin. in Ctesiph. p. 289. ed. Wolf.).

### *Simplicitas verborum in narratione.*

23. Non opus est de simplicitate narrationum in verbis separatis disputare, nisi quaecumque

que supra (§. 18) vniuersim exposita sunt, reperire velimus: facili negotio vnumquisque illas de verbis singulis et iunctis animaduersiones ad hoc orationis genus transferet. Ac nominatim compositio simplicior membratim fusae orationis, aut incisa adeo usurpantis, cui tandem generi scribendi, si a scenicis fabulis discesseris, conuenientior sit, quam narrationi, quae cum ipsis rebus currit et fertur? Itaque, etiam si quidam fere communis vitae consuetudinem deferuerunt, ut Thucydi des et Liuius, ille, quod rerum nimiam multitudinem uno loco effudit, hic, quod artem et studium ubique lectatus est, tamen interdum strictim et presso narrant, imitandaque rei gestae natura perspicui sunt (Thuc. p. 521—523. 547. 548. Liu. 2, 6.). Sed altera quoque singulorum verborum simplicitas non nunquam illustres reddit eos, qui cetera fere ornamentis distinxerunt: nam saepe numero proprie et ex usu quotidiano ea dixerunt, quae ipsius rei partes essent, non sensus, aut admonitiones, aut his similia. Si rursus de Livi ana narratione (1, 25.) agere licet, cum ibi reliqua ornarit omnia, haec tamen simpliciter expressit: *In medium inter duas acies procedunt, consederant pro castris duo exercitus, datur signum, increpue re arma, consertis manibus aliis super alium expirans corruit, unus integer fuit, iam aliquantum — — redit.* Si cui in aliis ad eundem modum examinandis operam collocare libeat, non inutiliter comparauerit 21, 51. 30, 5. 25, 23-25. Adeo secundum naturam simpliciter narratur (Cf. §. 28.).

*Simplicitas rerum in narrationibus N. T.*

24. Non potest rerum simplicitas scriptoribus sacris abiudicari, qui, quoties rem gestam tradunt, ita penitus ea occupantur, ut omnino nihil alieni admisceant. Ac vereor, ne clara voce sententiam nostram probent, qui destitutas ornatu narrationes N. T. dolent aut rident. Quid est enim, quod querantur? Aut quid ipsos libros abiiciunt? Tenuitas iis molesta est, neglectus omnis ornatus eorum elegantiae fastidium mouet, quod scilicet ingenii humani excellentissima monumenta pernornunt, ac pulcritudini innutriti sunt. Cum autem ornatum dicunt, negant, figuris, numero, tropis et generi orationis exquisito pariter ac describendo, philosophando, sententiis et similitudinibus aliquid concessum esse \*). Nam eam intelligunt pulcritudinem, quae extrinsecus quaesita est: naturalem rei dignitatem, vacuam adsciticio cultu (§. 20. 25. 27), non sentiunt. Contentio cogitandi, quae partem rei aliam alii sine digressione copulat, et severa quaedam narrandi lex, vni rei gestae adstringens officium scriptoris, eos fatigat, unde velut exodia quaerunt, ubi reficiantur. His ergo omnibus narrationes sacras carere (ut profecto carent) cum ipsi aduersarii querantur, indubitate est in iis simplicitas. Nos quidem, quia tota res exemplis melius intelligitur, ausimur praestare,

\* ) Repetitae sunt aduersariorum querelae, et argumentis, e consilio religionis docendas petitis, defensi libri sacri a Roberto Boyleo in Cogitationibus de stilo Scripturae, p. m. 52. et a Werensflio de stilo scriptorum N. T. in Opusc. p. 367.

stare, quidquid a Luca his locis: 14, 16—24.  
 18, 10—13. 24, 13—35: positum sit, aut a  
 Ioanne c. 18 et 19, cum ipsa re necessario cohae-  
 rere, modo quis examinandarum propositionum  
 operam suscipiat, nec per narrationem festinet.  
 Repetimus partes narrationis de conuersione Pauli  
 (Act. 9, 1—9.): *Paulus, saeuens in Palaestinos  
 Christianos, quae sita venia et alibi vexandorum  
 Christianorum, dum se Damascum confert, luce cir-  
 cumfusus procumbit. Audita voce monentis, quae-  
 rit, quis loquatur. Sub nomen Iesu et vanitatis ex-  
 probrationem cohorret, et obedire incipit. Iussus  
 Damasci exspectare nuncium, surgit, conatur vide-  
 re, sed coecutit, duciturque a comitibus, quos vox  
 sine corporis specie perculerat, Damascum.* Quid  
 hic digrediendi studio datum? Quis ornatui aut  
 affectationi locus? Quid est, quod non ad par-  
 tes ipsius euenti pertineat? Atqui his omnia sunt  
 simillima. Addemus locum de Lazaro reuiui-  
 scente (Io. 11, 1—43.): *Ab aegrotantis Lazari  
 sororibus arcessitus Christus, qui eos omnes amabat,  
 detecta discipulis itineris causa, placatoque eorum  
 metu, quarto demum die Bethaniam venit. Mar-  
 tha, accepto aduentus nuncio, occurrit ei. Admo-  
 nita in ipso itinere de iniusta sollicitudine, celeriter  
 reversa clam euocat sororem, quae inter amicos lu-  
 gentes restiterat. Procurrit et illa amicis comitata,  
 luget apud Iesum, admonetur. Acriter commotus  
 Jesus et lacrimans, inter varia amicorum illorum iu-  
 dicia ad sepulcrum deductus, remouet lapidem, solli-  
 citos denuo obiurgat, prescatur, et Lazaro vitam  
 verbo restituit. Ne in his quidem occurrit, quod  
 a re, in facto posita, alienum sit. Nihil intulit  
 inge-*

ingenium scriptoris, vel ad utilitatem praecipendi, et si multa poterant, vel ad suavitatem oblectandi. Sunt ergo, praecisis quibuscumque additionibus, hae simplices narrationes. Neque illud neglexerim, quod N. T. scriptores, more omnium bonorum scriptorum, cum inaudita rei narrationem ingrediuntur, freti eius dignitate suaque integritate, auditores non praeparant, aut mirari iubent, et magna promittunt, nec in fine denuo de magnitudine admonent, nec multa verborum asseveratione suae narrationi fidem conciliant \*), quae vanitas ineptos plerisque et loquaces, saepe etiam suspectos reddere autores solet, saltem simplicitati non consentanea est.

*Coniuncta est cum rerum simplicitate in N. T. naturalis pulcritudo et dignitas.*

25. Iam supra (§ 20) cauimus, ne quis simplicitatem, pulcritudinis non omnino expertem, in contemptum traheret, cum aequos huic loco de sacris libris aduersarios reddere conati sumus. Ergo et hic ea attendamus, quae ibi rei ipsius beneficio cum simplicitate orationis coniuncta esse in vniuersum diximus. Principio omnis sensuum commemoratio, siue quod taedio similitudinis medetur, siue quod ipsi ex aliorum sensibus nos nostrarumque hominum ingenium cognoscimus, natura sua tantam festiuitatem habet, ut, si res humilior fuerit, hoc tamquam adminiculo attolli possit (Cic. Inu. I, 19.). Et profecto in-

credi-

\*) Aristot. rhet. 3. p. 244. v. 39. οὐδὲ τὰς πίστεις λέγειν μακρινές,

credibilis est suauitas sermonis Christi cum Samaritana muliere, propter huius simplices et integerimos mores: libenter spectamus sedulitatem Marthae: placet seueritas et fiducia magorum: oblectat matris Christi studium erga filium duodecennem: probatur amoris plena anxietas discipulorum Christi (Matth. 26, 22.): iucunda est eorumdem post redditum eius in vitam consternatio, in primis exigua Cleopae spes (Luc. 24, 21.), vt omnino ille locus, si humano more loqui licet, dulcissimus est, et propter naturae veritatem admirabilis: Mariae sollicitudo (Io. 20, 11.), lacrimis, gestu, verbis lenissimis, ardentissimo sensu, illo denique *'Pαθησην'*, ad intelligendum amorem praeter modum efficaci, ad viuum expressa, vt aliae horum librorum narrationes, pictarum tabularum venustissimum argumentum fuit\*). Quid ea dicam, quae, etsi varietatis in materiam habent, tamen non tam pulchra, quam dignitatis et magnitudinis plena sunt? Quid inaudita Christi miracula, quorum celeritatem, nouitatem, magnitudinem nullum aliud factum facile aequauit? Quid eius fortitudinem cum in docendo, tum in agendo patiendoque? Quid veritatis singulare studium, castigationem temerariorum sapientissimam, prudentem fraudum declinationem? Quid tandem Deum vbique inter homines? In haec sensuum, ingeniorum, dignitatis magnitudinisque accessione ad ipsas rei partes quo modo cupidi iudicis comprehensionem vitabit, qui, quod in humanis libris maximo-

\*) De hoc genere elegantissimus Lessingius in *Laoconte* (p. 184.) nuper admonuit.

maximopere probat, in sacris leuius ad delectationem et laudem dicit? Subit profecto saepe mirari, cur horum potissimum librorum simplicitas contemta sit, quorum simplicitati tot noua, singularia, splendida, et, quo nihil maius est, diuina adiuncta sunt.

*Simplicitas verborum in narrationibus N. T.*

26. Verborum porro simplicitatem \*) periti ac imperiti, quamquam diuersis de causis, scriptoribus sacris tribuunt, ut vel hoc communi iudicio niti possimus, praesertim cum pauca in vniuersum ea de re, quae in exemplis posita est, perspicue disputare liceat. Etsi igitur maximiarum fere rerum narrationes occurrunt, quibus facile ita commoventur scriptores, ut mentis commotio ex oratione eluceat: tamen apertum est, omnem rei significationem a sacris scriptoribus fieri verbis, e vitae communis vsu deponitis, absque omni studio ornandi, mouendi, aut eleganter et exquisite et copiose dicendi; siue quis graecae linguae suetudinem, non penitus in his libris neglectam, aestimet; siue notiones ad normam hebraicae linguae, vbi opus est, examinet. Ac tum quidecum tuto fere concludemus, quae hebraica graeci verbi significatio ab Alexandrinis interpretibus vulgariter coepit, eam sine ornatu et immutatione suetudini quotidiana hebraicae linguae conuenire. Tamen parum enim recesserunt euangeliorum autores ab vsu hebraico, vt, in tanta vocabulorum

D 2                                      grac.

\*) Lowth de sacra poesi Hebraeorum p. 269.  
ed. lat.

graecorum multitudine, saepe ne quaererent quidem singulis locis, quod ex graeco vsu hebraicæ significationi simile esset; sed verbum de verbo rediderent, et, quae graeca vulgatissimæ hebraicorum notioni primum responderent, cum iis ceteras quoque notiones hebraici verbi communicarent. Sed huius generis exempla colligere, foret infinitum, duceretque nos ad grammaticas disputationes, quarum veniam facile ab iis impetrabimus, qui huius libelli argumentum cogitauerint. Compositio porro, quod nemo recte negare potest, et dudum doctissimi viri demonstrarunt, ubique fere hebraicam rationem initatur, et, quantum e V. T. scriptoribus, quos nulla ars et ornandi scientia facile abduxit a vitae communis similitudine, iudicare licet, ad illum simplicem habitum penitus conformata est. Ponuntur verba eo ordine et loco, quo hebraica lingua instituit\*), vnde καὶ εἶπε tam occurrit, cum Graeci ἔφη interiiciunt; et quoniam ubique fere sit, haec similitudo antiquitatem et simplicitatem declarat: integræ sunt formæ loquendi, quas ceteræ linguae decurtarunt, in quam rem haec vulgo ferunt, αὐολ-ξας δὲ τὸ σόμα εἶπε, αἴποκριθεὶς δὲ εἶπε, καὶ σίρωτήσας εἶπε, vel huius formæ syntaxia, καὶ ἐγένετο, ὅτε συνετέλεσεν τοὺς λόγους, ἐξεπλήσσοντο, καὶ ἐγένετο, αὐτοῦ ἀνακειμένου, καὶ ἴδου, πολλοὶ — quae cum ex aliqua parte et Homero, ubi nihil nisi narrat, et antiquissimis quibusque sint communia, primum euanque simplicem usum continent: nulla periodus simplex deprehenditur,

nulla

\* ) Lowth l. l.

nulla composita, quae, praeter duarum propositionum naturalem coniunctionem, ad plurium sententiarum comprehensionem structa dici possit, omnia laxis, si cum periodo compares, vinculis ( $\alpha\gamma$ ,  $\delta\epsilon$ ,  $\gamma\alpha\beta$ ) copulata, omnia membratim fusa sunt: numero ei, qui longa et brevia vocabula miscet, aut arte adeo et venustate ad aequabilitatem et similiter cadentia membra informatus est, nusquam feruitur. Et cum plura facta, ut in narratione de alicuius vita et munere, deinceps ponuntur, et si loco et tempore disiuncta, tamen saepè nulla transeundi formula discerni solent, quam ut  $\alpha\gamma\beta$ ,  $\delta\epsilon$ ,  $\alpha\gamma\beta$  ἐγένετο,  $\alpha\gamma\beta$  οὐ, τότε interferatur. Hic si comparemus alios rerum scriptores, multiplex transeundi medus ubique animaduertitur, interdum etiam lentior ob multitudinem verborum et loquendi quandam formulam, aut notabilior, ut initia transeundi statim sentiantur: si celerior fuerit et brevior, nec nisi temporis locique indicium habeat, variatur tamen, ut *tum*, *tum vero*, *quo facto*, *inter haec*, *ibi tum*, *inde*. Ac feratur licet, qui in unius rei, ut bellum Peloponnesiacum, historia similia ubique et eiusdem fere generis facta sine studio nexuerit, sed locum et tempus diversum notarit, atque ita celeriter ab uno ad alterum transferit: at, cum sunt res toto genere diversae, ut in euangeliis concio, miraculum, iter, maxima est simplicitas componendae orationis, si absque illa diuersitate adeo repente transeatur ab alio ad aliud. Nam facile Plutarchi, Diogenis Laertii, Cornelii et aliorum, qui de vitiis scripserunt, exempla varietatem et modum quemdam transeundi, ab usu vulgari abhorrentem, indicant.

Denique hoc referendum videtur, quod faci scriptores eos etiam, quorum non colloquia sermonesque exhibent, sed quos inter agendum aliquid dixisse referunt, tamen ipsos loquentes inducunt, non suae scribentium orationi illigant, eos aliquid dixisse. Quod quidem nescio, vtrum ingenii Orientis, an omnino vitae communis similitudini tribuam: cum fere ita accidat, vt, qui rem voce exponant, raro e sua persona aliorum verba narrent, sed ipsos loquentes faciant, et si in libris, nisi velimus utique imitari vitam communem, ipsi potius narramus, quid alii dixerint, nostroque sermone describimus illorum sermones: placidiores enim inter scribendum sumus, quam inter loquendum. Idem iudicari de iis locis poterit, qui tacitam mentis cogitationem verbis prolatam esse narrant: in quo rufus tanquillioris animi videtur, tractare sensum tacitum, vt sensum tacitum, quam verba, in quae ille haud dubie secundum naturam erumpere potuit, diserte pone-re. Vbi vero graecae linguae mos seruatur, vt in Actis saepius (v. c. c. 8 et 27.), tamen est ille simplicior, quem ante (§. 18) descriptus, οὐδὲν λέγεως ὅδος, οὐδὲν ἐνηλλαγμένη. Hinc de sacrorum librorum cum Herodoto similitudine centies admonitus est, et concesserim ipse plerisque in locis; non magis tamen de Herodoto, quoniam periodos neglexit, et δὲ, γὰρ, οὖν, καὶ, usurpat, quam Thucydide, Xenophonte, Polybio: immo molliter nimis profluunt numeri Herodotei, unius suauiter plura membra in integrum sententiam colligat, quam vt hic potissimum nominandus sit. Nec sit facta simili cum libris sacris ratio-

ne,

ne, incipit eodem modo, sinit, iudicat, admonet; sed in decursu orationis et vnius facti expositione saepe nihil fuerit numerosius, et, quoad sine periodis fieri potest, magis vincitum\*). Non ergo dubitem, permultas Thucydidis περιέγενον, Cypriae Xenophontae (1, 4, 18. 26. 4, 2, 1. 10. 4, 5, 9.), et Hellenicorum praesertim particulias eum illis Lucae locis conferre. Omnino vero Graecorum pedestris oratio, etiamsi membratim dissoluta, particulis τὲ, καὶ, μέντοι, καίπερ, καὶν, μὴν, δη, το, ἢ μὴν ἀλλα, ὅμως μέντοι, et insertis participiis mollius laeviusque coire, variari dulcius et aliquid περιοδικὸν accipere videtur: est enim ex eo genere, quod supra (§. 18) altero loco descripsimus, misumque uaturalibus initiiis diximus (cf. Zosimus 3, 20-22.): sacrae autem narrationes magis dissolutae, ut Homericæ, et simili constantique modo incedentes. Concludemus simul ex his, quod in hunc locum e sectione quarta decima distulimus, in tanta vitae communis imitatione sacrarum narrationum structuram non posse non perspicuitati comparatain dicí.

### *Origo cultus*

27. Sed ne alia ex parte contemnantur libri sacri, videamus, unde sit illud, quod simplicitati successit, plerumque cultus, artis, doctrinae ornatusque nomine comprehenditur, et in rebus aequis ac verbis, vel ad usum, vel ad suavitatem

D 4

narrat-

\* ) Dionys. Hal. T. 2. p. 20. v. 9. de Herodoto: οὐκ ἐν τῷ κάλλει τῶν ὄνομάτων ἡ πειθώ τῆς ἔρμηνάς ἔν, ἀλλ' ἐν τῇ ευεγγέλᾳ. Quinctil. 9, 4. p. 540.

narrationum, repertum est. Non ergo tantum  
quaerendum videtur, quid scriptum sit debueritue  
scribi, sed etiam a quo. Scilicet homo rem ex-  
ponit, qui aut vnum narrantis officium praestare,  
aut doctoris etiam personam sustinere, et ea, quo-  
rum utilitatem paulo ultra fines memoriae extendi  
posse intelligit, etiam vitae et rei publicae usibus  
accommode tractare potest. Hic si variet rerum  
seriem adiiciendis praeceptis et admonitionibus,  
si oblatam facultatem de publicis rebus earumque  
causis dicendi arripiat, si doctrina adiutus omnino  
rationes euentorum reddat, num magnopere mi-  
rum et inopinatum videbitur, haec ingenio ad-  
inuenta dici, aut temerarium, ad arbitrium scri-  
ptorum referri (Dion. Halic. l. 11. init.)? Est ve-  
ro etiam eo ingenio scriptor, quod facile se iis,  
quae ab aliis fieri animaduertit, imminiscet, celeri-  
ter in societatem doloris, irae, gaudii, lenitatis  
et ferociae adducitur, vna molitur, adiuuat, im-  
pedit, his, quae videt, similia componit, veni-  
entia, praeterlapsa et praesentia cogitando ample-  
ctitur. Et ille homo non ducatur ad narrandi va-  
rietatem, qua discernatur a vulgari consuetudine  
narratio? non rem, qua cominotus est, diu et  
per partes adspiciat? non sensum aliquem pluri-  
bus describat? non foeditati indignetur, non de-  
pingat pulchriora, non permittet cum similibus?  
Vult tandem, sua insinuare se in animos lectorum  
etiam orationis quadam illustriore commendatio-  
ne, sua ceteris praeferri, aut non deteriora iudi-  
cari. Quid ergo, si in consilio, ingenio et studio  
scriptorum initia omnium eorum deprehendi cen-  
seamus, quae umquam ad docendum et oblectan-  
dum

dum narrationibus adspersa sunt? Admisiuit aliquis ciuiles disputationes; eae vero debentur consilio docendi: interiectae sunt sententiae; ad utilitatem vitae excoxitatae videntur: attextae sunt descriptiones locorum hominumque; faciunt ad perspicuitatem aut delectationem: vberior est et vehementior in non nullis oratio; accepta feretur scribentis commotioni: adiunctam habet venustatem et ornatum; tribuetur studio placandi: inflexa est ad habitum cultiorem; agnoscenda erit ingenii explicata facultas: vitata est vastitas, omissisque iis, quae sponte poterant intelligi, contracta oratio; ingenium se ad elegantiam erexit: non extrema tantum lineamenta ducta sunt, sed et eminentia et depressa notata; vis ingenii artibus adiuta dicitur: est illucior pars a vulgaribus colore quodam distincta; delectationis materies grato animo accipietur. Atque sic a simplici dicendi genere abducta narratio, quidquid habuerit praeter seriem rerum et perspicuitatem sermonis, eo vi ingenii et arbitrio scriptoris locupletata recte dicetur.

*Sine cultu bene scribi potest historia*

28. Haec igitur qui neglexit, quid est, quod reprehendatur, modo ceteroqui bonus scriptor sit? Num natura, si vel maxime penuriam artis prodat, et simplicitate adquiescat, indigna plane adspectu et vitiosa videtur? Num cogi quisquam potest, ut aliorum arbitrio inuenta et ipse usurpet, aut, quibus artibus ceteri narrationem commendandam putarint, ex iisdem ipse laudem quaerat? Fortasse tamen, si quis pertinacius haec efflagita-

ret, doceri poterat, et in sacris libris non nulla ex hoc genere reperiri, praesertim quae ad docendum pertinent, cum in his libris omnia sint narrata, ut fides fieret ei, cuius doctrina suscipienda est, ut mens eius e sermonibus in literas relatis cognosceretur, ut disceretur, fuisse Christum legatum diuinum, doctrinæ tradendæ mortisque nobis salutiferae subeundæ causa. Nunc de vno verborum cultu loquemur, quem supra (§. 2) descripsimus, ut in eo desinat disputatio; unde progressa est. Non postulat ergo eum natura narrationis, quae perspicuitate rerum verborumque acquiescit, cuius beneficio res gestae etuenta exponi sic possunt, ut, quid et quo modo gestum sit eueneritque, plane intelligatur. Non praescribit orationis et linguae ipsius indoles, cuius naturam sequi sine arte, per se ad intelligentium sufficit. Non flagitat rerum magnitudo, quae sua vi, modo perspicue appareat, satis insignis est (18. 20). Non exigit sensuum motuumque vehementia, quae, cum primum intellecta est, admirabilitatem habet. Non suadet fides et officium scriptoris, quod longe aliis legibus adstringitur, quam ingenio repertis narrandi virtutibus: si tenuerit, veritate integra, consilium suum, et professioni satisfecerit, bonus vtique dicendus est, quamquam artis expers. Quod igitur spectarat Lucas, ἵνα ἐπιγιῶς, περὶ ὧν κατηχήθης λόγων, τὴν αὐσφάλειαν, aut Ioannes (20, 31.) in parte historiae, id sic, ut vitam Christi narrarunt, assecuti sunt: ceteri, et si nihil professi sunt, tamen quid voluerint, in promtu est; quin perfecterint hoc modo, quem instituerant, dubitari nequit:

quit: adparet enim ex eorum narrationibus de vita Christi, sic potissimum scriptis, fuisse eum doctorem plane singularem, et finisse vitam morte miserrima propter aliorum salutem, estque in narrationibus illis de eo tantum sermonum factorumque memoriae proditum, quantum abunde suppeditat materiam imitandi eius, quem imitari debemus omnes. Sed appetunt cultum lectores. Num ideo necessarius est? Ac ne omnes quidem appetunt, modo ne nimia fuerit orationis barbaries: certe non ii, qui rerum ipsarum studio ferruntur. Sunt et alii ita aperti et intelligentes, ut nec vituperent naturam, arte destitutam, et bona eius sentiant. At multi, qui se ad ornandum derant, ceteros longe superarunt. Hinc scilicet ceteri putidi, qui sunt in suo genere boni! Ornando illi multi vicerunt alios, non fide et necessariis narrationum virtutibus. Vtrum vero potius censi debet? Sed videbor fortasse defensionem narrationum N. T. recte repetuisse a necessariis narrationum virtutibus et simplicitate, si lectoribus haec secum ponderare placuerit. Quisque bonus rerum scriptor, (sumant vel Liuum in manus, qui inter bonos unus nimis in ornando elaborauit, aut eius intelligentissimum imitatorem, Sabellicum,) quam diu per rei seriem, partibus partes nectens, decurrit, simplex est: sed cum eius unam partem studiosius describit, ornatum verborum adhibet. Atqui sacri scriptores semper rei seriem per partes eundo nectunt, raro in una eius parte studiosius describenda insistunt, idque breuiter, si quando sit: nonne ergo raro ornatus verborum locum habuit, simplicitas ubique diffundi debuit?

Com.

Comparant Xenophontis Hellenica et Cyropae-diam: illa decurrunt per integrain rem, omni ca-rent aduenticio verborum ornatu, aut parcissime, nec nisi in loco de Theramene et Agesilao (2, 3. 3, 4, 16. 17. 18.) vnam rei partem ad descriptio-nis modum attollunt (sf. 4, 1, 8.): haec saepius in partibus singulis haeret, ac tum ornatior esse inci-pit. Componant Liuium (21, 31-35.), planius interdum narrante, non numquam ornate de-scribentem, cum Polybio (3, 49-53.), eadem in re vbique simplici, numquam immorante. At-que hoc eos in omnibus bonis rerum scriptoribus inuenturos esse confido. Manet ergo hoc, eum, qui singulas rei partes non late describat, ad ver-borum ornatum raro duci; eum contra, qui et in his diligentior sit, discriminare historiam cultu orationis et simplicitate; eum denique, qui to-tam historiam vbique verbis ornauerit, inepte lau-dem affectasse. E quibus omnibus cogitur, histo-riam sine omni verborum aduenticio cultu bene scribi posse.

## II

*De**Discrimine sensus et significationis  
in interpretando*

**C**ertum est et vsu multo comprobatum, non posse quemlibet locum alicuius scriptoris ad verbum, vt aiunt, in aliam linguam transferri. Neque hoc in iis tantum fit, quae alicui linguae aut genti propria sunt; veluti certa certarum rerum vocabula, sententiae, proverbia, et quae nominatio dicis solent idiomata; sed alii loci in quois libro bene multi reperiuntur, vbi nihil quidem est alicui linguae proprium, quos tamen qui ad verbum verti audierit, nihil vtique intelligat. Quantu[m]uis enim homines opinionibus, natura et institutione animi, sensibus, facultate, et in vniuersum modo cogitandi consentiant: modus tamen cogitata et sensa eloquendi vt plurimum tantopere differt, vt, si quis linguas non nullas aut scriptores quosdam comparet, interdum dubitandum videatur, an homines, tam diuersa loquendi ratione v[er]si, eadema natura et facultate cogitandi praediti fuerint.

Quod autem negamus, omnia in aliam linguam ad verbum transferri posse, id hanc vim habet: *non posse ubiuis in alia lingua verbum eiusdem plane significationis ponи, cuius significationis verbum in eo, quem quis vertit, loco legitur: siue: non posse significationes omnes ac singulas in utraque lingua*

gua ita sibi respondere, vt, tamquam par pari, sic verbum verbo, significatio significationi reddatur. Hoc, opinor, volumus, cum de hac re loquimur: et rem in omnibus exemplis ita se habere reperimus.

Atque diuersitatis huius causae cum vniuersis gentibus communes sunt, vt aetas, mores, cultus: tuin singulis scriptoribus propriae, in his indoles animi, vitae genus, doctrina, ignorantia: de quibus omnibus ac singulis tam crebro diligenterque ab aliis disputatum est, vt res nullis amplius egere videatur verbis. Sed ex hac causarum observatione consequitur, in alia lingua superesse multum incultae antiquitatis, quod aliae, pulchritudinem vbiique adfectantes, omnino sustulerint, aliae passim deterserint: aliam multa per ambages dicere\*), in necundo potissimum et transeundo ab alio ad aliud, quae in alia soleant coarctari: aliam pluribus, aliam paucioribus omissionibus (ellipses dico) solere vti: hanc tropis et allegoriis laetiorem esse, illam proprietate et ieunitate severiorem: hanc ancipitem et lubricam vagari, illam esse finitam et certam: aliam disciplinis atque artibus omnibus aptam esse, aliam, si de his rebus agat, aut nihil praestare posse, aut alieno saltem auxilio indigere: hanc copiosam esse, illam penuria laborare. Quae cum ita sint, quis tandem speret, omnia se ita expressurum esse vertendo, vt, quod in definiendo paulo ante positum est, verbum verbo, significatio significationi respondeat?

Ipsi

\* ) Vid. Perizonius ad Sanctii Minerv. p. 434. 486.  
et passim.

Ipsi porro scriptores ita differunt studio, diligentia, artibus dicendi, ingenio, exercitatione, ut aliud vertendo facile sequi possis; in alio semper aliquid addendum, demendum, mutandum, emolliendum, non nimis vrgendum, circuinloquentum sit: ut alium interpretando velut in ordinem cogere debeas; in alio plane demonstrare possis, quid dixerit. Quae diuersitas ubi ad eam, quam ipsa lingua in natura et conditio efficere solet, accessit, multo etiam minus ad verbum interpretari licet.

Quoniam ergo his de causis hoc non licet: est eius, qui librum vertit, *sensum* loci in alia lingua quibuscumque denum verbis exprimere. Hoc autem cum in singulis verbis, tum in integris sententiis et propositionibus locum habet. In singulis enim verbis, quorum ipsa significatio exprimi versione non potest, ne obscura sit et ambigua versio, et ei linguae, in quam vertitur oratio, parum congrua, versamur ita, ut tradamus notionem, quae in hoc loco et hoc verborum contextu permutteri potest cum notione verbi, quod scriptor ipse posuit. Atque ita significationis loco traditur sensus. Cum ergo προσέχειν τινί, adhibere rem alicui, (quae est ipsa significatio) omisso nomine γνώμην seu νόην, nullo modo possit ubique verti, attendere ad aliquid, animum eo conuertere, ei rei adhibere: permittatur cum hac significatione alia, quam cuiusuis loci conditio (subiecta et obiecta, eo in loco expressa verbis) suadet atque permittit, et προσέχειν τοῖς τιμῶντας est, studiosum, cupidum esse honorum, iūs deditum esse, desiderari, duci, προσέχειν τοῖς

τοῖς λαλεμένοις ὑπό τινος \*), ad sensu probare id, quod ab altero traditum erat, προσέχειν τῷ Καίσαρι, factionem Caesaris sequi, et προσοχὴ νόμων tribuitur \*\*) ei, qui praecpta sapientiae agendo studiose exprimit. Quot ergo modis, quot ex causis consiliisque animus potest atque solet ad aliquid aduerti, tot modis explicando vertendoque notio tradi potest, exprimens modum, causam, consilium, quo nunc, in hac re, ab hoc homine, ad hanc rem animus aduertitur. In integris vero sententiis, quas versio non potest ad verbum repetere, hac ratione vtimur, ut *rem*, a scriptore verbis suis expressam, exprimantus alterius linguae verbis iis, quorum adiumento lectores ad eamdem *rem*, quam scriptor verbis suis expresserat, in universum cogitandam deueniant. Ita vero rursus loco significationis sensus traditur. Quod si λόγοι ζωῆς ἐπέχειν \*\*\*) non verti potest, doctrinam salutarem porrigere, exhibere: neque συντρέχειν εἰς τὴν αὐτὴν τῆς ἀσωτίας ἀνάχυσιν †), concurrere in idem luxuria inquinamentum: tradatur sensus et res aliis quibuscumque verbis. Ita prius erit, doctrinam salutarem praeferre ‡‡): posterius vero,

ruere

\*) Act. Apost. 8, 6. cf. v. 12. ubi illud ipsum, προσέχον τοῖς λαλεμένοις, permittatur cum πιστεύειν. Cf. Act. 16, 14.

\*\*) Liber Sap. Sal. 6, 18.

\*\*\*) Epist. Pauli ad Philipp. 2, 16.

†) Prior. ep. Petri 4, 4.

‡‡) h. e. vita factisque spectandam exhibere, demonstrare, ut alii eius vim et praestantiam agnoscent, et adamare incipiunt. v. Beza et Erasm. Schmid. ad h. l. Hunc vero sensum mihi quidem admittere videtur

*ruere in eamdem scelerum sentinam, voraginem \*).* Non possunt poetae \*\*) verba, ἀρχαὶ ἵπληρθντο, verti, *magistratus explebantur*; sed res et sensus est, *magistratus frequentes conueniebant, consilium frequens aderat.* Aut quod Dionysius Halicarnassensis \*\*\* dicit, ἡ πόλις ἐν καλλίσῃ κεῖται συνόδῳ τῶν ἄλλων πόλεσι, quis ad verbum vertet? cum sensus,

detur cum linguae ratio, tum series orationis, confirmatque latini sermonis similitudo, si quis modo illud *prae se ferre* satis intelligat. Ceteras versiones verbi ἔπειχεν in hoc loco, *babere, tenere, rueri, continere, attendere* (de qua vid. Theodoret. ad h. l. et iam̄ ἔπειχεν τι et ἔπειχεν τινι confundit) non sustineo diiudicare; sed illós probare non possum, qui hic loquendi formulam graecam' quaerunt, τέτο ἔπειχει λόγος τινὲς, *hoc tenet locum alicuius rei*, veluti cum stellae dicuntur noctu lucis locum tenere, ἔπειχει λόγος φωτὸς: quam quidem loquendi formulam Chrysostomus hoc loco respicere videtur, (etsi eius rationem non satis adsequor) et. Wetstenius illustrauit. Non possum, inquam, hos probare, quia λόγος ξωῆς in libris sacris haud dubie semper est *doctrina salutaris*, et, quidquid ad illam phrasin mere graecam' hue transferendam diceretur, mea quidem opinione valde contortum foret.

\*) vid. Lamb. Bos in obseruatt. ad N. T. et Wetstenius ad h. l. et Albertus ad Hesychium, qui ἀνάχειν interpretatur φορμόν. Etiam id, quod in catena Oecumenii (p. 160. edit. Veron. a. 1532.) reperiatur, ἀνάχειν esse τύχην, eodem redit: et cum vulgata versio *confusionem* expresserit, adparet, unde hoc sit, et quem sensum habeat: nempe nunc *colluviem* indicat.

\*\*) Euripid. Androm. v. 1097.

\*\*\*) Archaeol. lib. 8. p. 484. ed. Sylb. Cf. Xenoph. hist. gr. 6, 2, 6. ἡ νῆσος ἐν καλῇ κατοι τὰ βλάπτειν, aportune sita ad nocendum.

*sensus sit, urbem opportune fitam esse ad commune gentis concilium.*

Si certa sunt, quae haec tenus dixi: sequitur, sensum loci a significatione verborum singulorum differre; et sensum in versionibus saepe numero ita, ut paulo ante definitum est, exprimi solere.

Quem ad modum autem haec de versionibus valent, ita tum quoque discrimen sensus ac significationis spectatur, cum scriptorem aliquem sine consilio vertendi explicamus. Nemo enim interpretem, singula verba singulosque modos loquendi illustrantem, muneri suo satisfacere existimat; sed rem, quae sub illis verbis latet, et sensum ostendi sibi volunt atque aperiri. Hoc autem non tantum fit explananda materia, quam scriptor tractauit, veluti historia; ritibus, placitis philosophiae, et aliis; sed opera danda est interpreti, ut lector in omnes partes verba versare, multisque modis cogitare discat; ut, si Europaeus fuerit, sermonem populorum orientis usque eo comparet cum sermone suo, dum alterum cum altero permutare, et rem suo modo cogitare, suisque verbis exprimere possit; ut antiqua cum recentioribus comparet, eaque dignoscat; ut poetas a vulgari sermone discernat, et hunc illico cum poetarum sermone permutare possit; ut id, quod iuxta scriptoris verba non nimis vrgeri potest, adcurate definiat, ne quid amplius limitandum, excipendum, dubitandum, mitigandumue relinquatur; ut et tropos, et vitae communis sermonem ad eas notiones reuocet, quae in scholis philosophorum definitae, artiumque vocabulis certis et ubique receptis expressae sunt; ut definitionem definitae rei substi-

substituat, et vicissim; ut loco circumlocutionis ac descriptionis nominet uno verbo rem, cuius descrip<sup>tio</sup> et periphrasis in loco, quem tractat, occurrit; ut multas inuicem linguas comparet. Et sunt multo plura. Sed in his omnibus haud dubie discrimen significationis a sensu animaduerti potest, et ut quisque interpres perspicuitatis est studiosissimus, ita maxime relictis significationibus sensum exprimere conatur, quoniam, qui illas tenet, hunc non raro ignorat. Nam tralaticium est, non nullis, maxime tironibus, significationes omnium alicuius loci verborum notas esse; neque tamen hos sensum loci vel adsequi, vel verbis exprimere posse. Alius contra, praesertim cui celerius ingenium contigit, sensum loci facile comprehendit, siue potius suspicatur; etiamsi interrogatus de ipsis verborum significationibus, hoc est, de causis, cur hunc sensum loci esse putet, et de modo, quo inesse putet, nihil adcurate respondere potest.

Iam cum satis videar lectoribus in memoriam reuocasse, vbi distet significatio ab sensu, et quid hoc in vniuersum sibi velit: liceat ulterius docere, quibus modis soleat sensus pro significacione ponи. Ita passim adspergi poterit, quae inde orientur officia cum eius, qui vertit, tum illius, qui explicat librum; quem usum haec res habeat; quas denique cautiones.

Iam multiplici quidem ratione fieri solet, ut, verba non pressae sequentes, rem atque sensum tradamus; nec sustineat aliquis, omnia genera enarrare: sed si quis huius rationis exempla et genera ea, quae, non temere adrepta, sed consilio de-

lecta; hac disputatione pertractare constitui; diligenter ac saepius secum cogitauerit; eum arbitror in plerisque locis normam habiturum, ad quam singula exigat.

Vbi ergo, id quod primum erat, significatum alicuius verbi ne possumus quidem uno verbo exprimere, vel quia obscura foret aut verbis adstricta nimis versio, vel quia verbum semel tantum occurrit, vel quia nullum alterius linguae ei plane respondet \*), vel quia factum et inuentum est a scriptore, (quo quidem genere Homerus, Pindarus, Aeschylus, et anthologici illi epigrammatum auctores, male seduli ut plurimum imitatores dictionis tragicae atque lyricae, redundant) vel quia in arte aut disciplina, aut ab arbitrio scriptoris, ampliorem angustioremque, quam in vita communi, significationem accepit: necesse est, ut aut notionem aliquam tradamus, quae cum notione verbi, quo scriptor usus est, recte permutari possit \*\*), aut circumlocutione utamur, qua modo definiatur, modo describatur, modo diuisione aut partitione explicetur notio verbi eius, quod interpretari voluimus. Hic vero quis non videt, sensum loco significationis ab interprete tradi?

Videamus de genere priore, quod notiones permuat. Quid sit αὐτελεύθητον, neminem fugit; sed cum apud Sophoclem \*\*\* ) Oedipus indignabundus

\* ) Tale est σύντινεια. vid. ad Longin. de sublim. 30, I. Item αὐθάδεια. cf. Fischeri index Theophrast. h. v.

\*\*) vid. supra pag. 63.

\*\*\*) Oed. Tyr. v. 344. p. 166. ed. Steph.

bundus Tiresiam inexorabilem dicit ἀτελεύτητον, facile quidem adparet, si sensus spectetur, eum dici *contumacem*, *intratibilem*, *cedere nescium* \*); nihil tamen horum ipsam verbi significationem exprimit. Nam haec eo continetur, esse hominem, *finire nescium*, qui numquam definat obloqui, reluctari, quocum si finitam confessamque rem putes, semper recrudescat controuersia. Quam verbi vim si quis exprimat illis verbis, *contumax*, *intratibilis*, *cedere nescius*, is nonne cum una notione, hoc est, cum significatione verbi, permuat aliam, eamque similem? Sin tenerit etymologiam, et cum Abreschio ad Hesychium *finire nescium* dixerit, nonne tum ulterius explicandum erit, atque e verborum contextu definiendum? Nam pluribus modis dici potest *finire nescius*. Quapropter et ad breuitatem, et ad perspicuitatem profuerit, sensum exprimere notionibus permutandis. Talia sunt, cum ἀπλότητα \*\*) interpretantur *ingenueam liberalitatem*, aut καταναρχῆν \*\*\* ) vertunt durum erga alios, iis molestum esse.

Sed huiusmodi interpretationibus, quae permutandis notionibus censentur, omnia plena sunt, praesertim in explicandis scriptoribus hebraicis, et poetis e genere elatiore. Vel festinanter percurrenti glossaria et scholia vbiuis multa offerentur

### E 3 exempla

\*) Ac talia fere sunt in scholiis, δυσεξίωτος, δυσταράκλυτος, ἀμήλιχος.

\*\*) Poster. ep. ad Corinth. 8, 2. 9, 11. In priore loco unus codex habet glossema, χριστότητος, et Chrysostomus ac Theodoretus permurant cum his, φιλοτιμία, προθύμως παρέχειν, δαψίλεια, ἐλεημοσύνη.

\*\*\*) Ibid. II, 8. cf. Hesychius in κατανάρχησα.

exempla. Hinc pleraeque explicationes librorum veteris et noui testamenti in operibus Chrysostomi \*), Theodoreti, Theophylacti. Hinc tot variae

\*) Eorum causa, qui ipsa scriptoris huius opera tractare non posunt, exempla quaedam hic posui. Ergo ex homiliis in priorem epistolam ad Corinthios haec excerpti:

- |                                      |   |
|--------------------------------------|---|
| I, 19. ἀπάλεσεν δὲ θεὸς τὴν σοφίαν — | ἔδειξεν μέσαν ἀνόητον.  |
| VII, 34. μεμέρισαι οὐ καὶ παρθ. —    | διεγέκεστι.   |
| IX, 17. οἰκονομίαν πεπίσευμαι —      | καρύζει ἐπεταττόμενον.  |
| — 26. ὡς ἀδύλως — —                  | ὡς ἀκῇ χρῆ μάτην, πρὸς σκοπὸν βλέπων.   |
| X, 13. ἀνθρώπινος πειρασμός —        | μικρὸς, βραχὺς, σύμμετρος.  |
| X, 16. κοινωνία τῶν αἵματος —        | μετοχὴ, i. e. <i>fruitio</i> , plane ut in Vulg. vers. <i>participatio</i> . Menter Chrysostomi et vulgatae vers. recte adsecuti sunt auctores Libb. symbol. p. 600. ed. Rechénb. |

Quae sequuntur, petita sunt ex homiliis in posteriore rem epistolam ad Corinthios.

- |                                |  |
|--------------------------------|--|
| I, 9. ἀπόκριμα — —             | ψῆφος, κρίσις, προσδοκία.                        |
| V, 13. ἔξεσμεν — —             | μέγα τι φεγγόμεθα.                               |
| σωφρονύμεν — —                 | μέτριόν τι καθ' ταπεινὸν λαλῶμεν.                |
| — 14. συνέχει — —              | ὡς ἀφίσις ῥαθυμῆσαι, ἡσυχάζειν, ὑπνῶσαι.         |
| VI, 14. ἔτερος γενῆ — —        | ἔσυτὸν ἐκκλίνειν.                                |
| IX, 8. ἡς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν — — | ηνα καὶ ἔτέροις παρέχετε.                        |
| X, 1. ταπεινός — —             | εὔκαταφρόνιτος.                                  |
| Ταρρῶν ἡς ὑμᾶς —               | φυσῶμαι, κομπάζω, κατεξανίσκω μάλι.              |
| XI, 7. ἐμαυτὸν ταπεινῶν — —    | ἐν τενοχωρίᾳ διαγεγάγω.                          |
| — 28. η ἐπισύτασίς με — —      | αἱ πολυορθίαι τῶν δημων, αἱ ταραχαὶ, οἱ θέριβαι. |
| XIII, 4. Γυπόμεθα — —          | σωζόμεθα.  |
| — 9. ἀνατολ — —                | ἐνάρετοι, δόκιμοι.                               |

riac lectiones, ex glossematibus in margine positis ortae, et merito e numero variarum lectionum eximendae. Hinc innumera in veteris testamenti versionibus graecis: nam qui vel Trommianos indices inspexit, aut lexica, his indicibus et Montefalconiano operi hexaplari adiecta, etiamsi versiones ipsas non tractauit, is non potuit non animadvertere, unum verbum graecum, tot hebraica exprimens, non ubiuis significationem exprimere, sed plerunque sensum.

Quodsi hanc in interpretando visitatam notio num perinutationem uno verbo exprimere, remque ad suum genus referre velimus, metonymia est et synecdoche, si cum rhetoribus loquamur; si a philosophis nomina mutuemur, adiunctum aut connotatum. Nam interpres exprimit illud, quod rem, quam scriptor dixit, antecedit aut sequitur, aut ab hac re efficitur, aut ullo modo, siue natura, siue cogitatione, cuius re coniunctum est. Qui ergo nouit, quid metonymia sit, quo fundamento nitatur, quot generibus contineatur, is de huiusmodi interpretationibus facile iudicare poterit. Qui cogitat, adiunctorum et connotatorum notiones nexus rerum (relatione) niti, is non mirabitur, si, in millesim huius nexus modis, millesimae permutationes notionum reperiantur, si alia gens et lingua alium nexum spectet, si alter

E 4

nexus

Eorum causa, qui graecas literas tractant, addo, multis in glossariis antiquis obuias interpretationes, ad libros sacros N. T. pertinentes, e Chrysostomi homiliis petitas esse; et glossas V. T. saepe e Theodoreti commentariis explicari. Nec pauca videntur ex Isidori Pelusiota epistolis fluxisse in glossaria.

nexus plus perspicuitatis habeat altero, si, ut quisque versatissimus sit cogitando, ita facilime nexus reperiat, si, ut maxime se subtilitati cogitandi adfuefecerit, ita maxime propinquum notionum nexus inuestiget, si denique incredibilem interpretum atque interpretationum diuersitatem viderit.

Iam quo veriora sunt, quae exposui, (firman-  
tur enim constanti vsu omnium, qui interpretando  
occupantur) eo magis mirandum est, fuisse, qui  
hoc interpretandi genus leuitatis et negligentiae  
accusarent, niuum a verbis recedi, et significa-  
tiones, quae nullae essent, temere fingi existima-  
rent. Quid vero? Estne ille leuis, qui ante  
omnia, quid in verbis ipsis aut per etymologiam  
aut per usum loquendi sit, edisserit, h. e. ipsam  
significationem declarat, atque, si in ea nihilo  
minus aliquid obscuritatis sit, illam verbi significa-  
tionem in aliam partem versat, illius notionis cum  
aliis nexus (relationem) scrutatur, metonymiam  
ut metonymiam tractat, donec notionem adcom-  
modate ad verborum contextum cum alia permu-  
tare possit? Eritne tandem grauior et diligentior,  
qui, quod verbum paulo ante \*) commemorauit,  
*καταραγησθεντι*, etymologiae conuenienter et argu-  
tius explicet, vel *reddere torpidos*, seu flagitando  
obtundere; vel *obtorpescere*, seu taedio fatigari et  
studium remittere; vel *esse torpidum*, seu sine  
sensu, durum, immisericordem? Eritne ergo hic  
diligentior, quam qui, his omnibus praemissis,  
tamen ad extreum nihil aliud inde consequi et  
intel.

\*) Pag. 69.

intelligi dixerit, quam *molestem* aliis, seu in exigenda mercede acerbum esse? praefertim cum scriptor ipse alibi sic loquatur \*). Quid, quaeſo, ad veritatem et perspicuitatem deerit, si loco significationis ita tradatur sensus? Frustra igitur monent et vrgent, non esse has significationes, si quis πνευματικὲς interdum dicat esse *proiectiores*, *perfectiores*, *revera in melius mutatos christianos* \*\*), σάρκικὲς autem parum firmos et *instructos*, *rudiores* \*\*\*), et σάρκα τοῦ αἵμα exiguam, qualis hominum est, *scientiam*, monitu diuino destitutam, sibi plane permittam \*\*\*\*). Quis vñquam dixit, has esse significationes ipsas, quales proprie et angustius dicuntur? Imo sensus horum verborum in alia lingua, legitime e contextu verborum permutatis notionibus, sic exprimitur. Scilicet, vt exemplo vtar, idem est, siue dicas ἐννοιῶ ἐκ τῷ κόσμῳ, siue ἐννοιῶ ἐκ τῆς γῆς, siue ἐννοιῶ ἐκ τῶν κάτω: nam haec a sacris scriptoribus promiscue dicuntur †). Vnde fit, vt etiam ἐννοιῶ ἐκ τῷ Θεῷ, ἐκ τῷ ἀγανά, et ἐκ τῶν οὖν eamdem rem exprimant: nam et haec promiscue dicuntur ‡). Iam vt illa verti debent *mundanus* et *terrenus* et *inferus*, ita haec *diuinus*, *coelestis*, *superus* ‡‡). Hae sunt

E §

ergo

\*) 2 Cor. 11, 13. 16.

\*\*) Ep. ad Galat. 6, 1.

\*\*\*) 1 Cor. 3, 1.

\*\*\*\*) Matth. 16, 17.

†) Euang. Io. 8, 23.

‡) Ibid. 3, 31.

††) Hanc versionem, quae talia exprimit adiectivo, primo postulat sermonis, ex hebreo et graeco mixti, consuetudo. Nam si ὁρεὶς ἐκ τῆς ἀληθίας sunt, dediri

ergo significaciones, quae genus exprimunt. Sed sufficitne hoc scire? Imo vero nisi progressus fueris ad speciem inuestigandam, illa generis notio ne tantillum quidem proderit. Iam vero *terrenus* est vel vilius, vel imperfectus, vel inscius, vel vitiatus, vel periturus. Quot ergo modis variatur (determinatur) notio verbi *mundanus* seu *terrenus*, totidem modis variari notionem verbi *diuinus* seu *coelestis*, in prout est. Itaque *coelestis* est vel praestans, vel perfectus, vel intelligens, vel vitii expers, vel duraturus. Quod si quis dicat, Ioannem ἐκ τῆς γῆς ὄντα, si cum Christo compareatur, esse *minorem*, *viliorem*\*): is sane non vertit ad verbū; sed nonne sensum verum et adiunctam  
verbo

*dediti vero*, h. e. *intelligentes et amantes veri*. Io. 18, 37. quod ipsum i Io. 3, 19. significat, *integrum, probum effq.* οἱ ὄντες ἐξ ἐριθίας, *dediti contentioni h. e. renentes, immorigeri*. Rom. 2, 8. οἱ ὄντες ἐκ τῆς πονηρῆς, *proclives ad facinora, facinorosi*. i Io. 3, 12. ἡ βαλή ἐξ ἀνθρώπων ἔσται, *machinatio mere humana*. Act. Apost. 5, 38. Secundo ipsi scriptores sacri hunc loquendi modum cum adiectiuis permutant, vt lac. 3, 15. τὸ ἄνωθεν ἐρχόμενον opponitur τῷ ἐπιγάνῳ. Ergo τὸ ἄνωθεν ἐρχόμενον est *coeleste, diuinum*. Item 2 Cor. 5, 1. 2. τὸ οἰκητήριον ἐκ θεῶν et ἐξ αὐτῶν, opponitur τῷ ἐπιγάνῳ, (est ergo *coeleste, diuinum, h.e. immortale*) et coniungitur cum αἰώνιοις, ἀχειροποίητοις. Ergo omnes haec loquendi formulae tractandae sunt, vt adiectius, praeterquam ibi, vbi ipsa historia et res in facto posita declarat, accipendas esse ad literam, vt cum de homine creato dicitur, ἦνται ἐκ τῆς γῆς, aut de Christi in has terras aduentu, ἦνται αὐτοὶ ἐληλυθόται. ἐξ αὐτῶν.

\*). Io. 3, 31.

verbo *terrenus* notionem indicat \*)? Num vero hac de causa leuior est, quam qui vertit, *Ioannes est e terra?* Num ille fingit aliquid, interea dum alter, verbis adstrictus, vera loquitur? Quod si quis alibi \*\*), hac ipsa obseruatione tutus, hanc sententiam, 'H ἐπιθυμία ἐκ τῆς κόσμου ἐστι, verte-rit, *cupiditatem esse vitiosam:* malet quidem unus et item alter hoc multo diligentius dici; sed quare et quo iure malit, ipse viderit. Et quis vel cum exigua veri specie negare potest, τὸν ὄντα ἐκ Θεοῦ esse \*\*\* ) intelligentem religionis, *Dei rerumque di-  
vinarum cognitione imbutum, Θεοδιδάκτορον*, ideo-que verum christianum, et nominatum verum do-ctorem? Aut quis iure dubitet, χοῖκὸν esse mor-talem, ἀράνιον immortalem \*\*\*\*)? Si ergo par-tim grammaticae rationi, quae in aliis linguis va-let, contrarium est, talia ad verbum vertere; par-tim non sufficit generis notionem exprimere, ut *diuinus*, *coelestis*, sed ad perspicuitatem necessè est, generi subiectam speciem quaerere, h.e. qua-tenus dicatur *diuinum*, *coeleste*; et, quod maxi-mum est, si horum omnium varia exempla occur-runt, ut adpareat, non ubiuis eodem modo dici:  
nonne

\*) Ipse enim scriptor (ibid.) in verbis δὲνωθεν seu ἔξ ὑπανθέτηρχόμενος cogitari vult *celfissimum*, τὸν ὄντα ἐπάνω πάντων, ut adiunctam his verbis notionem.

\*\*) Prim. ep. Io. 2, 16.

\*\*\*) Ibid. 4, 6. cf. Io. tert. epist. v. 11.

\*\*\*\*) 1 Cor. 15, 47. sqq. Quem ad modum au-tem hoc loco δὲν ἐκ τῆς γῆς ἐστι χοῖκὸς significat, *homini-nem e terra formatum esse mortalem:* sic Io. 3, 31. ὁ ὥν ἐκ τῆς γῆς ἐστιν ἐκ τῆς γῆς significat, *homo in his terris natus est vilis et humiliis.*

nonne licebit, in quolibet loco speciem pro genere nominare, aut e genere concludendo deriuare speciem, hoc est, sensum loco significationis tradere? Poteram eodem modo de verbis *πνευματικὸς* et *σαρκικὸς* differere; sed lectoribus parcendum est. Vnum illud addo, hac permutatione notionum, de qua cum maxime dispuo, in religione tradenda ad notiones eas, quae dogmaticae et propriae dicuntur, perueniri, dum e variis modis vnius rei describendae eligitur aut eruitur is, qui rem proprie exprimit, aut e nominibus *ἀνακαινώσεως*, *καινῆς κτίσεως*, *ἐπιστροφῆς*, *ἀναγέννησεως* concluditur, intelligi vel discessionem a religione, quam quis huc usque secutus est, ad christianam, vel discessionem a sensibus prauis et viatae ratione peruersa ad sensus vitiumque, quales doctrina Christi postulat. Non est finita plane et dogmatica notio, corpora nostra olim *coelestia* fore; sed ea fore *aeternum duratura*, haec dogmatica est et finita plane notio.

Neque vero desunt, qui hac permutterandarum notionum ratione male intellecta male utantur. Nam quodcumque verbum viderint in glossariis, lexicis, versionibus aut commentariis, explicandi causa pro eo positum, quo ipse scriptor usus est, hoc putant exprimi verbi significationem. Itaque hanc opinatam significationem adripiunt, et alio transferunt, quasi iam de usu loquendi planissime constet, siue patiatur verborum contextus, siue repudiet, siue idem, siue aliis sit notionum nexus. Cuius generis exempla proponam, non quovanitate alienorum errorum delecter, sed quia haud raro sic erratum vidi, adeoque literarum studiosos

dioses monendos putaui. Vidi ergo, qui in Ouidiana\*) descriptione Penei, fluuii, per Thessaliam Tempe labentis, haec verba,

*Peneus — sonitu plus quam vicina fatigat,*  
 sic interpretaretur, Peneum fluuum deiectu aquarum non modo viciniam, sed et remotas regiones excitare, hoc est, attentionem hominum excitare, ut aures adrigerent. Mirabar primo, quid esset, quare *fatigandi* verbum hoc potissimum modo accipiendum putaret; sed causam percunctatus intellexi, hanc proferri, quia in aliquo Virgilii loco \*\*), ubi quis *socios fatigare* dicitur, *fatigare* haberet vim *excitandi*. Proinde et in Ouidiano loco eidem verbo videri eamdem significationem tribui posse. At quanta tandem est haec notionum atque rerum confusio! Apud Virgilium *fatigat socios*, qui adsidue instat hortando monendoque, aut, si sensum alio verbo exprimere velimus, qui *socios excitat*, instigat. Et hoc tu adripies, atque, quia *fatigare* hoc loco sic explicari potest, dices, *fatigare* ubiuis esse posse *excitare*, et de quocumque genere ac modo excitandi dici? Et fluuum strepitum aures fatigantem interpretaberis aures excitantem? Imo vero *sonitus fatigans* fluuius est adsidue strepens, tam adsidue, ut ad extreum aures possint fatigari, et *vicina fatigans* est, cuius strepitus adsidue, sine fine, ad fatigationem usque, auditur per viciniam. In his ergo ne tantilla quidem est cum Virgiliano loco similitudo, modo ne sensum verbi *fatigare*, in loco

Vir.

\*) Metamorph. 1, 573.

\*\*) Aeneid. 4, 572.

Virgiliano notionibus in hoc verborum contextu legitime permutandis expressum, habeamus pro significatione verbi, aut notione, coniuncta cum verbo per usum loquendi. Aliud exemplum notaui. Legerat aliquis apud Ioannem \*), ἔχειν τὸν πατέρα, ἔχειν τὸν υἱόν, idque audierat ita explicari, *cognoscere patrem*. Hac observatione adiutus ille sibi videbatur tenere artem expediendi loci difficilis \*\*), ubi mulieres iubentur ἔχειν ἑξάστιαν ἐπὶ κεφαλῆς: nam hoc sine haesitatione sic exposuit, *debent agnoscere imperium in capite suo* (h. e. in persona mariti, scilicet imperium mariti). Vix attinet haec refutare; dicam tamen contra, ut de confusa significatione verborum cum sensu loci constet. Scilicet sensus formulae loquendi, ἔχειν Θεὸν, exprimi sic potest, *cognitum habere Deum*, (quamquam haec explicatio nondum omninem rem exhaustit, quoniam partim e contrario, αἰγνήσθαι τὸν Θεὸν, intelligitur, eum, qui suscepit doctrinam teneat, dici ἔχειν τὸν Θεὸν, partim in hac epistola ἔχειν Θεὸν, et κοινωνίαν ἔχειν μετὰ Θεῷ, et εἶναι ἐν Θεῷ permutantur, indicantque omnem illam necessitudinem, religione effectam, quae hominibus cum Deo intercedit, cuius non nisi pars est cognitio Dei) sensus ergo sic potest exprimi; sed haec propterea non est significatio verbi ἔχειν, quam, quocumque deum velis, transferas. Sed ut in his exemplis error apertus est, ita vereor, ne simili modo e versione codicis hebreai Alexandrina, sensum suo modo laxius exprimente,

haud

\*) Epist. pr. 2, 23. 5, 12.

\*\*) Prior. ep. ad Cor. 11, 10.

haud paucae significationes adfictae passim sint verbis hebraicis, quae iis significationis nomine ac loco tribui non possunt. Tum graecis illius versionis verbis, quibus non significationes singulorum verborum, sed sensus loci utcumque expressus erat, tamen, quasi verbum verbo redditum esset, interdum significationes obtrusae, et inde in noui testamenti libros illatae sunt: id quod Heinilio in sacris exercitationibus saepius accidisse, vereor.

Satis dixi de modo tradendi sensum loco significationis singulorum verborum, qui modus continetur permutatione notionum. Alter modus, ut supra \*) propositum est, pertinet ad circumlocutionem eius verbi, cuius notio non potest alio verbo uno, exhaustente notionem eamdem, exprimi. Ac si quilibet scriptor eiusmodi verba ipse definiisset, ut Andocides \*\*) ἐπιτιμίαν in iure atico, Cicero \*\*\*) mores in libris Academicorum et Peripateticorum; aut si verba ex hoc genere omnia essent artium disciplinarumque vocabula: facilior foret haec pars interpretationis. Nunc cum verba quoque vitae communis, pro arbitrio scriptoris, tantum uno aliquo in loco, habeant vim et significationem, auctam variis accessionibus, quas nec usu loquendi nec aliis in locis constanter adiunctas habent; siue, cum in quibusdam locis verba quaedam accipient ampliorem significationem, quam quae vulgo est per loquendi usum; ideo-

\*) Pag. 68.

\*\*) Orat. de mysteriis p. 36. ed. Reisk.

\*\*\*) Quaest. acad. I, 5.

ideoque necesse sit, interpretis acumine et diligenter haec definiri, ex oppositis, e consilio orationis, ex omni verborum contextu, ex historia: res est multo difficilior, nec mirari debemus, si in his constituendis homines in diuersas sententias discedant. Notabilis est in hanc rem locus Matthei \*), in quo πληρῶσαι τὸν νόμον ἡ τὰς προφῆτας verti solet, aut vitam agere, iis, quae a Mose et prophetis tradita sunt, consentaneam, aut doctrinam Mosis atque prophetarum tradere, aut facere, dicere, perferre ea, quae ab antiquis illis scriptoribus praedita sunt. Sed nulla harum interpretationum, per se spectata, sensum integrum exprimit. Nam et si cum verbis καταλῦσαι et πληρῶσαι pauculo post λῦσαι et ποιῆσαι permutantur, et ita permutantur, ut propter illud ποιῆσαι (v. 19.) nihil aliud, quam obedire aut non obedire prae scriptis doctrinae, intelligi possit, ideoque in καταλῦσαι et πληρῶσαι idem cogitandum sit: tamen ad hanc significationem accedit alia, scilicet, doctrinam hanc vere et exacte tradere, ne alii in errorem sentiendi agendue deducantur \*\*). Accedet autem

\*) Matth. 5, 17.

\*\*) Chrysostomus in homilia ad hunc locum, enumeratis variis de verbo πληρῶσαι sententiis, tandem eam potissimum tenet, de qua nunc loquor. Dicit ergo inter alia, 'Ο χριστὲ διορθῶτε τὸν νόμον. Τρεινότερον μέλλει λέγειν. Τὰ ὑπὸ τῆς χριστῆς λεγόμενα εἴκ τούτη ἀναφέσει τῶν προτέρων (i. e. legis et prophetarum,) ἀλλ' ἐπίτευξις (diligentius urget, severius inculcat) οὐχὶ πλήρωσις. Ο χριστὸς ἐπίτευξις τὴν ἀρτήν. Οὐκ ἐναντίσταται, ἀλλὰ συγχρετεῖ αὐτά. Ο νόμος ἔχει πλεῖστα ἀσφάλειαν. Ταῦτα late patet ut putat Chrysostomus vim verbi πληρῶσαι hoc loco: nam haes omnia uno illo verbo vult comprehendendi.

tem necessario. Nam primo Christus diserte addit (v. 19) διδάσκειν, ideoque auget verbi ambitum, et, qua parte ipse hoc loco spectari, quid itein addi et simul intelligi velit, declarat. Atqui hic verborum suorum interpres audiendus est. Secundo disputat aduersus iudaicos doctores, qui doctrinam diuinitus acceptam non modo viuendo violabant, sed et interpretandi calumniis peruerterebant. Tertio per omnein hunc locum, vbi longo sermone demonstrat, se doctrinam veterem πληρῶσαι, quid quaeſo facit? Neimpe doctorem se gerit, suam disciplinam disciplinae iudaicarum scholarum contrariam ponit, doctrinamque religionis exacte et vere tradit. Ut ergo verbis λῦσαι et ποιῆσαι diserte adiungitur id, quod modo dixi: sic verbis καταλῦσαι et πληρῶσαι, quibus cum illa permutantur, idem intelligendo adiungendum est; non quo haec coniuncta significatio ſit constans, sed quia ad significationem unam hoc loco accedit altera, ut duae simul intelligantur \*). Et cum Christus dicat, primo ſe velle πληρῶσαι, ſecundo ſe nolle καταλῦσαι, tertio eum deum probandum eſſe, qui et viuat, ut poſtulet doctrina, et vere exacteque eam tradat, necesse eſt, ut Christus πληρῶν τὸν νόμον παὶ τὰς προφήτας ſit, qui

\*) In verbo πληρῶν, ſi dicatur doctrina πληρωθεῖν, in eſſe notionem ſatisfaciendi doctrinae vita factisque, nemo dubitat propter exempla (Rom. 13, 8. Gal. 6, 2.). In eodem eſſe vim accuratius docendi, oſtendit uſus verbi ζητεῖ. cf. Buxtorf. Lex. Talmud. p. 451. Vitrinæ Obſeru. Sacr. T. I. p. 207. Schoettigen. Her. hebr. et talm. T. I. p. 27.

qui secundum illam doctrinam agit, eamque recte tradit aliis. Ominus res ad hanc argumentationem redit: Quales fuere iudaici doctores, talis Christus neque esse, neque haberi vult. Atqui isti et docendo et viuendo doctrinam diuinam perverterunt (id quod est *καταλύσαι*). Ergo Christus eam et docendo et viuendo stabilire vult (id quod est *πληρώσαι*). Quodsi ille interpres, qui viam tantum verbi notionem tenet, nec nisi vitam legibus congruam in verbo *πληρώσας* admittere vult, sensum omnem huius loci non exhaustus: iisdem de causis in errore versatur is, qui in hoc verbo nihil nisi significationem recte docendi agnoscit, omissa altera. Quod autem non nulli in illo *πληρώσας* euentum vaticiniorum spectandum iudicarunt, id non tam in hoc quidem Matthaei loco verbo huic inest, quam inesse posse, et alibi inesse, per hanc occasionem dici solet. Sed insit. Non repugno. Tamen si quis unum hoc respici velit, id rem non conficit: cum hic simpliciter dicatur, qualis doctor religionis Christus esse velit, de omni autem eius opere, vaticiniis congruo, non sernio sit. Sed haec, quae sexcenties iam dicta sunt, ad nostram hanc disputationem transferamus. Si ergo *πληρώσας* est, docendo viuendoque stabilire, munire: facile adparet, hanc interpretationem ab usitata verbi significatione non pendere; sed ambitum significacionis, quam hic locus postulat, per partes eundo emetiendum esse, et notionem verbi colligendam ex usu loquendi, ex oppositis, ex consilio orationis, ex iis, quae scriptor ipse addidit, et cum his verbis coniuncta esse voluit, ex historia: nam haec singula aliquid ad

ad expletam perfectamque horum verborum notionem hoc loco conferunt. Sed notio, tot partibus constans, vix poterit uno alterius linguae verbo exprimi, in quo eadem omnia insint. Quinquain enim non male quis λῦσας verterit, peruertere, et πληρῶσαι, stabilire, tamen quaerendum restat, quid sit peruertere aut stabilire doctrinam, (nam hoc pluribus modis fieri potest) et uberior explicandum, ut lectors sciant et cogitent, scriptorem velle potissimum hoc: doctrinam per columnam explicari, et a doctore secus, ac religio vult, vivi. Quare interpretatio ad circumlocutionem reddit, quae ubi est, sensus loco significationis traditur. Huc ergo saepe animum aduentent sacrarum literarum studiosi in verbis, quae sunt apud Hebraeos multiplicis significatus, ut ἀσθέεια, σὰρξ, πνεῦμα, et in quae verba interdum plures in eodem loco veluti compactae sunt significaciones, ut interpreti proponendum necesse sit, unum eiusmodi verbum explicare per duo latina. Vix sine circumlocutione explicari vbiuis potest illa βασιλεία τῶν οὐρανῶν, cum omnes verbi huius partes, (coetus Messiae, bona huic coetui propria et in his terris, et post hanc vitam, tum Deus auctor horum omnium, siue opus Dei in hac omni re instituenda, decernenda, exsequenda) interdum sint comprehendendae et compingendae.

Hic adspergere liceat, quae in eiusmodi locis mihi videantur officia eius esse, qui libros in aliud sermonem transfert. In priore igitur genere, cum notiones permutantur, poteram in uniuersum monere, dandam esse interpretanti operam, ut verbi, quod alteri substituitur, notio quam proxime accede-

ret ad notionem eius verbi, cui substituitur: a qua quidem diligentia summa versionum laus pendere solet: sed raro sufficit, in vniuersum praecipere; et quis non sponte videt, sic agendum esse? Experiar potius, singula genera enumerare. Debet ergo versio tropum exhibere, vbi ipsa scriptoris oratio ornandi variandique causa \*) tropo sua est: verbum efficac-

\*) Τυρὸν ἔθος, vt Graeci dicunt, (Lycurg. in Leocr. c. 10. ἀνυπατεῖν Plutarch. Pelop. c. 19.) non potest verti *humida indeoles*; vertetur ergo permutata metaphorā, *mollis, flexibilis, quae duci potest.* Ἐπεργυγῆν, *vergere, propendere in alteram partem.* 2 Cor. 6, 14. Cf. locus Photii apud Wetsten. et in Catena Oecumenii p. 533. Ρύξαν καὶ βόησον, Ies. 54, 1. Gal. 4, 27. *rumpere vocem.* cf. Init. ad Virg. Aen. 2, 129. Οσμὴ θαυμάτων et ζωῆς, *odor* (vt odores latine dicuntur res odoratae, aromata, vnguenta) *letalis et saluber, res odore enecans et reficiens.* 2 Cor. 2, 15. Cf. Buxtorf. Lex. Talm. p. 1493. Schoettgen hor. hebr. et Talm. T. I. p. 683. Schulz. in edit. epp. ad Cor. ad h. l. Sed quae adduntur explicandi causa, ἃς θάυματον, ἃς ζωῆς, ea verti debent, *noxius, vtilis, siue miseros aut felices reddens.* Nam haec additamenta non ornant, sed explicant, doctrinam eatenus dici hic rem odoratam, quae reficiat, quatenus vtilis est, felicem reddit hominem, ea vtentem: eatenus conferri cum odoribus enecantibus, quatenus damno vergit iis, qui eam sibi oblatam repudiant. Quod autem praeceptum hoc adstrinxī tropis, ornandi variandique causa adhibitis, id indicat, in ceteris tropis, qui in quotidianam consuetudinem abierunt, liberum esse interpreti, eorum loco verba propria usurpare: quod ipsum in multis, notionem religioni aut vlli disciplinae propriam experimentibus, locum habet, vt ἀναγεννᾶθαι, ἐπιτρέφεθαι, et in Academiorum scholis κατάληψις, quibus par tropus in aliis linguis vix responderit.

efficacius \*), vbi scriptor ipse tale verbum posuit: cauebit sibi a tropis, vbi scriptor ipse rem propriam dixit: non vtetur vocabulis artium et disciplinarum, velut vocabulo *perfectionis*, pro vitae communis vocabulis, velut *probitatis*, quibus scriptor usus est, vt fit, cum sacri scriptores hominem τέλειον dicunt: non exprimet genus tuum, cum in scriptoris verbis species est \*\*), neque antecedens loco consequentis \*\*\*): verba, quae vnicē ab animi sensu acriore pendent, vt conuicia \*\*\*\*), que-

F 3

relas

\*) Dico id, quod rhetores Graeci adpellant σημαντικὸν (viel bedeutend, sehr significant). Tale est apud Paulum ad Philipp. 3, 2. βλέπετε τὴν κατατομὴν, caeute vobis a mutilatione doctrinae, quam isti defensores Iudaismi moliuntur: et πτωχὴς εὐχῆς τῷ κόσμῳ, Galat. 4, 9. de legibus Iudeorum ritualibus, vt elementis admodum exiguis.

\*\*) Non vertet ἔργον καλὸν, recte factum, sed beneficium. Io. 10, 33. Matth. 26, 10. 2 Cor. 9, 8. Idem saepe fit in verbo πρᾶξ et ψῆ.

\*\*\*) Ἄτεγκτος ἀνὴρ, apud Sophoclem (in Oed. Tyr. v. 344.) non dicetur durus, inexorabilis, sed immensis. Apud Paulum (Rom. 8, 27. 1 Cor. 2, 10.) ἔρευναν τὰ πάντα non vertetur, noſſe, sed penetrare omnia (intelligendo). Scio haec similia esse; sed qui librum vertit, cogendus est, vt sit quam diligenter.

\*\*\*\*) Ad Matth. 5, 22. de illo ῥακᾷ Chrysostomus (p. 199. ed. Francof.) scribit: ἡ μεγάλης ἐστιν ὑβρίσις ἕημα, ἀλλὰ μᾶλλον καταφρούσσεις νοῦ ὀλιγωρίας. Hactenus bene: sed multo melius quod sequitur, vbi rem comparat cum vita communī: καθάπερ ἡμεῖς οὐκέταις ἡ τις τῶν καταδεσπέρων ἐπιτάττουτες λέγομεν. ἄπειδε σὺ εἰπὲ τῷ δεῖνι εὑρίσκω οἱ τῇ Σύρων κεχρυμένοι γλώττῃ ῥακὰ λέγουσιν, ἀντὶ τῆς σὺ τῷτο τιθέντες. Hinc multo rectius et versio et sensus reperiri potest, quam etymologia sestanda

relas \*), lamentationes, indignationem \*\*), tum vero proverbia, et similes proverbiorum formulæ \*\*\*), diligentissime comparabit cum vita communis, et, quod nostri homines tali tempore dicunt, versione exprimet, ne sensum vtcumque et in vniuersum tradat, neue verbis male adstrictam versionem efficiat: omnino hoc agit, ut substantia (subiecta) aestimet e natura et vi adiectiuorum et verborum (praedicatorum), cuius rei obseruatio in permutandis notionibus certissimam praebet normam, et praefens erroris negligentiaeque medium. Sed sufficiat, pauca monuisse: qui accuratius de his versionum legibus dicere velit, in primis causas harum legum inquireret. Sunt autem hae causae in consilio vertendi presse, non explicandi laxe; in officio cum fide vertendi; in studio efficiendi, ut lector reuera cogitet rem, et cogitare possit; in necessitate exhibendi etiam bona extrema

Etanda, Nelo Chrysostomum et usum sermonis graeci in vita communis facere regulam interpretandi: noui illud παρὰ ex hebraica lingua explicari debere: sed monstrum, quid sit, talia communis vitae comparatione, aliasque gentis moribus et verbis conferendis, illustrare.

\* ) Ἡ ψυχὴ περιλυπός ἐσι οὐς θαύτης, angore prope modum enecatur aliquis.

\*\*) Bene vertit Lutherus verba Psalmi (69, 10); sed eadem illa verba, repetita in euangelio Ioannis (2, 17), male vertit. Ibi consuluit vitam communem, hic verbis versionem adstrinxit,

\*\*\*) 2 Cor. 10, 12. ἔαυτὸν ἔαυτῷ μετέμν, suo se modulo metiri: αὐγκρὺν ἔαυτὸν ἔαυτῷ, secum habitare, suam nosse supellectilem. Ibid. 6, 7. ἔχειν ὅταν δεξιὰ καὶ ἄριστα, ad utrumque paratum esse.

terna dictionis, unde vertitur; in consilio per linguam aliam efficiendi, ut scriptor sic, ut vertinus, debuisse loqui videatur, velut hoc proverbio, hac exclamatione, hac formula vti, si nostra uſus esset lingua.

Posteriorius genus, quod circumlocutione verbi continetur, unam mihi videtur praceptionem habere, si officia vertentis librum quaerantur, ut eodem modo, quo scriptor ipse, verbum ponat, quod notionem illam multis partibus compositam non exhaustit, sed aequat, qualia paulo ante erant λύσαι, *peruertere*, πληρῶσαι, *stabilire*. Ceterum lectors de augendo ambitu verbi hoc loco monebit: ita nec vituperabitur, quod non exhaustit rem et notionem omnem, (ipſe enim scriptor hoc non adsecutus est) nec dici poterit suam sententiam et explicandi rationem scriptoris orationi obtrusissimè.

Dixi de sensu loco significationis tradendo in explicandis aut vertendis verbis singulis. Veniendum est ad sententias et propositiones integras, quas ubi ad verbum vertere non licet, quia syllabatim velut annumerare lectoribus potius est obscurare, quam illustrare, ita tractamus, ut significationibus substituatur sensus. Quod quam vim habeat, supra \*) dixi. Interdum ergo, ubi scriptor signum alicuius rei ostenderat, interpres rem ipsam, illo signo notataim tradit: ut cum Deum, coelitus venientem, interpretes esse docent Deum, illustre opus edentem, aut omnino

agentem aliquid, scientem, propitium \*), non propitium: aut cum Christum, dextrum Deo sedentem, ostendunt esse Christum, cum Deo imperantem \*\*): aut cum in orientis scriptoribus sole obscuratum, lunam obfuscatam, sideraque tremefacta, monent esse tristissimorum temporum effigiem, adeoque, si quando haec cuenta naturae secutura dicantur, illud unum cogitandum esse, tristissima fore tempora, et ea, in quibus natura veluti ruinam minari videatur. Pertinent huc omnes loci, in quibus Deus velut adspectabili modo iudex futurus dicitur, formulis ab humana consuetudine de promtis, hoc est, si sensus spectetur, ἀποδώσων ἐκάστῳ κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτῷ, ut est Matth. 16, 27.

In

\*) Homerus (Iliad. I, 67.) Deum dixit ἀντίχεν θυσίαν, venire ad sacrificia. Hinc est apud Apollon. Rhod. I, 1141. Rhea, ἀντεῖται δεινῶν, *Dea*, quae ad sacra venit, aut εὐλατάρευτος, ut scholiares explicat. Similiter in Orphei hymnis (15, 21.) Deus dicitur φανερὸς ἐπὶ λειβαῖς. In his omnibus propitia numinis voluntas intelligenda est.

\*\*) Quem Dauides (Ps. 110, 1.) Deo *dextrum sedere* dicit, donec omnium hostium vicitor fuerit, hunc Paulus (1 Cor. 15, 25.) dicit *regnare*, donec omnium hostium vicitor fuerit. Ergo dextrum alicui sedere, est, cum eo regnare. Angeli, ut est in ep. ad Hebr. I, 13. 14. nusquam dicuntur dextrae Deo sedere; sed ubique nominantur ministri: h. e. nusquam legimus, nisi imperium concessum esse. cf. 2, 5. Ibid. 10, 11. sacerdotes Iudaici repetito funguntur ministerio *stantes*, more ministrorum, עתרים לפני הצלב et קאנים, Christus vero, perfunctus ministerio, non amplius minister est, sed Deo dexter sedet, h. e. regnat. Accurate hoc explicauit Vitringa Obsr. Sacr. lib. 2. c. 7.

In his explicandis ut nemo non videt sensum indicandum esse, sic in vertendo non tam expedita res est. Primo enim ubi in enumeratione plurium signorum est euidens, rem ad viuum adumbraens, descriptio \*), ut Matth. 24, 29. 30. 31. Ioh. 3, 1. Dan. 7, 9. omnia sunt presso vertenda: inutilaret enim scriptoris dictionem interpres, qui haec contrahere, eorumque sensum summatim indicare vellet, quia scriptor noluit rem paucis dictam cogitationi admouere, sed effigie adumbratam oculis exhibere. Deinde, in singulis loquendi formulis, si versio iis conseruandis nullum errorem gignit, sed quilibet lecta versione intelligit, haec esse aliter ac dicantur (h. e. non ad literam) intelligenda, qualia sunt, quae de Deo ut homine (*ανθρωποποιῶς*) dici solent: non est, quare mutentur in paraphrasin aut explicationem. Quis enim erret aut haereat, si homines miseriis afflictos ad solium Dei supplices accedere legerit? Sed si versio, quatenus versio est, (hoc est, quatenus est liber v. c. germanice scriptus, et legitur ab indoctis, qui linguam, unde facta est, non intelligunt, aut, si intelligent utcumque, librum tamen ea scriptum interpretari nequeunt, quippe praecepsis et praefidilis destituti) sed si versio ita spectata aut necessario in errorem dicit, quia verbum verbo reddidit, aut sententiam plane contrariam, aut adeo nullam efficit: non video, cur sensum propositionis loco significationis verborum exprimere vereamur, praesertim si argumentatio

F 5

sequa-

\*) Φαντασία ἐνεργής. Εἰδωλοποία. Longin. de sublim. c. 15.

*sequatur*, quae non nitatur verbis, sed sensu, et quain nemo capere possit, nisi qui missis verbis sensum propositionis reputauerit. Talia sunt, ut mihi quidem videtur, *deprecari pro hominibus* \*), et *dextrum regi sedere* \*\*), quae his de causis in versione germanica epistolae ad Hebraeos, aliquot abhinc annis Lipsiae edita, sic expressi, ut mihi visa sunt exprimenda. Tale est, *Christum diuitem factum esse pauperem, ut homines locupletarentur, \*\*\** ), quod sineulla dubita-

\*) Epist. ad Hebrae, 7, 25. Nam deprecatio, ut deprecatio, h. e. preces, quibus contendimus, ut alter alteri tribuat aliquid, aut male merito condonet, quo pacto locum habebit in Deo eiusque Filio? Ceterum conferatur disput. de utilitate notionum universarum in theologia.

\*\*) Ibid. I, 13. Nam nostris moribus aestimant formulam, est, *superiorem locum occupare*: ex Orientis moribus, *unum e proceribus regni esse*. Estne vero alterutrum de Christo, ad dextram Patris sedente, verum? Potestne ergo ad verbum verti?

\*\*\*) 2 Corinth. 8, 9. Non fuit Christus vlo tempore, nec priusquam in has terras adspectabilis venit, nec cum in his terris vixit, non fuit diues, ut nos diuites pecuniis dicimur, et quales illi erant, quos ex opibus suis aliquid erogare pauperioribus Paulus volebat. Ergo non potest simpliciter ita verti; sed cum additamento, *beatitate abundantissimus*. Christus fuit pauper, ut nos dicimur pauperes esse, et quales erant, de quorum paupertate leuanda illo loco sermo est. Ergo debet ita simpliciter verti. Nos per Christum, quoad fuit pauper et ~~varende~~, non proprieditati sumus. Ergo non potest ita simpliciter verti; sed cum additamento, *bonis locupletati sumus*.

\*\*\*\*) Act. Apost. 3, 21:

dubitacione hoc loco vertendum puto, *omnium celissimum esse* \*), et explicandum, *potentissime imperare*.

Alibi, quae scriptores de parte aut specie dixerunt, interpres ad totum aut genus transfrerunt, et vicissim. Nam quod illo modo spectatum obscurius est, aut durum, aut non nimis vigeri potest, id si hoc modo spectetur, dilucidius est, et mollius, et adcurate dictum. Quad Davides alicubi optarat, ut domicilium inimicorum suorum, atque adeo Messiae, aliquando incultum et desertum esset, id, interprete Petro \*\*). Iudee proditori Christi evenit, ad eumque referendum est. Sed aliter de inimicis Dauidis, (si quis prius de his intelligi locum velit) aliter de Iuda capiendum videtur. Nam de Dauidis inimicis potest ad verbum intelligi; de Iuda non item. Vnde enim constat, domicilium Iudee mortui desertum et incultum fuisse? Certe vis facienda esset loco, et argutius aliquid effingendum, si quis haec proprie intelligi vellet \*\*\*). Experiendum ergo

\*) Hoc si cogitassent omnes, et contulissent V. T. locum (Pf. 115, 3.), aut orationis dominicae verba (Matth. 6, 9.): si inde conclusissent, potentissimum omnium rectorem, **הָאֵל יְהוָה** intelligi, ubi in coelo esse Deus dicatur; nec argutati esent in δέξεσθαι: profecto non quaesiissent, vtrum Christus coelum, an coelum Christum caperet; nec putassent, minui maiestatem Christi, veluti loco inclusi; nee Beza scripsisset notulam, quam scripsit. Sensus, sensus quaerendus est: non significationes singulorum verborum. Nullo mode.

\*\*) Acta Apost. 1, 20.

\*\*\*) Fuerunt, qui, eum proprie capi non posse sens-

ergo est, quonam modo *sensus in uniuersum* tradi possit. Scilicet cui imprecamur, vt eius domus deserta sit, ei omnino imprecamur, vt extirpetur, vt intereat. Sunt enim dirae, in quibus, vt vita communis docet, non semper vocabula ipsa spectantur, sed omnino res aduersae, quibus aliquem opprimi cupimus: nam verba ac formulae loquendi, quibus dirae concipi solent, hanc unam vim habent, vt ex eorum moderatione aut vehementia eluceat vehementior aut moderatior affectio animi, et grauitas aut leuitas, copia aut paucitas malorum, quae in aliquem effundenda sunt. Similiter his diris, de quibus in praesenti loquor, adiunctum est illud, vt aliquis extirpetur, et deserta domus est, si rhetorice dicas, effigies interitus; si dialectice, pars aut species interitus; si ex usu vitae communis, exemplum interitus. Ita vero, si in verbis his ad Iudam relatis, in uniuersum hoc inesse dicamus, utinam intereat, neque verba vrgearamus: verissime hoc Iudee euenit, et sensus hic consilio Petrinae orationis congruit.

Nam

sensissent, domicilium desertum malling esse munus vacuefactum. Sed hi nec vident, quam durum hoc sit, nec cogitant satis, quid sequatur. Nam si vacua domus est munus vacuefactum, et sequitur, utinam ne quis in ea domo habitet: sensus horum verborum necessario erit, vel, utinam ne quis eius sit successor, vel, utinam ne recuperet munus. Id quod quantum abhorreat ab hoc loco, sponte adaptaret. Verum nolo hoc vrgere, ne videar calumnia yti. Ille alter locus ex epistola ad Romanos (11,9.) utique ostendit, non esse imprecationem ad verbum ubique capiendam.

Nam (id quod Petrus voluit docere) si Iudas interiit, opus est eius successore. Sed si locus ad verbum capiatur, non valet conclusio: Quia domus Iudea deserta est, opus est eius successore. Itaque, ut sit, Petrus ex longo carmine dirarum vna in decerpit imprecationem, non quo haec vna potissimum syllabatim spectanda sit, sed ut doceatur, ad quem illae omnes dirae pertineant, referrique possint aut debeant. Quid enim? Paulus, Dauidis verba repetens \*), num has potissimum formulas loquendi, quas repetit, vrgeri tenerique vult? Imo vero illud dirarum carmen omnino ad Iudeos pertinere ostendit. Num verba illa tropica ad vnum aliquod et certum genus miseriae interpretando referri vult, veluti ad paupertatem, morbos? Nullo pacto: sed omnino in iis diris illud esse docet, *utinam miseri sint inimici.* Ceterum in vertendis huiusmodi locis non sensum in uniusversum, sed ipsa verba scriptoris, ut sunt, posita, ita reddenda et exprimenda esse, res facile docet: alias eniin versionis lectores scirent quidem, quid scriptor omnino voluisse; sed nescirent, quibus verbis, quam grauiter, quam ornate, id, quod voluerat, dixisset.

Veniam ad ea, quae allegorica sunt, aut rem similitudine illustrant. Vtiunur ergo in interpretatione allegoriis aut similitudinibus hoc modo, ut inde ducamus vniuersam sententiam aut propositionem, qua idem illud, quod scriptor similitudine aut allegoria illustrare voluit, summatim et proprie dictum continetur. Nam aequum est, in allego-

\*) Ep. ad Rom. 11, 9.

legoria explicanda id spectare, quod in ea consignanda a scriptore spectatum est. Atqui omnes homines in admiscendis sermoni allegoriis non tam similitudinem ab auditoribus cogitari, quam rem, similitudine illustratam, et vniuersam sententiam teneri volunt, aut, quod idem est, non in significatione verborum subsisti per se, sed **vini atque sensum totius loci spectari cupiunt.** Cum ergo, vt hoc vtar, Christus interrogatus \*), cur discipulos suos aut rara aut nulla pateretur ieunia agere, in ore suo per allegorias responderet: his tribus vtebatur similitudinibus, praesente sponso conuiuas non solere tristes esse, pannum recentem non adsuī vestimento veteri, mustum non conditvre attrito. His Lucas \*\*) quartam adiungit, eum, qui vetus vinum gustauerit, non illico male recens. In his similitudinibus, quia similitudines sunt, debet esse, vt modo dixi, sententia vniuersa, qua intellecta vis responsionis Christi demum intelligitur. Ea vero sententia, vt mihi quidem videtur, est haec: *neminem facile in vita communī id facere solere, quod a re, loco, tempore, natura, abhorreat.* Etenim si quis inter conuiuium moestus esse incipiat, aut mustum vtre attrito condat, aut recentem pannum vestimento veteri adsuat, is nonne inepte agat, et ab omnibus ineptus iudicetur? Neimpe abhorrent talia in vita communi ab re, loco, tempore. Itaque siue quis omnes has similitudines, siue vnam posuerit, eadem ubique sententia intelligi potest, et vero etiam debet.

Proba-

\*) Matth. 9, 14—18.

\*\*) Euang. 5, 39.

Proinde Christus interrogatus, cur suos in hoc genero parum severos esse pateretur, hanc per similitudines causam edidit: quia nemo facile absconum quid in vita communis facere soleret, neque adeo ipse erga discipulos suos, quod nec res nec tempus pateretur, facere posset aut deberet, aut, ut ipsi ficerent, eos cogere. Abhorruisset autem a re atque tempore, si, versans adhuc cum ipsis, dux eorum et doctor, eos voluisse vitam tristem et molestam agere, et ad istius modi ritus frustra augendos adegisset, praesertim cum sciret, se ex his terris in coelum eucto, multa eaque grauissima mala his discipulis parata fore. Qui ergo novit, suos aliquando calamitosissimam vitam acturos, neque tamen eos, etsi in praesenti commodius viuere poterant, commodius viuere patitur, et sine causa maturius iusto molestiis onerat, is profecto facit, quod ab re, loco, tempore, hominibus, addi etiam, amore erga alios alienum est, aut idein facit; ut si quis in conuiuio tristitiam praefera, vel recentem pannum veteri vestimento adsuat, aut mustum attrito vtre condat, uno verbo, communis vitae sensu et iudicio absconit. Si cui haec similitudinis explicandae ratio non exhaustire rem omnem videatur, quippe quae tot verba, ad unam sententiam redacta, negligat, is, more veterum et recentiorum haud paucorum, omnes huius similitudinis partes cum puluisculo excutiat, et singula singulatum explicet, ut sponsus sit ecclesiae sponsus, vinum autem euangelium, vetus porro et nouum indicet pharisaicam et christianam doctrinam, et quae sunt

alia \*). Ego vero in similitudinibus explicandis vsum vitae communis, in quo est consentiens vox naturae, sequi soleo, qui vsum e consilio et modo usurpandi allegorias, fabulas, similitudines, aestimari facile potest \*\*). Vtinam in legendis veterum libris sermo, opinio, et consuetudo vitae communis saepius facta esset norina interpretandi!

Si enim verum est, quidquid artium dicendis fit, id e natura eiusque in vita communi observatione haustum et expressum esse: quo tandem patto iudicabimus, nos non aliorum opiniones de sermone et lingua, et mera Φιλοσοφία, sed ipsas illas artes humanas, et id, quod cum communi vita congruit, didicisse, nisi eorum, quae didicimus, consensum cum vita communi et experientia quotidiana cognouerimus? Si verum est, librum, quemcumque legerimus, esse veluti sermonem viri alicuius, ad nos habitum: num persuadere nobis poterimus, nos sensum libri adsecutos esse, si in legendō omnia alia fecerimus, quam quae in audiendo facere solemus? si verba sic cernerimus, ut ea neinō in vita communi capere sollet?

\*) Vid. Hieronymus ad h. l. T. 9. opp. p. 27. ed. Erasm. Chrysostomi ad h. l. homil. p. 361. Gerhardi harmon. Tom. I. p. 729.

\*\*) Cf. infra disput. de causis, quibus allegoriarum interpretatio nititur. Gu. Abr. Telleri excursus ad Turretinum de interpretatione S. S. p. 105. Io. Christi. Gottlieb Ernesti de vnu vitae communis ad interpretationem N. T. Lips. 1779. Lowth de poesi sacra Hebr. T. I. prael. 6 et 7, et notae Michaelis,

let? si in syllabis scriptoris quaesiuemus veluti montes, quos nemo in sermone vitae aut exspectat, aut esse suspicatur? si scriptori eam aequitatem, quae colloquiorum prima lex est, non omnia vrgenda, esse loquentem diiudicandum, vt solumus loquentes spectare, negauerimus? si eum ideo scripsisse putauerimus, vt nobis esset occasio degrediendi, ingenio indulgendi, et, dum ille de terra loquitur, coelum peragrandi? Cogitemus, quaeso, quot errores, opiniones, difficultates, vt in uno genere subsistam, in poetas veteres importatae sint ab iis, qui, spreta natura, cuius pars est vita communis, carmina interpretari sustinuerunt. Quae tandem sapientia obtrusa est Homero inuita, vbi ille nihil nisi naturam vitamque communem spirabat! Cogitemus, quanta cum anxietate facros scriptores tractauerint ii, qui obliiti propemodum fuerant, eos, quamquam monitu auxilioque diuino scribentes, homines tamen fuisse, humanaque lingua vfos, et sic scripsisse, vt ab his, qui legerent, ope linguae intelligerent, hoc est, sic, vt linguae indeoles patitur. Accidet quidem hoc modo, vt parum docti videamus, quia non ubique declaramus, nos et ipsos scire, quae alii sciunt; sed quanto contra gaudio erit, si, quidquid nos cingit, quidquid vita communis habet, nobis adclamauerit, ita se rem habere, vti dicamus et putemus. Accidet item in sacris libris, vt parum verecundi erga eos videamus, et nimis liberales, et καινολογιας studiosi. Sed quanto hoc erit solatio, si causae interpretationum nitantur communibus praceptis, quae in interpretando evidentiae viam habent, non autem

abhorrentibus ab omni linguarum natura et consuetudine, qualia Turretinus de S. S. interpretatione (p. 111. sqq.) intelligenter refutavit. Non eo hoc dico, ut neglectam velim subtilitatem. Nullo modo: neque enim intelligi potest vera doctrina sine subtilitate, nec, qui multa passim collegit, vir doctus est, nisi ea disponat, definiat, causis muniatur. Et quis tandem carere cupiat fructibus subtilitatis, qui in eo sunt, ut res certius, facilius, breuius, dilucidius, magisque disposite discamus? Sed postquam ita didicimus, omnia sunt ad vitae communis normam examinanda, ut, quid nobis, quid aliis, quid scholae, quid vitae didicerimus, adpareat.

## III

*Differitur de loco Paulino**2 Cor. 10, 12 — 17.*

**E**t si non spero, me hac disputatione effecturum, ut de loco incertae lectionis atque interpretationis aliquid certi constituatur: tamen, si per hanc occasionem ab harum literarum studiosis de novo intellectum fuerit, quam necessarium ad inventandas librorum N. T. varias lectiones, ad easque dijudicandas vtile sit, nosse veteres latinas versiones, quae ante Augustini et Hieronymi aetatem in ecclesiis Occidentis in usu fuerunt, saltem aliquid utilitatis videbitur hic libellus attulisse.

Omnino Paulus in hac epistola ad Corinthios se ab illorum criminationibus defendit, qui, ut sibi ipsis dignitatem conciliarent, Paulo et fidem et auctoritatem detractum ibant. Igitur non abstergit tantummodo maculas, suae famae adspersas; sed minatur etiam, si Corinthum venerit, se suae auctoritatis munerasque a Deo accepti documenta, et varia, et indubitata, et, si necesse fuerit, etiam cum severitate editurum esse, ac nominationis consilia \*) illorum hominum irrita redi-  
G 2 ditu-

\*) Haec consilia sunt 2 Cor. 10, 5. *Ἄγνωσμα*, quod verbum graecum veteres latinae versiones recte sunt interpretatae, *consilia*, et Syriaca versio *אָמֵן*, in quo cuius occurret usus verborum hebraeorum *מִתְחַשֵּׁב*.

**diturum**, quibus moliantur impedire apostolum, et hoc impediendo ipsam, quam ille propaget, religionem. Hoc ne iis fortasse minatus videatur, in quos nihil iuris sibi sit: in memoriam reuocat Corinthiis, se doctorem eorum fuisse, sibique adeo conuenire ostendit, quae discipuli doctoribus debeant; licere vero etiam, quae nemo facile doctoribus negare sustineat: neque enim eorum se similem esse, qui ibi se fuisse et docuisse iactent, ubi nec fuerint, nec docuerint; nam vere se fuisse apud Coriathios, eosque christiane religionis scientia imbuisse.

Atque hoc ipsum, se nihil sibi temere arrogare, vrget in eo loco, quem equidem mihi nunc tractandum sumsi. Sed ut breuiter dicam, quid mihi de vniuersi loci sensu videatur, liceat eum latine uno tenore ita interpretari, ut, recepta lectione seposita, eam vertendo exprimam, quam antiquissimam esse, idoneis, ut opinor, de causis mihi persuasi, et omnibus ponderatis, quae in utramque partem dici possunt, receptae praferenda existimo. Scripsit ergo Paulus in huncmodum:

*Non possum a me impetrare \*), ut me non nullis accenseam admisceam, qui de se multa praedica-*

*re*

מְבָשֵׂר וְצַבְעָן Genes. 6, 5. Eccles. 7, 29. Ps. 33, 10, et in duobus horum locorum λογισμοὶ et διαλογισμοὶ in versione Alexandrina. Exemplum talium conflictorum et molitionum est 2 Cor. 10, 10. Eadem sunt v. 5. νόμπατα, quo significatu verbum 2 Cor. 2, 11. occurrit.

\* ) Similiter 1 Cor. 6, 1. Τολμᾷ τις — — ἀγίων. Potestne vestrum aliquis ab se impetrare, ut coram pagano iudice de iure contendere malit, quam coram christiano? Monuit ad struimque locum Erasmus.

*re solent \*): immo ego, metiens \*\*) me meo modo ac pede, et tecum habitans \*\*\*), non extra terminos meos \*\*\*\*); sed intra certos terminos, a Deo ita mihi praefinitos †) ut adeo ad vos usque progredierer ‡); [neque enim, quasi non ad vos usque progressus sim ‡‡), terminos*

G 3

tran-

*\*) Dicere solent, ab se omnem terrarum orbem docendo peragratum esse, etiam si in multa loca non venerint, quo se iactant venisse: aut ab se pluribus in locis multa praestita, ubi vix tantillum fecerunt, sed alii et inchoarunt rem, et propemodum absoluerunt. Sic cepit locum Chrysostomus in homilia ad h. l. nec potest nunc, per seriem orationis, alia iactatorum istorum praedicatio de se intelligi.*

*\*\*) Si quis vertere malit: *ego ille, suo se metiens pede, et secum habitans*: tamen idem sensus erit, quem supra expressi.*

*\*\*\*) Ut in illo Persii: *Tecum habita*: si hoc nunc vti licet.*

*\*\*\*\*) Infra, ubi scriptor in viam redit, sequitur verbum: *gloriolam quacero*. Addidi *meos*, quia Paulus de se uno loquitur. Sunt autem *termini mei*, mea voluti dioecesis, ille ambitus terrarum, quem docendo emensus sum: ut multi monuerunt.*

*†) Poterit etiam verti: *intra ambitum demensi mibi spartii, ita mibi praefinitum*.*

*‡) Fuit ergo Corinthus in Paulina dioecesi.*

*‡‡) Si aut Paulus ipse scripsisset, aut nobis scribere liceret, ἐσ οι μη ἐφικνέμενοι ἀς ὑμᾶς (ut ii, qui non venieant ad vos, et tamen apud vos se fuisse iactant, aut in vos iura sibi arrogant): non incommodus foret sensus, et melius conueniret participio praesentis, ἐφικνέμενοι. Ut nunc est locus, non sperverim Boerneriani codicis lectionem, ἀφικόμενοι, qui ad vos non venerunt, quae non est conformata ad latinam versionem codicis illius: nam haec habet persistentes. Quid opus erat, scribere ἀφικόμενοι, si librarius*

*transfilio \*): nam vestrae quoque urbi doctrinam christianam importauimus non, inquam, extra terminos meos gloriolam quaero ex aliena opera, quippe qui sperem, ubi vos iusta religionis incrementa ceperitis, fore, ut, propter vos abunde intra terminos meos celebratus \*\*), etiam ultra Corinthium agrum doctrinam christianam proferam, nullo autem modo intra terminos alterius, ubi omnia iam praestita sint, mihi gloriola sit quaerenda.*

Procurrit igitur oratio ab initio ad finem usque, non informam periodi constructa; sed una sententia alteri superaddita, suspendendo sensu, adspergendo aliquid, redeundo ad rem, ut Thucydides solet: estque locus aliquoties legendus, donec, quid vnicet fuerit in animo scriptoris, plane teneatur.

Sed

*brarius ἐφικνύμενοι reperisset? Απὸ ἀφικόμενοι melius respondisset latino, quam ἐφικνύμενοι? Similiter v. 15. in lat. est enim, in graeco δὲ. Ergo textus latinus non est ubique conformatus ad graecum, aut viceissim.*

\* ) *Me in vestra vrbe fuisse prae me fero. τησερ-εκτήνειν ἔαυτάν est Graecorum μπερπηδῶν τὸν ὄρον, ὑπὲρ τὰ ἐσκαρμένα πηδῶν. cf. Iul. Polluc. onomast. 3, 151.*

\*\*) *Μεγαλύνεσθαι per hebraismum esse, laudari, quis nescit? Paulus sperat, si sua de Corinthiis merita innotuerint, fore, ut faciliorem ad alios aditum habeat, atque adeo ab iis expetatur sponte. Eodem modo Schulzus in edit. epp. ad Corinth. interpretatus est. Alii maluerunt sic explicare: fore ut Paulus, Pauli dioecesis, crescat et amplificetur. Ita fuerit μεγαλύνεσθαι, amplificari.*

Sed ut huius versionis ratio reddatur, incipiā ab iis, quae certae lectionis sunt, et cum per alias causas, tum per consuetudinem loquendi non minus certae interpretationis. Nimirum haec omnia, singulari numero in versione expressa, ad unum Paulum propterea retuli, quoniam tria capita extrema huius epistolae adeo propriam Paulo defensionem continent, ut nullo modo possit haec particula, quam inde decerpsi, communis esse vel ceteris apostolis \*); vel Timotheo, cuius nomen una cum Pauli nomine epistolae praescriptum est; vel Tito, cui multa intercessit cum Corinthiis necessitudo. Quid enim planius est iis, quae ante hanc particulam leguntur \*\*), Paulum nominatim conuicio petitum esse? Quid magis esse potest personae Pauli velut alligatum, quam quae post hunc locum \*\*\*) deinceps enumerantur? Quid certius, quam Paulum, de sua integritate dicentem †), a Tito aliisque collegis fungendum esse? Idem ex ultimo capite perspicue intelligitur. Nam quod suo et Timothei ‡) nomine scripsit, id profecto, nisi quis ad lucem

G 4

coecu-

\*) Ita vero visum est quibusdam, Paulum hic suam ceterorumque apostolorum consuetudinem adumbrare.

\*\*) Vers. 1 et 10.

\*\*\*) Cap. II et 12.

†) Cap. 12, v. 18.

‡) Hic docuerat Corinthios. Ergo veteris necessitudinis causa praescribitur nomen Timothei, praceptoris, qui fortasse tunc cum Paulo in eadem urbe fuit, ideoque in societatem salutandi, et omnigena bona nuperis discipulis adprecandi, adsumtus est.

coecutire velit, non potest hanc vim habere, vt, quaecumque dicantur, ea ad Paulum aequae ac Timotheum referamus: res enim ipsa non patitur, omnia de utroque sine discrimine intelligi. Ad inonitus igitur ipsa re et historia, quae ex epistola hac cognosci potest, in hoc persto, locum de uno Pau'lo intelligendum, neque vero cum aliis communicandum esse. Ac ne monuisseim quidem, nisi a quibusdam neglectum vidisse.

Progrediar ad singula verba, et quosdam loquendi modos: de omnibus enim dicere, praesertim quae nulla indigent oratione, quid attinet? Cum ergo v. 12. ἐγκέλειν ἐμυτὸν τοῖς ἄλλοις veterim, aliis accenseri, non repetam, quae aut Wetstienius ad hunc locum collegit; aut ceteri interpres fere e Budaei commentariis linguae graecae \*) et Stephani thesauro repetierunt; aut Krebsius et Loesnerus \*\*) intelligenter addiderunt, aut ipse alibi breuiter monui \*\*\*). Tria tantum adspergam: primo, eodem plane sensu ab Apollonio Rhodio \*\*\*\*) Iphiclum, affinitate sua et Iasonis commotum, dici ἐνικριθῆναι ὅμιλῳ, socium se addidisse Argonautis: deinde Eusebium +), ubi Apollonium Tyanicum dignum esse negat, quem philosophis annumeremus, sic hoc expressissime, ἀξιού εἶνας αὐτὸν ἐγκένειν ἐν τοῖς Φιλοσόφοις.

Deni-

\*) pag. 966.

\*\*) Ille in observationibus e Iosepho: hic e Philone ad h. l.

\*\*\*) In ind. Hist. Graec. Xenoph. in v. ἐγκρίθει.

\*\*\*\*) Argonaut. I, 49.

+ ) Contra Hieroclem p. 514. edit. Coloni. an. 1688.

Denique, ut ἔχειν τὰ apud Xenophontem \*)  
est, excludere cōetu, sc̄iungere, ita ἔχεσθαι  
τοι erit, iis adiungi, accenseri. Ceterum Beza \*\*)  
sc̄ite contulit Horatianum \*\*\*): *Vatibus lyricis in-*  
*serere*: quod inferendi verbū vulgatus interpres  
h. l. posuerat. Atque sic intelligo illud *coniunge-*  
*re*, quo antiquiores versiones latīnae, in codice  
Sangermanensi, Claromontano et Boerneriano,  
et commentario Ambrosiaſtri superfites, de qui-  
bus infra dicetur, hoc loco vſae sunt.

Qui porro scribit, οὐ τολμῶ συγκεῖν εμαυ-  
τὸν ἀλλοις, eius esse quidem potest haec mens, vt  
neget, se cum aliis comparari velle. Nam et ex-  
empla huius significationis plura exstant, et gram-  
matici veteres \*\*\*\*) certatim docent, a meliori-  
bus quidem scriptoribus coimparationis notionēni  
exprimi per verba παραβάλλειν, παραπιθέναι,  
παρεξετάζειν, sed saepe etiam, ac vulgo, συγκεί-  
νειν hoc significatu dici. Tum versiones latīnae  
et Syriaca tribuerunt verbo hunc significatum in  
hoc loco. Enim uero etsi per loquendi consuetu-  
dinem ita verti poterat: tamen per seriem oratio-  
nis, ipsamque rem, nunc non potest ita explicari.  
Qui enim se cum aliis, suam modestiam et  
aequitatem cuin iactatorum immodeſtia et iniqui-  
tate, ita comparat, vt se neget aut esse, aut esse  
velle immodestorum hominum similem, is quo-  
modo in eodem illo loco, quo se cum iis confert,

G 5

scribe-

\*) Cyrop. I, 2, 14.

\*\*) In notis ad N. T. h. l.

\*\*\*) Carm. I, I, 35.

\*\*\*\*) Thomas Mag. in Συριακάζεται. Phrynicus p.  
120. ed. Pauw.

scribere potuit: *Nolo me cum iis comparare?* Haec causa, eur  $\sigmaυγχρίνειν$  nunc non sit *comparare*, mihi quidem videtur manifesta. Viderant hoc non nulli interpretes; sed conatus remouendae huius dubitationis iis non bene cessit. Nam existimarent, Paulum hoc dicere, se nolle similem se gerere iactatorum ( $\sigmaυνέξουστοις αὐτοῖς$ ). Atqui vero aliud est, similem se aliorum gerere, eos imitari *re et facto*, id quod non potest significari verbo  $\sigmaυγχρίνειν$ ; aliud, se cum aliis comparare *verbis et oratione*, id quod vnum posset per sermonis naturam exprimi verbo  $\sigmaυγχρίνειν$ , si res ipsa pateretur. Illud melius fuerit, si quis formulain: *Cum istis nolo conferri*, vt in nostro sermone simpliciter per contemptum dictam putet, quasi Paulus dicat, istos esse longe inferiores Paulo, ne dignos quidem, quibuscum conferatur. Durius tamen fuerit, et inflatus, et conuicio similius, quam pro huius loci modestia, quae non contemtu pugnat, sed argumentis: nec cohaereat satis cum illo  $\delta\tauολμῶ$ , *non possum a me impetrare*. Si dixisset, *Nolo*, *Pudet me*: posset haec contemnendi formula sequi. Sed ad rem redeo. Cum ergo reliquae verbi huius significationes omnes sint ab hoc loco alienae, relinquitur vna, vt, mea quidem opinione,  $\sigmaυγχρίνειν$  sit *commiscere*. Sic vero in physicis dici  $\sigmaυγχρίσται$ , cum res cogimentantur aut concrescunt natura vel arte, ita certum est et tritum, vt interdum adeo in libris scriptis atque impressis  $\sigmaύγκρισις$  et  $\sigmaύγκρασις$  permutentur \*). Fuerit ergo hoc loco translate

$\sigmaυγχρί-$

\* ) Vid. Wesseling. ad Diodor. Sic. I, 7. Itaque  $\sigmaύγκρι-$

*συγκρίνων ἑαυτὸν τοῖς ἄλλοις, immiscens se aliis, coetui aliorum se admiscens.* Quamquam autem mihi non ad manus est locus, ubi non physica huius verbi significatio, sed tropica existet, dicaturque is *συγκρινόμενος τοῖς ἄλλοις*, qui se iis associet moribus imitandis: tamen non video, primo, cur non item tropice possit usurpari; deinde, cur non liceat latini nostrique sermonis similitudine in verbis *admiscendi* et *immiscendi* ad illustrandum uti; tertio, cur is, cui figura dictionis inter scriendum se obtulit, *έγκρινειν ή συγκρίνειν*, (siue ea paronomasia, siue paromoeosis fuerit) non potuerit, propter ipsam hanc sponte oblatam figuram, verbum, e communi vita deponit, leviter immitare ad rariorem significationem translata. Quod ipsum cauebit, ne quis illa versione latina, supra proposita, offendatur, quasi ταυτολογίᾳ laboret locus sic intellectus. Quem enim iure offenderit, si tale quid, sich nicht unter die Grosssprecher mischen und mengen, in vita communi audierit?

Dicerem, quid v. 12. esset, μετρεῖν ἑαυτὸν ἐν ἑαυτῷ, nisi diligentia Lambertii Bosii \*) satis demonstratum esset, eum his verbis describi, qui, vt

εύγνωστος Hesychio est μῆτις; συγχρέθαι autem πυκνάθαι in scholis ad Lucian. Soloec. c. 5. T. 2. p. 166. ed. Reiz. ubi videndus est Graeius. Rursus apud Thomam Mag. I. I. συγκρινέθαι est ἐνθάται, et apud Phryni- chum p. 40. δις ἐν κράται ταῦται ελθεῖ.

\*) Obseruatt. ad N. T. ad h. I. Inde hanc observationem repetiit Reizius ad Lucian. pro imaginibus c. 21. T. 2. p. 502.

yt Horatius \*) dixit, suo se modulo ac pede me-  
titur, adeoque nec inflate iactat ab se praestitum,  
nec temere fuscipit praestandum, quod nec praes-  
tit, nec praestare aut per vires, aut per tempo-  
ra sua omnemque vitae rationem, poterit. Est  
ergo haec modestiae descriptio, a qua quidem vir-  
tute Paulus hoc loco vnicē commendari cupit. Ac  
si quis Bosianam animaduersionem attente perle-  
gerit, non modo non poterit de ea dubitare; sed  
haud dubie etiam sententiam suam ab eorum op-  
pinione sciunget; qui his verbis, modestiam et ve-  
ritatem iudicij experimentibus, tamen mendaces,  
vanos atque ineptos homines, Pauli aduersarios,  
describi existimant, et, quoniam ea de Pauli ad-  
versariis interpretantur, hos dici putant μετρεῖν  
ἴαυτάς ἐν ἑαυτοῖς, qui vel, opinione de se infla-  
ti, tantummodo se cum admiratione respiciunt,  
vel, aniini quadam imbecillitate, se inuicem, nec  
nisi cum sodalibus suis, comparant.

Sed quae modo dicta sunt, et quae nunc se-  
quuntur, συγχρίνων ἐμαυτὸν ἐμαυτῷ, cum mani-  
festa contineantur similitudine membrorum, vis-  
tatiſſima illa hebraco sermoni: palam est, poste-  
rius membra a priore, μετεῶν ἐμαυτὸν ἐν ἐμαυ-  
τῷ, verbis quidem, at non item re et sententia  
differre. Proinde συγχρίνειν nunc non esse potest  
*admiscere*; ita enim non foret priori membro simi-  
le; sed, ut respondeat illi alteri μετρεῖν, quo *iudi-  
cium* exprimitur, erit *comparare*, in quo *iudi-  
cium* inest. Comparat autem se et componit ali-  
quis secum ipse, qui iudicium fert de se ad nor-  
mam

\*) Epistoll. I, 7, 98.

mam suarum virium, factorum, meritorum, qui, quid ipse posuit feceritque, quaerit, qui tantum sibi tribuit, quantum ipsi conuenit; non eo respicit, utrum aequiparet, an superet alios, an ab iis longo interuallo relinquatur, uno verbo, qui pretium, suis factis viribusque congruum, sibi statuit. Sic etiam Millius interpretatus est\*). Quod autem haec duo me inbra prouerbiorum quatinus similitudinem habent, non dubitaui, ea supra poetarum latinorum verbis iis interpretari, quae et ipsa in prouerbiorum consuetudinem abierunt: suo pede se metiri, secum habitare.

De ceteris sic disputandum videtur, ut ab eo incipiamus, quod indubitatum est, neque rem in uniuersum exprimit, (quale foret, si simpliciter *excedere modum: aut non excedere, nimium facere aut parum*, scriptor dixisset) sed quod rem ad certum genus refert. Hoc autem est v. 15. in verbis, *ἐν ἀλλοτρίοις κόποις καυχώμενος*, quae necessario significant eum, qui se id fecisse iactat, quod alius fecit, sibi laudem tribuit meriti alieni, sibi omnia attribuit, ubi aliis multo plus est attribuendum, adeoque ex aliena opera gloriolam quaerit. Quod si ille iactator fuerit religionis christianaæ doctor, (agit autem hic locus de religionis huius doctoribus) ea magniloquentia descripta intelligetur, quae quis christianos ab se eductos gloriatur, qui tamen alio praceptor vni sunt, aut ab se prouectos ultius, qui iam alio duce et doctore magnos progressus fecerant.

Hoc

\*<sup>o</sup>) In prolegom. Nou. Test. sect. 476. ubi sic vertit:  
*Ea tantum de nobis dicimus, quae nostris factis ex veritati respondent.* Cf. Lamb. Bos d. I.

Hoc ita constituto, efficitur, vt v. 16. ἐν ἀλλοτρίοις καυχᾶσθαι rem eamdem, quam ἐν κόποις ἀλλοτρίοις καυχᾶσθαι, exprimat; permutantur enim haec duo: vt κατὰ τὸν κανόνα αὐτῷ καυχᾶσθαι contrarium significet illis, ἐν ἀλλ. καν. καυχᾶσθαι; ponitur enim hoc illi contrarium: vt εἰς τὰ ἄμετρα καυχᾶσθαι rursus fit idem, quod ἐν αλλοτρίοις κόποις καυχᾶσθαι; nec tuntur enim haec v. 15. vt genus et species, inferuitque alterum alterius explicationi: denique vt etiam ὑπερεκτείνειν ἔαυτὸν respondeat illi, εἰς τὰ ἄμετρα καυχᾶσθαι, quod vel verba ipsa per se declarant.

Sed nominatum dicendum est, quinam sit hoc loco κανὼν Pauli. Illud quidein e superioribus adparet, cum κατὰ τὸν κανόνα καυχᾶσθαι dicitur, nunc non in uniuersum regulam ac normam de se statuendi intelligi, hoc est, non intelligi legem omnis omnino modestiae, a recta ratione praescriptam, et a christiana religione diligentius fancitam: etiamsi plures sic interpretati sunt, vt, κατὰ τὸν κανόνα statuere, dicerent in uniuersum esse idem, quod modeste de se statuere: id quod aliis verbis est μὴ ὑπὲρ ὁ γέγραπται Φρονεῖν \*). Sed quamquam hic locus, de munere et meritis doctoris, qua doctor est, agens, utique de modestia exponit, et de ea nominatum parte modestiae, quae non auget inani verborum ostentatione facta et merita doctoris: tamen haec notio κανόνος, regulae modestiae, non locum haberet v. 15. in his verbis, μεγαλύνεσθαι κατὰ τὸν κανόνα μη; nec adpareret, quid v. 13. sibi vellet, Deum Paulo tribuisse μέτρον illius regulae modestiae; nec intelligi posset

καν-

\*) 1 Cor. 4, 6.

**καυχᾶσθαι** de aliena regula modestiae v. 16. Dico igitur, tribui debere hic verbo **κανόνος** notionem, quae per totum hunc locum valeat, et rem doctoribus propriam contineat, ut alius sit huius, alias alterius doctoris canon, quem alter alteri relinquere laudis causa debeat. Eiusmodi notio haec est, hoc loco **κανόνα** esse certum finitumque doctori spatium, siue, si verbo post haec introdueto vti nunc licet, *dioecesis*, et eum **κατὰ τὸ μέτρον τῆς κανόνος καυχᾶσθαι**, qui in tantum gloriatur, in quantum sua dioecesis patet, siue, intra fines suae dioeceseos, nec gloriam quaerit in alio spatio, vbi non est materia gloriae, illi debitate. Gloriari autem non est necessario vanitatis; sed honesta etiam professio eius, qui se illius loci illorumque hominum doctorem fuisse dicit, cuius loci et quorum hominum doctor reuera fuit. Causae grammaticae huius interpretationis sunt in promtu. Quemadmodum enim, auctore Iulio Polluce \*), in genere quodam ludorum graecorum  
(sal-

\*) Onomast. 3, 151. vbi τὸν κανόνα in hac parte antiquitatis esse dicit τὸ μέτρον τῆς πεδίμαρος, quod Ioach. Camerarius in commentariis vtriusque linguae p. 459. vertit, *spatium saltus*. Hoc ex loco Pollucis et Stephanus in Thes. L. Gr. et Hammondus ad 1 Cor. 9, 24. et ad nostrum locum verba Pauli interpretati sunt. Clemens quidem Romanus, in priore ad Corinthios epistola, videtur aliquoties tropicam vocabuli huius vim indidem repetuisse. Ut enim omnino concordiae studium commendaret, et nominatim doceret, non esse presbyterorum dignitati detrahendum, quoniam voluerit Deus *alias* esse horum partes, *alias* reliqui coetus; ea, quae in rerum natura fiunt, exemplo proposuit: *coelum, solem, lunam, sidera, maria,* in

(saltum dixerunt) terminus, a quo inchoabant, suo nomine *βατήρ* dictus est, et terminus, ad quem usque tendebant, rursus certo vocabulo appellatus est τὰ ἐσκαμψένα: sic deniensum saltus spatum, (et, nisi fallor, omne spatum, inter duos illos terminos interiectum) nominarunt κανόνα, haud dubie, quoniam sic definitum exacte spatum certa saltus regula fuit. Esse autem verbum hoc loco inde nominatim ductum, intelligitur ex eo, quod Paulus de canone, ut certis terminis finito spatio, quod peragrauerit docendo, loquitur. Scripsit enim ita: si se dixerit Corinthum usque venisse, hoc ab se dici κατὰ τὸν κανόνα αὐτῷ; si celebratus fuerit propter hos, apud quos fuerit, et de quibus vere meritus sit, se celebrari κατὰ τὸν κανόνα αὐτῷ;

in suis quaeque locis versari et moueri, neque vel tantillum limites sibi assignatos excedere: "Μαίος καὶ πελάνη δίχα πάσις παρεκβάσεως ἔξελισσος τὰς ἐπιτεταγμένας αὐτοῖς ὅρισμάς ή Σάλασσα, ἐς τὰς συναγωγὰς συσαθῆσα, όπου παρεκβαίνει τὰ τεταγμένα αὐτῷ μάθρα (sest. 20). Addit aliud (sest. 40.) e ritibus iudaicis: Τῷ ἀρχιερῷ Ἰδιαι λειτουργίαι δεδομέναι ἦστι τοῖς ἑρεῦσιν Ἰδιος τόπος προστέτακται· τοῖς Δευτερίαις Ἰδιαι διακονίαι ἐπικείνται. Inde concludit (sest. 41.): "Επασος ὑμῶν, ἀδελφοί, ἐν τῷ λόῳ τάγματι εὐχαριστώθετε, μὴ παρεκβαίνων τὸν ὄρισμένον τῆς λειτουργίας αὐτῷ κανόνα. Qui contulerit ea, quae hic permittantur, ὄρισμάς, κλῆθε, Ἰδιον τόπον, Ἰδιον τάγμα, κανόνα, videbit, eum dici μὴ παρεκβαίνει τὸν κανόνα, qui certos et fixos limites non excedit, intra definitum sibi spatiū continetur. Hunc locum iam Ernesti (in Interpr. N. T. P. 2. c. 5. §. 23.) cum Paulino loco comparauerat. Idem ille Clemens (sest. 1.) mulieres iubet, omnium aliarum rerum cura posthabita, domestica matrum familias negotia tractare, et ita τῷ κανόνι τῆς ὑποταγῆς ὑπάρχειν, intra hos fines contineri, ut maritis se postponant.

**αὐτῷ**; contra si quis dieat, se ibi fuisse, ubi non  
fuit, eum inuadere ἀλλότριον κανόνα. Igitur non  
dubito, κανόνα esse hic certum finitumque ambi-  
uum, tropo inde ducto, unde dixi, et dixerant ante  
me alii.

Iam non est difficile, τὸ μέτρον τῷ κανόνος  
interpretari. Ut enim in huiusmodi formis, Σέ-  
Φανος τῆς ζωῆς, ἀρρέβων τῷ πνεύματος, alterum  
alterius explicationem continet, estque adeo illud  
praeinimum, quod vera felicitate constat, hoc au-  
tem pignus, quod donis, animo per religionem  
tributis, continetur: ita erit etiam τὸ μέτρον τῷ  
κανόνος modus seu mensura, quae constat definito  
ambitu, quae nunc est definitum spatium, ut si  
scriptor μεμετρημένον κανόνα dixisset. Est ergo  
μέτρον genus, κανὼν species, qua specie nominanda  
genus (potest enim esse multiplex μέτρον) accur-  
tius definitur, quale nominatim μέτρον nunc intel-  
ligendum sit. Quare siue dicat μέτρον solum. siue  
κανόνα solum, siue μέτρον τῷ κανόνος coniungat:  
vbiuis eadem res exprimitur, *ambitus et mensura*  
*definiti spatii*. Quod et inde manifestum fit, quo-  
niā v. 13. cum e legitima ratione ἐμέρισεν  
ἡμῖν ὁ Θεὸς κανόνος ponendum fuisset, tamen ideo,  
quod κανὼν et μέτρον, vt eamdem rem experimentia  
verba scriptoris animo obuersabantur, potius scri-  
psit, ἐμ. ἡμ. ὁ Θ. μέτρος, manifesta permutatione  
verbi huius cum illo: redeunt enim ambo ad eam-  
dem notionem, *ambitus certus mihi assignatus est,*  
*et spatium demensum mihi assignatum est.*

Quodsi, verbo intellecto, ipsa quoque res  
quaeratur, qualenam tandem spatium definitum  
intelligendum sit: dicam, illud esse spatium ter-

rae, quod Paulus huc usque docendo peragrabat, omnia oppida, in quibus ipse doctrinam christianam tradiderat: quale spatium ipse alibi \*) descriptis: ut adeo tum, cum Romanis scripsit, fuerit ambitus certi spatii, a Paulo peragrati, ab Hierosolymis inde usque ad Illyricum. Igitur ille καυχᾶται ἐν αὐλοτερῷ κανόνι, et εἰς τὰ ἀμετρητα, qui ibi se docuisse iactat, ubi tamen aliis docuit: ille εἰς τὰ ἔτοιμα \*\*) iactat, qui ab se operam ibi nauatam gloriatur, ubi iam ab aliis nauata erat, ut aut nihil, aut parum reliqueretur, quod ipse adderet. Vedit sensum Ambrosiaster \*\*\*) , qui, illud ὡς εἰς τὰ ἀμετρητα καυχᾶσθαι interpretaturus, *Paulus*, inquit, *non ultra gloriabatur, quam praedicatione (euangelyeis) eius personabat.*

Denique quod Paulus a Deo sibi hoc μέτρον assignatum dicit, id profecto non potest ad vires animi atque dotes, quibus a Deo instructus erat, referri: (nam nunc sermo est de itineribus, de spatio terrae peragrato, de doctoris iure et meritis, vnumque illud quaeritur, an vere dicat quis, se alicubi fuisse atque docuisse; non quaeritur, quas dotes animi acceperit a Deo, aut quasnam alias dotes) sed est, e latinae linguae consuetudine, prouincia, a Deo assignata doctori. Scilicet placuerat diuinæ prouidentiae, itinera Pauli sic moderari, ut in haec potissimum loca, hoc potissimum tempore veniret: quae quidem rerum Paulinarum gubernatio diuina nunc est μέτρησις. Dee

\*) Roman. 15, 19.

\*\*) Hoc pro τῷ τοῖς ἔτοιμοι possum videtur. Sic et vulg. versio: *in iis, quae preparata sunt.*

\*\*\*) In commentario in epistolas Pauli.

988, et cum Paulus prae se fert, se tantum terrae spatium lustrasse, quantum ab eo lussa i diuina prouidentia voluit pe uinitque, τον καυχήτως κατὰ τὸ μέτρον τῆς καρόνος, ἐμέργεισεν αὐτῷ ὁ Θεός.

Restat huius disputationis pars critica. In qua si visus fuero durius pronunciaisse, quaedam omnino videri omittenda: cogitent lectors, idem iam alios \*) censuisse, nec quidquam mihi, praeter uberioris argumentorum examen, proprium est. Res ergo est haec, in consuatis v. 12 et 13. verba quatuor, εἰ συνεξέσθω ἡμεῖς δὲ, aut omnino spuma esse, ut mihi quidem videtur: aut saltem admodum suspecta, id quod nemo, opinor, recte potest negare. Absunt scilicet haec omnia a tribus codicibus, Claromontano, Augiensi, Boerneriano. Qui etsi in eorum numero sunt, quos graecolatinos dicere confuerunt, ob eamque causam parui facere, et prope modum nullo numero ac loco habere, quia sunt ad latinam versionem simpli citer mutati, et varie interpolati: tamen, post quam Semlerus \*\*), refutata hac opinione, iis melius uti docuit, et euicit, hos codices e græco

H 2

fonte

\*) Vid. *Millius* in prolegom N T sect. 476. ubi sententiam, in notis ipsi epistolæ subiectis propositionem, retractauit. *Bengelius* in Appar. crit. et plauis in Gnom. *Semlerus* in notis ad paraphrasin huius epistolæ, etsi in paraphrasi ipsa interpretatus est exceptionem lectionem. *Harduinus* in commentario, cui paraphrasis inferta est, simpliciter omittit εἰ συνεξεσθω.

\*\*) In Appendice observationum ad Wetsteinii prolegom. N. T. edita Halae 1764. p 583. Cf. Hermeneutische Vorbereitung. vol. quartum.

fonte non sfernendo ita fluxisse \*), vt peculiarem recensionem, siue potius *textum*, continerent, neque essent vbiuis ad latinae versionis similitudinem conformati \*\*), non modo tulit assensum Noesseliti \*\*\* aliorumque, sed contigit ei quoque aemulus eruditissimus, Griesbachius, cuius diligentia in editione noui testamenti effectum est, vt duplex textus N. T. (recensionem appellat), graecus aut orientalis, et latinus aut occidentalis, manibus comprehendi posset, atque vnuquisque pretiuin codicum graecolatinorum agnoscere propeinodum cogereatur. Sed hoc non est huius disputationis; monendum tamen fuit, ne quis festinans obiiceret, argumenta mea codicibus simpliciter sfernendis niti. Praeterea eadem illa verba, de quibus nunc loquor, absunt a *vetere* latina versione, quam e duobus codicibus, Claromontano et Sangermanensi, Sabatierius \*\*\*\*) edidit; repetiitque Semlerus.

\*) Dispexerat idem hoc ex parte Bengelius in appar. crit. in prolegom. epist. ad Roman. p. 320. Non bene, inquiens, ex graecis, tamen codicibus eximis descripti sunt. Idem Bengelius ibid. ad Iac. 1, 19. duplēm recensionem, Asiaticam et Africanam, intelligenter obseruarat, atque Africanae latinam versionem et codices graecolatinos annumerauerat.

\*\*) Cf. supra not. 6. Bengel. App. Cr. p. 319.

\*\*\*) Anweisung zur theologischen Bücherkenntniß, §. 40. edit. prioris.

\*\*\*\*) Bibliorum saerorum latinae versiones antiquae. 1751. T. 3. p. 751. Idem Sabatierius T. 3. p. 591. ostendit, hos duos codices pro uno habendos esse; quia Sangermanensis e Claromontano descriptus sit, id quod de graeco textu etiam Weistenius denuo confirmauit T. 2. Nou. Test. p. 7. 8. Sed contrarium ostendit Semlerus. Hermen. Vorbereitung P. 4. p. 61.

rus \*). Absunt vero etiam a *vetere latina versione*, in codice Boerneriano \*\*) seruata, ut Kusterus ad Millianum N. T. et Griesbachius monuerunt. Denique omisit versio latina *vetus*, Ambrosiastrī commentario in Paulinas epistolas inserta, non omni-

## H 3

no

\* \*) Ad calcem paraphraseos poster. epist. ad Corinth.

\*\*) Hunc codicem cum scirem nunc esse in bibliotheca Dresdensi Serenissimi Electoris Saxoniae: regaudi Dassdorium, Bibliothecarium, et doctrinae elegantia, et amicitiae necessitudine mihi venerandum, ut denuo inspiciendi codicis operam reciperet. Ille vero, ut est humanissimus, plus, quam regauoram, praestitit, nec tantum graeca cum versione descripta ad me transmisit; sed ipsius etiam codicis ductus in chartam cera tintetam ita transtulit, ut veluti aeri incisam huius loci particulam ob oculos haberem. Quoniam vero huius codicis versio latina, nec cum Ambrosiastrī versione, nec cum ea, quae in opere Sabatieriano reperitur, conuenit, eam, ut est in codice, adiectis quibusdam graeci textus varietatibus, hic cum lectoribus communicandam putaui. Est autem haec: Non enim audemus conferre (κριται) aut comparare nos quibusdam se ipsos commendantibus sed ipsi in nobis nosmet ipsos mensurantes et comparantes nosmet ipsos nobis non (ἢ) in immensum (εις το αιετρον) gloriantes (χαυχωμενοι) sed secundum mensuram regulae qua (sic) mensus est deus mensuram pertingendi usque et ad vos non enim quasi non pertingentes (αφικομενοι) ad + in vos superextendimus nos usque enim et ad vos peruenimus in euangelio Christi non in immensa gloriantes in alienis laboribus spem enim (δε) habentes incremente file vestra in nobis magnificari secundum regulam nostram in abundantia ultra vos euangelizare non in aliena regula in praeparata gloriari. Illud ad + in eadem manu ita scriptum est, ut in super verbo ac possum sit, ad vero cum hoc signo + ante verbum in: ut sit in illo codice, synonyma coniungente.

no quidem conspirans cum illia, quae in tribus codicibus modo dictis superstes est; sed in hoc tamen, quod verba illa quatuor non exhibet: neque Ambrosianus ea interpretatus est. Praeterea locos patrum latinorum, a Sabatierio, Bengelio, Wettsteinio, Griesbachio collectos, in quibus et ipsis nulla horum verborum vestigia reperiuntur.

Alia varietas offertur in versione latina *recentiore*, quae nunc vulgata dicitur. Ea enim non expressit v. 12. verba & συνίστι, sed v. 13. habet *nos autem*, ut in graeco ήμετες δὲ legitur. Profecto igitur is, per quem illa *vetus* latina versio hoc additamento (*nos autem*) aucta est, non habuit in codice suo illud alterum & συνίστω: alias enim et hoc addidisset.

Illi quidem codices, qui mere graeci dicuntur, satis multi, exhibent illa quatuor verba, et exhibent conflanter: tuin vero patres etiam graeci, ut Chrysostomus, Theodoreus, Theophylactus, Oecumenius, haec et legerunt, et interpretati sunt. Exstant item in versione Syriaca, Arabica, Persica, non adstricta quideam plane verbis graecis \*), sed ut adpareat tamen, verba haec dubia exprimi in illis versionibus. Nam de eo, qui librum de singularitate clericorum scripsit \*\*), in qua hic Pauli-

nus

\*) Cf. Bodii Pseudocritica Millio - Bengeliana T. 2. p. 245.

\*\*) Exstat liber in operibus Cypriani inter spuria, p. 162. ed. Venetiae 1728. Quod autem ibi v. 13. legitur, *ad mensuram gratiae*; non, *regulae*, id non tam a varia lectione, quam ab interpretatione repeatam. Scilicet auctor existimauit, τὸ μέτρον ὅποις μημερισμένον esse hoc loco dotes diuinias, quas Paulus alibi τὴν αὐτὴν δοθῆσαν χάριν adpellat, ideoque e sua mente, ut interpres, *gratiae* posuit.

nus locus sine his verbis profertur, quoniam non constat, nec quis fuerit, nec qua gente oriundus, nec qua aetate vixerit, (etsi fere statuunt, graecum hominem fuisse, atque hodie tantummodo versionem libri latinam supershitum esse,) igitur de eo nihil sustineo dirimere; sed ut nunc est liber, annumerem documentis latini textus. Quis enim ignorat, eos, qui libros graecorum patrum fecerunt latinos, saepe in ipsis sacrorum librorum locis, passim insertis, substituisse graecis verbis latinam versionem, semel receptam, et publica propemodum auctoritate venerandam \*).

Ex his certo efficitur, in iis codicibus, e quibus ecclesia latina Paulinas epistolas accepit, et in eo textu, quo Latini usi sunt, et quem propterea Griesbachius latinum aut occidentalem adpellat, ab initio inde haec quatuor verba non lecta esse: post haec per recentioris vulgatae versionis auctoritatem, fortassis etiam per Augustini \*\*) scripta, recepta esse tantummodo verba *nos autem*, quamquam non omnium consensu; sed eorum tantum, qui, deserta vetera latina versione, recentiorem fecuti sunt: nam palam est, ceteros, tenaces veteris illius, constanter illa quatuor verba omisisse. Certum item est, antiquiorem \*\*\*) quae nobis quidem innotuerit, lectionem huius loci fuisse hanc, ut illa verba quatuor abessent.

H 4

Iam

\*) Vid. Chr. Bened. Michaelis de variis N. T. lectionibus, §. 14.

\*\*) Locos ex eius operibus plures, in quibus, non intelligunt, ut in graeco reperitur, collegit Erasmus in notis ad Paulinum locum.

\*\*\*) Idem placuit Semlero in itinis ad paraphrasin hujus epistolae.

Iam nullus quidem textus per se aliis semper et vbique praferendus est, cum vnuusquilibet propriis vitiis laboret. Nam si ne recensio quidem proprie dicta vbiuis valere potest: quanto minus textus, in vno aut pluribus similibus libris conspirans, et ab aliorum librorum textu dissentiens. Neque lectionis antiquitas per se aliquid in hoc genere efficit, in quo pauca in vniuersum dici possunt, pleraque in singulis locis variantur, et proprio examine indigent. Sed possunt partim in ipsa re, partim in singulorum locorum interpretatione ac sensu, ea harum rerum studiofis occurrere, propter quae huius potissimum textus lectio, et antiquior potissimum lectio, et hoc potissimum in loco, videatur illi alteri, quacum comparatur, praferenda. Cuiusmodi obseruationes quaedam cuin hoc loco mihi se obtulerint, eas deinceps proponam.

De ipsa igitur re, primo nego, vel obscuram remotamue causam aut suspicionem reperiri posse, cur haec verba, si ab antiquioribus latinis in codicibus reperta sint, videantur sublata esse: cum in hoc loco nihil de doctrinae christianaee ipsius aliqua parte tradatur, nulla de eo fuerit controversia aut disputatio, neque omnino tale quid intelligi possit, qualia interdum consulto aut temere interpolandi occasionem praebuerunt. Immo vero indubitatum est, in iis codicibus, vnde latini hanc epistolam acceperint, haec verba non lecta esse. Nego item, latinos easu aut per negligentiam ea omisisse, quoniam, id quod Bengelius acute vidit, illud *αὐτοὶ* et *σάυτες* et *ἐσαυτοῖς* in v. 12. de prima persona intellexerunt, adeoque loci sensum,

sum, sine illo additamento integrum et absolutum, expresserunt, qui per illud turbatus adeo fuisset. Quid enim, quaeso, foret illud: *Sed ipsi, in nobis nosmet ipsos mensurantes, non intelligunt: nos autem non — — Ridiculum est, nos ipsi non intelligunt.* Sed ut haec nego, ita miror, qui factum sit, ut is, qui latinae interpretationi recentiori e graecis codicibus v. 13. *nos autem* addidit, siue Hieronymus ipse fuit, sine aliis, ut ergo hanc tantum adderet, nec item  $\delta\sigma\pi\eta\tau\alpha\tau\omega\tau$  adiiceret. Nonne hinc verosimile fit, illud  $\delta\sigma\pi\eta\tau\alpha\tau\omega\tau$  nullo modo in omnibus graecis libris consolanter lectura esse? Aut hoc est concedendum, aut illud demonstrandum, quomodo totius additamenti, quo hodiernae editiones vntuntur, una particula recentiori latinae versioni indita sit, altera penitus neglecta. Etsi ergo textus, quem latini habuerunt, per se non est praferendus; tamen propter ea, quae modo dicta sunt, nunc non debet sperni. Non sufficit, latino textui opponere graecum; aut codicibus graecolatinis mere graecos; sed causae sunt quaerenda, quae in singulis locis alterutrius partis auctoritatem augeant minuantue. Et omnino iudicauit etiam Ernesti \*), in omissionibus iudicandis latinae versioni plus, quam in ceteris varietatibus, tribuendum videri.

Veniam ad interpretationem et sensum verborum dubiorum. Quem cum in incredibili sententiarum varietate, et multiplice conatu interpretationi, tamen aut contortu, aut male nexus vidisse: his omnibus ponderandis animus eo inclinati coe-

H 5

pit,

\*) Institut. interpr. N. T. P. 2. c. p. 4. §. 30.

pit, vt per haec ipsa studia interpretandi, atque dissensiones, suspicarer interpolandi loci initium factum esse: praeſertim cum, sublatis verbis dubiis, sensus relinquetur perspicuus, facilis, optime nexus.

Plerisque interpretibus haec verba, *αλλ' αὐταὶ τοιαὶ συνίσται*, videntur sic intelligenda: *Sed illi (iacitatores) qui se inuicem (cum sui similibus, non cum maioribus), comparant, non intelligunt, aut non sapiunt.* In hoc autem definiendo, quantum *non intelligant, non sapiant*, rursus sunt dissensiones plures. Quidam enim volunt, eos ineptos dici, *ἄρρενας*, propter iactantiae vanitatem, et iudicii imbecillitatem: qui sensus est in se probabilis. Sed illud quaero, quaenam tandem series orationis, quis propositionum nexus sit, si locum hoc modo interpretemur? Procurreret enim oratio hoc ordine: *Nolo istis iactatoribus par dici haberique; sed illi, cum sui tantum similibus se comparantes, non sapiunt.* Estne hic illud *sed* satis aptum? Nonne potius *NAM* dicendum erat? Certe hoc postulat natura rei: *Nolo vanorum similis videri; nam non sapiunt.* Sed vt et hoc concedam; tamen in toto loco nihil vel antea dictum erat, vel post dictum est, unde adpareret, illos iactatores se cum suisimilibus comparare consuesse, et in hoc potissimum ab iis erratum videri. Immo vero, id quod grauiſſimum est, ifti ne comparabant quidem se cum suo tantum grege et sodalitio: *nam cum ipso Paulo, iis omnibus maiore, certabant; huic se pares dici, huic anteferri adeo volebant.* Ergo haec propositio, *se cum sui similibus tantum comparant, et aliena est, et intruditur ita,*

ita, ut, quid sibi velit, parum constet. Non multum ab hac opinione difficit eorum interpretatio, qui post & συνιστοι aliquid omissum, defectumque sic farciendum putant, ut vertatur: *non intelligunt, quam sint ridiculi*: quae ratio interpretandi ex homilia Chrysostomi fluxit. Sed sunt huius interpretationis eaedem difficultates, quas modo commemoraui, omnes; et accedit durities multa: neque enim credibile est, aliquem scribere & συνιστοι, et intelligi velle, πῶς εἰσὶ καταγέλασοι. Quis tale quid oinittat? Aliis \*) placuit, hunc ordinem verborum constituere, & συνιστοι μετρεῖντες καὶ συγχρίνοντες, participiis loco infinitiorum positis. Sed ne sic quidem, si quis deinceps verterit, satis cohaerent sententiae; et falsum est, istos tantummodo cum sui similibus comparare se solere. Vidi rursus, qui, quoniam Paulus se iactatoribus immisseri velle negauerat, cetera hoc modo annexa existimarent: *Sed illi — non capiunt hoc*, scilicet aliquem esse modestum, et a iactandi vanitate alienum. Enim uero, cur illi nunc his verbis describuntur, *qui se cum sui similibus comparant?* An haec est causa, cur Paulus iis immisseri nolit? Atqui dicendum erat, eos esse vaniloquos. Haec enim esset causa apta, cur modestus homo eorum similis haberi nollet. Omnibus denique his interpretationibus communis est illa difficultas, quod in verbis, μετρεῖν ἐαυτὸν εὐ ἐαυτῷ, quaerunt descriptionem vitii et imbecillitatis, qua quis corruptus vel sui similes tantum, vel se metadeo vnum espiret.

\*) Vid. Erasmus Roterod. et Erasmus Schmidius in notis ad h. l. Schnidius quidem Balduini paraphrasin addidit; sed haec quoque in verbis & συνιστοι laborat.

respiciat: cum, vt supra Bosio auctore dictum est, hoc loquendi modo haud dubie summa modestia, nullo modo quaedam vitiositas, significetur. Plures sententias qui cognoscere vult, adeat Bezam ad hunc locum.

Aliam viam ingressi sunt, qui haec omnia non de iactabundis doctoribus, sed de Paulo ipso, modeste loquente, sic interpretantur, vt *αὐτοί* et *ἴαυτοί* primari personam exprimat; de quo non potest esse dubitatio \*); vt *μετρέψατες* et *συγκρίνοντες* sint profinito verbo *μετρέψμεν* posita; vt *συνιδεῖτε* sit datiuus casus \*\*). Ex hac ratione orta est haec Lamberti Bosii versio: *Nos nosmet nobis ipsis metimur, nosque ipsos comparamus nobis ipsis, non sapientibus.* Ergo Paulus, modestiae studiosus, non vult se cum sapientibus comparare. Quinam vero sunt hi sapientes? An omnino viri prudentes? At qualis tandem hic nexus? Paulus, qui sibi non arrogare sustinet laudem alieni laboris, mauult suis viribus et veritati conuenienter de se loqui, (hactenus bene: iam quid sequitur?) non autem se cum viris prudentibus conferri vult. Atqui hoc loco non quaeritur, quam tu prudens aut imprudens sis, et an te prudentibus immiscere velis; sed quam modestus sis, et ante iactatoribus socium addere velis. Et profecto Paulus nunc non verbis se cum prudentibus comparat, sed re et facto praefstat prudentissimorum hominum similem: agit enim modeste.

\*) Cf. Rom. 8, 23. 2 Cor. I, 9.

\*\*) Hoc quidam usque eo abusi sunt, vt graeci *συνιδεῖτε* coniungerent cum *τις* v. 12. ceteraque omnia interiecta et includeuda putarent.

deste. Adeo aliena est ab hoc loco illa vox: *No-lo cum prudentibus viris conferri.* Si quis τὰς συνιόντας diceret esse viros doctos: valeret eadem illa dubitatio, non quæri nunc de doctrina et ignorantia, sed de modestia et immodestia. At fuerit ironia, noile Paulum cum prudentibus et doctis scilicet conferri. Sed idem illud responderim, me non satis videre, cur Paulus in hac disputatione neget, se affectare laudem sapientiae, prudentiae, eruditionis verae aut opinatae.

Sed quorsum tot sententiae? Profecto non ideo eas collegi, ut viderer multa et varia legisse. Neque enim existimo, eum demum subtilis et utilis interpretis laudem misereri, qui ab aliis dicta undecumque congesserit. Et noui huius rationis detrimenta, et fugio, cum quod saepenumero perturbat animum incertumque reddit, inueniendo aciem hebetat, libertatemque iudicandi refracnat; tum quod arrogantis videtur, veluti censorio munere omnes alios improbare. Sed hoc tempore non videbatur aliena breuis sententiarum enumeratio, partim ut intelligeretur, optimo administriculo neglecto vehementer laboratum esse, partim ut ab attentis lectoribus subinde animadverteretur interpolandi occasio.

Nimirum nulla harum interpretationium offensione caret; ea vero, quam lectio veteris latinae versionis sponte offert, facilis est, perspicua, bene nexa, ut ex interpretatione, sub initium hujus libelli proposita, videtur posse intelligi. Et hanc tamen illis omnibus postponendam censemus? Nisi fortasse id, quod difficilius et impeditur est, ideo, quia tale est, in interpretatione et

et crisi praferendum aliis statuemus, aut in libris N. T. tractandis, praeter graecos codices, nihil sequendum esse decerneamus.

De interpolandi autem occasione et origine, ut intelligi nequit, quare illa verba, si Paulum habuerint auctorem; et cum codicibus graecis ad latinas ecclesias venerint, deinde coeptra sint omitti: ita potest doceri, quibus de causis inter Graecos addita videantur, et quomodo interpolations irrepserint. Ac probe quidem noui, in huiusmodi rerum causis proferendis non esse locum evidentiae: sufficit, eas non a vero abhorrere, et in hoc potissimum loco proxime verum accedere. Ac ne opus quidem est, scire causas interpolationum, si modo iustae fuerint causae, propter quas aliquis locus suspectus sit: ut in narrationibus rerum gestarum satis est, scire, esse iuslas dubitandi causas. etiamsi doceri nequit, quando et quomodo falsi rumores orti sint. Sed ne cupidior videar, rem aliorum verbis explicabo. Millius \*) ergo, *Graeci*, inquit, *quibus apostoli verba paulo praeeruptiora visa sunt, sumtis αὐτοὶ ἐαυτὸς ἐαυτοῖς in tertia persona, suppleuerunt orationem istam per marginale scholion, & συνιστών, quod irrepfit mox in contextum libri.* Ac profecto potuit alicui haec videri aposiopesis: Nolo me iactatoribus immiscere; sed illi, sui tantum similium memores — Cetera quoniam reticentur, aut ei, qui illa tertiae personae pronomina esse putat, reticeri vindentur, necesse est, ut in fine verbum (praedictum) intelligatur. Semlerus \*\*) vero sic existimat:

\*) In prolegom. sect. 1476.

\*\*) In notis ad paraphrasin.

mat: *Illa pars, & συνίεσι, videtur initio pertinuisse ad illud, τιοὶ τῶν ἐαυτὸς συνιστανόντων* \*), ut  
in

\* ) Hoc manifestum est ex homilia Chrysostomi ad hunc locum, qui s' εὐηγέρτει semper refert casu datum ad istud τιοὶ. Hic ergo alios imitatus est antiquiores, et hunc, ut certies factum est, rursus alii recentiores secuti sunt. Omnino Chrysostomus duplarem interpretationem loci profert, ut iam tunc constet dissensisse interpres, utrum totus locus de Paulo ageret, an illa particula, ἀλλ' αὐτοὶ — ad eius aduersarios referenda esset. Sed, ut fit, non explicat accurate et subtiliter; sensum vtriusque interpretationis vtcumque suis verbis exprimit — Liceat addere perspicuum exemplum additamenti, e commentariis Graecorum in codices graecos importati, a quo tamen libera et intacta mansit vetus latina versio. Nempe verba δέξαθαι ἡμᾶς 2 Cor. 8, 4. sunt spuria: et potest certo doceri, vnde et quomodo irrepererint. Dixerat Paulus, Macedones largiter et promte pecunias contulisse, et prae studio donandi petiisse a Paulo hoc beneficium, ut in societatem ministerii, christianis praestandi, veniret, hoc est, ut suo hortatu, consilio, opera, auctoritate, adiuuaret illam ἐλεημοσύνην, ac suas etiam partes quasdam in ea re esse vellet. Hoc ita dixerat: ἔθεντο ἡμῶν τὴν χάριν νηὶ τὴν κοινωνίαν τῆς διακονίας τῆς ἐς τὰς ἄγιας. Quid ergo veteres interpres? Explicuerunt ita, ut modo dixi: Theodoretus enim sic interpretatur: ἔθεν-  
θησαν ἡμῶν, τῆς τῶν ἁγίων θεραπέας φροντίσαι, Chrysostomus vero: τέτο ἡμᾶς παρεκάλεν, ὥστε ἡμᾶς ἀναδέξαθαι τὴν διακονίαν ταῦτην, ut in me hoc ministerium susciperem. Ecce vero, haec ipsa verba, δέξαθαι ἡμᾶς, in commentario Chrysostomi posita, et inde in textum illustrata. Non enim haec, quae intrusa dico, habet Chrysostomus in textu; non Theodoretus in textu; non alii patres, b editoribus N. T. iam nominati. Non existant haec verba in quatuor graecolatinis codicibus;

*in margine aliquis apposuerit, & συνιγότων.* Haec particula cum scriberetur alieno loco in textu, turbavit constructionem non solum; sed et fecit, ut novo initio opus esset, ἥμεῖς δέ. Omnis igitur perturbatio et interpolatio est inde nata, quod *autot* et *έαυτης* existimarent esse tertiae personae pronomina.

Si ergo credibile est, his aut aliis de causis inter graecos initium addendi aliquid factum esse: non mirandum erit, etiam inter latinos, post Augustinum, cum, Hieronymo praeeunte, inualuisse consuetudo latinas versiones e graecis codicibus corrigendi, magis magisque haec addimenta inualuisse, sed cum perpetua varietate, quam aliquoties attigi.

Qui vero haec tenus dicta et de ipsa re, et de sensu loci atque interpretum studiis, et de causis interpolationum, aequo animo aestimauerit, is intelli-

bus; non in vetere latina versione apud Sabatierium; non in Syriaca; non in pluribus codicibus graecis. Ergo ab initio et Graeci et Latini haec verba ignorarunt: graeci vero codices e commentariis patrum coepiti sunt interpolari: latina recensio libera hoc aditamento mansit. Num ergo magnopere errem, si, quae interdum euenisce certo docere possum, ea alibi quoque euenire potuisse, deprehensis quibusdam vestigiis, suspicer? Addam, quomodo haec Ambrosiastrum commentarius in ea editione, qua ego vtor (Basil. 1492.), exhibeat, quia Sabatierium alter protulisse vidi: Sic ergo leguntur: *Cum multis precibus orantes nostram gratiam et communionem ministerii, quod fit in sanctos.* Et non sicut sperauimus — Ergo nec hic est vestigium verborum, quae tollenda sunt.

intelliget, opinor, latinum textum graeco hoc potissimum in loco a me praelatum esse, non quia latinus aut vetustior est; sed quia partim omissione verborum in latino textu non potest depravationi aut negligentiae tribui, partim eius lectio meliorem sensum efficit, denique quia occasiones interpolationum in graecis codicibus detegi possunt.

Vnum addam de v. 13. in quo καυχησόμεθα per eamdem illam veterem latinam versionem suspectum redditur. Nam ut non legitur in graecis Claromontani codicis, ita abest a latina versione, quam Sabatierius edidit. In Augiensi vero et Boerneriano καυχώμενοι exstat, et in Boerneriani libri versione *glariantes*, quod etiam in libro de singularitate clericorum reperitur. Ambrosiaster vero et recentior interpretatio latina habent *gloriabimur*, graeco textui conuenienter. Si omnes hoc verbum eodem modo additum in codicibus reperissent; non omisissent: omissione enim haec obscurat orationem. Si omnes verbum finitum καυχησόμεθα reperissent, non erat causa, cur participium καυχώμενοι, quod syntaxin suspendit, substituerent. Sumam igitur, verbum illud penitus afuisse, oratione inque mansuile suspensum ad versum usque quintum decimum, ubi Paulus manifeste redit ad rem, v. 13. coepit, et interiectis aliis abruptam: id quod supra iam monui, et in versione mea expressi. Quid vero, si id, quod in v. 13. afuisse sumo, ei interpretandi causa additum est e v. 15. ita ut καυχώμενοι in v. 13. transferretur? Quid, si hoc participium, Hebraeorum more pro finito verbo positum, mutatum est in καυχησόμεθα? Quid, si, concessis his, quae

sumo, dicendi genus plane Paulinum efficitor, vt omnia deinceps per participia exprimantur, oratio interpelletur, degrediatur a re, redeat ad rem? An haec plane absonta vero erunt? Poterone dici faciliorein et parum impeditam lectionem praetulisse? Et nonne ipsa haec forma Paulinae orationis occasionem praebere potuit, per additamenta monstrandi et monendi, quid decesset, et quo lectorum animus intentus esse deberet? praesertim cum is, qui varias N. T. lectiones vel percurrit, exempla debeat in promptu habere, vnde liquido constet, duritatem et insolentiam Paulinae orationis per eiusmodi additamenta, et veluti completa, emollitam, et ad visitatum dicendi genus redactam esse, interpretandi causa, siue ea librariorum sedulitati aut conscientiae tribuenda, siue e celeberrimorum interpretum commentariis et homiliis intrusa sint.

---

## III

*Exponitur locus**Euangel. Lucae II, 34.*

**Q**uae diuersitas opinionum de Iesu Christo a Simeone, in hoc Lucae loco, praedicitur, ea et obtinuit omni tempore, et obtinet etiamnum: ut harum opinionum summa, et oriundus inde modus, quo se homines erga Christianum ipsum eiusque religionem gererunt, non videatur brevius et verius describi posse. Nempe viderant Iudei, inter quos Christus ipse veritatus erat, et ceterae gentes, quibus doctrina christiana primum innotuerat, quam illa et magnitudine admirandam, et salubritate exoptandam effecisset conuersionem, cum sententiarum de Deo, communii omnium Deo ac patre \*), eiusque singulari benevolentia, quae in religione nostra proprie χάρις τῷ Θεῷ ἐν Χριστῷ dicitur, tuta vero et morum atque vitae: ut adeo non sine Deo haec inchoata et continuata esse palam fieret. Nihilo minus nec pagani homines suas de suis diis, et suo illorum patrio cultu, sententias deponere, suosque mores institutioni doctrinae christianaee accommodare voluerunt; nec Iudei agnoscere, se iam tenere, quae dudum promissa et exspectata fuerant; iam introduci religionem, cuius nationi communiein,

I 2

et

\*) Eo in primis sensu, quo Rom. 3, 30. Ephes. 2, 19. I Tim. 2, 5. dicitur.

et superiore illa tanto praestantiorem, quanto excellentior adumbratione et elementis est expressa effigies et vberior perspicientia \*); iam se solui posse Mosaicae legis seruandæ necessitate, aut, si qui de hac libertate subdubitarent \*\*), ita tamen hos rem attemperare, iudiciumque interea moderari debere, vt ne his conseruandis proprius, praecipuus, atque necessarius Dei fauor conciliari censeretur, ac p̄ae his doctrina excluderetur, quæ fauorem Dei sine his sponderet; se denique Messiae regnique Messiani viam atque notionem animis informasse, quam euentus redargueret, optimus ille interpres verborum eius, qui se aliquid exhibitum suo tempore promisit. Immo vero ab ambobus hoc actum est, vt doctrinae christianaæ se diffundentis successus impediretur vi, custodia, mortibus, vt haec doctrina veluti scopus esset, quem certatim inuidiae, odii, calumniae, conuicione telis configerent.

Cum vero doctrina christiana ita emersisset, vt non amplius auctoritati potestatiique publice dominantis iudaicae paganaeque religionis subesset; sed ipsa fieret in orbe romano publica: tamen habuit, si non semper arinis et vi, at disputatione et ingenio, saepe etiam risu pugnantes aduersarios. Nec desit habere nunc, qui ita sibi homines, de sua cum Deo necessitudine iudicantes, ipsos sapere posse dicunt, vt nulla indigeant institutione peculiari, neque ad cognoscenda quaedam ignota plane, neque ad cognita confirmanda; neque ad obscuriorum illustrationem, neque ad verisimilium firmamentum atque

\*) Ebr. 10, 1.

\*\*) Rom. 14. I Cor. 8.

atque certam persuasionem; qui mores virtutemque ita praecipiendo regi posse autumant, ut superflua sint et auxilia, quae religio nostra cum promittit, tum exhibet, et argumenta, quae doctrina christiana, a singulari quodam beneficio divino petita, ceteris adiungit: qui, si vere aestimes, imminutum eunt numerum argumentorum, quare Deus, amantissimus nostri, redemandus sit. Quod utinam ne unus quidem homo serio egisset! At illi, et si negare nequeunt, permultis hominibus christianam religionem ad statuendum, ad amandum Deum, ad viuendum, ad sperandum denique salubrem fuisse, ita tamen eam attentant, quasi nulli unquam homini vel tantillum utilitatis attulerit, aut adferre possit; ita eam remotam optant, quasi sit praeter modum noxia. Qui quidem quo animo sic agant, nostrum non est statuere: nec conficit rem et causam, de aliorum animo pronunciare. Quid agant, et quo haec abiitura sint, ipsis viderint. Illud, illud dolendum est, doctrinam, quae et potest tranquillare, et tranquillauit quam plurimos, cuius omissa capita, etiam quae maxime displicant, tamen ad gignendam, alendam, exercendamque virtutem spectant, doctrinam, qua ut fundamento nascitur usus virtutis et exercitium, quae nemini bona promittit, nisi qui malus esse desierit, hanc ralem tantopere peti, et humano generi salubre institutum abiici. Nam nobis quidem, qui unam adeo sententiam, unam adeo notionem, aut ratione cognitam, aut doctrina christiana detectam, firmataam, explanatam, concutit, in qua sententia vel notione certamentis tranquillitas et vera virtus recte nisi potest,

nobis ergo is videtur, vt lenissime dicamus, humani generis commoda parum cogitare.

Quem ad modum vero doctrina christiana huiusmodi vicissitudines subiit, postquam Christus eo redierat, vnde in has terras venerat: ad eundem modum, dum in his terris versans negotiisibi demandato, docendi homines et pro illis meriendi, functus est, habuit haud paucos quidem, qui se doctrinæ eius accommodarent, ipsumque ad orientem, qualis esse iuxta consilium diuinum debet, agnoscerent; sed multo plures, eius defætus et nōe iuri patris consilio sermonibus obnitenentes: nec concedentes, ea, quae faceret perferre que, eas ob causas ab eo fieri perferrique, quas ob causas se haec agere atque perpeti docebat. Atque hunc vacuum vitae Christi decursum et succensum inter Iudeos illius aetatis proxime videatur describere locus, in quo veritasimur, explanans ille matri Iesu, non sine diuino nutu, quid in vita rebusque filii huius sui exspectare debeat, eiusque animum ita præmuniens, ne, si haec euenerint, quæ destinata ei atque praedicta fuerant, perturbetur. Ceterum propter similitudinem huius decursus vitae Christi cum iis, quae per insecura secula religioni etiam inter alias gentes euenerunt, res, hoc loco tradita, etiam cum temporum infectorum historia comparari potest: vt ipsi paulo ante fecimus.

Sed liceat ab initio sensum loci liberius, explicando potius, quam adstrictè vertendo, propnere, quem sic fere putamus exprimi posse: *Tu vero Maria, scito, hanc huius pueri sortem esse, ut Israelitarum multi ex eo culpam contrahant et corri-*

*corrigan, ipse vero, non sine acerrimo dolore tuo, sit monumentum contemptus et ignominiae. Sic complurium intima patescunt sensa.*

Illam quidem dicendi rationem, *rem vel hominem eis τι κατέθατ, non differre ab his, τεθῆναι, δοθῆναι, ἐτιμασθῆναι, καταργησθῆναι eis τι,* quoniam saepe permutantur; et penitus expressam esse, vna cum similibus, ex hebraici sermonis consuetudine, id vero nunc sumi potest. Neque huius loci est, enumerare, quid omnino in his insit, et quot modis per singula exempla varientur. Illud ad hanc disputationem pertinet, exprimi hac loquendi formula *interdum viam et notiōnem definandi*, hoc est, si quis, de cuius rebus laetis et aduerfis loquimur, *iam nunc, cum de eo loquimur*, dicatur *κέιμενος eis τι* \*\*), intelligi destinatum agendo \*\*), perpetiendo, accipiendo, qui certo acturus, perpessurus, accepturus sit, de quo non possit aliud exspectari. Monet alicubi \*\*\*)

I 4

Pau-

\*) Nemo igitur hic talia obiectat: Τίσω σε ἀς ἐγέμωση, ἀφανιστάν: nam in his non dicitur, qualis iam nunc sit is, de quo loquimur; sed qualis sit futurus, exprimiturque simpliciter illud: *vastabo, clebo te.* Quae, qui voler, e Flacii Clau. S. S. in v. *ponere*, et Tromm. Concord. in v. *τιθημι* colligere poterit.

\*\*) Ut in illo Ies. 49, 6. *τέλειώνα σε ἀς φῶς εἰδύων, destinavi te exterarum quoque nationum doctorem.* Nam haec res prophetae, de muneric sui successu inter Israelitas sollicito, ut fausta et honorifica fors declaratur. Simillima sunt Luc. 2, 31: *Seruatorem tu, Deus, destinasti nationibus omnibus doctorem (Φῶς), ut, quod nescierant, iis innotescat, tuaeque genti Israelitae honorificum et laetiferum (δόξαν).*

\*\*\*) 1 Thessal. 3, 3.

Paulus Thessalonicenses, ne se calamitatibus, quas iis religionis christiana professo contrahat, perturbari animo patientur: *nostis enim*, inquit, *nos* (Paulum, Thessalonicenses, ceteros illius temporis christianos) *huic rei*, his rebus aduersis, *destinatos esse*, *ὅτι εἰς τότε νείμεθα*, hanc sortem nostram, hoc in fatis nostris esse \*): proinde nolite perturbari eo, quod fieri aliter non potest, et in posterum quoque eueniet. Ac profecto fieri non poterat, quin illius temporis christiani, qui in dios inter Iudeos paganosque doctrinam profitebantur, vtrorumque religione publicae priuatisque opinionibus contrariam, multis modis ab vtrisque vexarentur, et, cum doctrinae huīus nouitas in seditionis rebellionisque criminationem abiisset, vulgo essent offensioni atque odio. Cur ergo fieri aliter non poterat? Per naturam rei: per ingenia et indolem hominum: et praedixerat Christus, ita fore, postulaueratque, vt sui hanc sortem subirent: significauerat etiam Paulus Thessalonicensibus, haec iis impendere, vt hoc ipso loco diserte dicit. Cum ergo aliquis pressos his rebus miseris, et hac de causa, admonet consolaturque per illud, *νείμεθα εἰς τότε*: nonne primo hoc vult: *haec est nostra fors, fieri aliter nequit?* Nonne deinde plane idem dicit, quod ii, qui ferendum aiunt, quod mutari nequeat? qui non mirandum aut impatientius ferendum monent, quod quis euenturum esse praescierit? qui multa similia sequi debere, et secutura esse ostendit.

\*) Hanc ipsum sensum Lynaria paraphrasis expressit.

estendunt \*)? Talem ergo intellectam volumus destinationem, huiusmodi formulis vitae communis centies expressam \*\*), (in quibus formulis quisque suum ipse sensum, et usum loquendi, excutere potest) et conclusam ex rerum, in quibus sumus, hominumque, inter quos versamur, natura; non autem referendam ad ancipites scholarum de fato et necessitate quaestiones, quas nemo, in communii vita cum hominibus indocet per has formulas loquens, respicit.

Similis ratio est alterius loci Paulini \*\*\*), in quo Paulus ideo se, captiuum, dicit ab amicis et

I 5

colle-

\*) Huc retulit etiam sensum loci Chrysostomus: οὐδὲν ξένον, οὐδὲν παρ' ἑλπίδες ευμετάνει: et addidit, eos, ita se rem habituram, dudum admonitos fuisse. Consentit cum his Theodorens. Is vero, qui in Cate na Oecumen. sic explicauit, ἃς τέρος κεκληρώθεα, ἀπογεγράμμενα, hoc voluit: *hac lege et conditione sortiti sumus religionem, additi sumus coeui christianorum.*

\*\*) Nemo igitur haeret in illo: δῆ μάς διὰ πολλῶν θλιψεων ποσελήνει εἰς τὴν βραστεῖν τὸ θεῖον. Act. 14, 22. aut in hoc: λυκηγέντες ἐν πολλοῖς πειρασμοῖς, εἰ δέος ἐστι, si ita necesse fuerit, si aliter fieri nequeat. I Petr. 1, 6. Et tamen κείμεθα εἰς θλίψιν idem est, quod δῆ μάς θλιψεῖσθαι. Omnino sermo Orientis non est in ordinem scholae cogendus, sed agnoscendum potius saepenumero, ea, quae nos distinctius referamus ad Deum, volentem et pernittentem, efficientem et concedentem, dantem aut non dantem, agentem sua vi aut moderantem moralia, ab illo sermone omnino referri ad ὄμορδα, βελήν, actionem effectionemque Dei, et, quoniam nihil sit fiatque ἀνεύ γε (quod tamen latissime patet), Deum simpliciter ut agentem omnia describi.

\*\*\*) Philipp. 1, 17.

collegis amanter lubenterque adiuuari, quoniam  
 sciant, se, Paulum, εἰς ἀπολογίαν τῆς ἐυαγγελίας  
 κεῖσθαι, destinatum esse propugnando euangelio,  
 hoc est, agendis perferendisque omnibus, quae  
 villo modo faciant ad propugnandam doctrinam,  
 ad causam eius agendam dicendo, faciendo, per-  
 petiendo. Erat autem tum hanc ipsam ob ca-  
 sām, quod religionem christianam docuerat, et  
 aduersus Iudeos defēderat, Romiae in vinculis.  
 Quare cum amici eum impediri cognouissent, quo  
 minus itinera, quo cumque vellet, faceret, et,  
 quod proprie debebat, per omnes nationes do-  
 ctrinam christianam propagaret: haud illibenter  
 partes Pauli suscepérunt, ne, quod ipse nunc non  
 posset facere, id omnino infectum maneret. Ad  
 hanc ergo voluntatem commotī dicuntur, quo-  
 niam Paulum εἰς ἀπολογίαν τῆς ἐυαγγελίας κεῖσθαι  
 nouerant. Quid autem nouerant, quod his ver-  
 bis exprimi posset, Paulum εἰς ἀπολογίαν κεῖσθαι?  
 Nimirum seiebant, fieri non posse, ut quaevis  
 laeta Paulo contingerent, vt semper doceret, et  
 ex alio in alium locum transferret religionem;  
 sed et mala subeunda, impedimenta superanda,  
 atque hoc etiam modo pro religione pugnandum  
 esse, et plura talia etiam in posterum exspectanda.  
 Haec cum eius fata, hanc cum eius sortem esse  
 scirent, amicūn; qui non poterat semper pro-  
 spero successu vti, et ipse munere pro Iubitu fun-  
 gi, agendoque, docendo, disputando religionem  
 defendere, sed et debebat impediri, et duris re-  
 bus perferendis eam tueri, alleuandum, eiusque  
 nomine ac loco laborandum censem̄bant. Sed cur  
 non poterat hoc, quod in Paulum ingruebat, mu-  
 tari

tari et subterfugi? Per rei naturam: per Iudeorum, quibus Paulus propemodum non poterat non displicere, ingenium et indolem: et praedixerat Christus, ita euenturum esse. Testor hic omnes, qui virum bonum eo adactum vident, ut vel cum summis incommodis bonam causam propagnet, et ea re a propriis sibi officiis detineatur, qui eum ideo adiuuandum beneuole censem, quoniam destinatus est semel huic sorti, ut luctari semper cum impedimentis bonae causae debeat, annon hoc sensu, quem modo e communis vitae sermone indicauimus, eum huic tali sorti destinatum, haec talia in fatis eius esse dicant \*).

Hacc pauca exempla, quae cuiuīs videntur e libris noui testamenti succurrere debere, satis declarant, si quis sic, ut ante constituius, καὶ σθαψ  
eis

\*) Hie quoque verum sensum Lynariana paraphrasis expressit. Sed is non potest probari, qui locum in Catena Oecum. sic interpretatus est: ἐντάλμην παρὰ κυρίος, κηρύξῃ τὸ εὐαγγέλιον: quae Theodorei quoniam sententia fuit. Nam Paulus non dixit: κεῖμαι seu ἔτερην εἰς τὸ εὐαγγέλιον, sed αἱ ἀπολογίας τῷ εὐαγγελίῳ: neque ostendit, cui muneri destinatus esset; sed quid, Deo sic moderante, muneric sui causa pati deberet. Nec placet Chrysostomi explicatio haec: Paulum muneric administrati rationem reddere debere Deo, an, ut debebat, multos homines docuerit: (quasi in hoc sit ἀπολογία:) ideoque amicos Pauli loco eius docuisse, ut tamen multi docerentur, atque ita Paulus intrepide posset rationem reddere. Hoc non est interpretari, sed rhetoriciari. Haec ipsa Chrysostomi explicatio in scholia transiit, quae Mattheai V. Cl. cum epistola ad Philipp. nuper edidit.

et sic ut dicatur, intelligi, hoc illi quacumque de causa certum paratumque esse, nec posse aliud de eo exspectari; atque si causae quaerantur, reperi-ri, naturam rei, hominum ingenia et mores, consilia Dei, omnia moderantis, tum et hoc, (nam et hoc in sacris literis interdum accedit) quia praenunciatum sit, has ergo esse causas, cur nunc quidem aliud exspectari nequeat. Causa igitur, cur illi certum paratumque sit, aliquid agere, per-ferre, accipere, non est in formulis per se; sed cogitando debet erui \*). Proinde cum non vide-retur

\* ) Itaque Pharaon eiusque similes dicuntur Rom. 9. 22. ἐὰν ἀπωλεῖσθαι κατηρπίσμένοι, quibus certus est para-tusque miseri exitus, granis clades rerum exteriarum. Quae causa sit certi exitus miseri, id non est in formula; sed in re: quia partim longae vitae multa scelerata non deposuerunt, quantumuis Deus indulserit, partim existare deber luculentum exemplum sce-lesti, eiusdemque ob sceiera miseri. E contrario ibidem Moses, Iacobus, horumque similes, dicun-tur ἐάν δέξανται οὐτοπατέρους, quibus certae parataeque sunt res prosperae, insignia huius vitae commoda. Causa in consiliis est, quae diuina sapientia et benignitas se-quitur in bonis huius vitae ita tribuendis, ut Deo li-bertas sua constet, non illa pendens ab opinione, iudicio et exspectatione hominum. Rursus, in alio terum genere, eodem in loco inter Iudeos pariter ac paganos esse dicuntur ητομεστικέναι ἐάν δέξαν, quibus certa et parata erat felicitas, b. e. ad religionem chri-stianam aditus. Causa haec est, quia voluerat Deus aliquando ex ambobus eisdem coetum efficere, ne-que ab eo separatos semper esse paganos, idque ita enenturum dudum praenunciarat. Vnde cum nunc fieret, quod per consilia diuina fieri debebat, cum id, quod iis certum paratumque erat, acciperent, non

retur hic usus loquendi in proposito Lucae loco deseri posse: prodiit illa versio, *hanc huius pueri sortem esse*, nec posse aliud de eo exspectari.

Sed quaenam est huius pueri sors? Cui sorti destinatus est? *Vt complures Israelitae cadant atque erigantur.* Οὗτος καῖται εἰς πτῶσιν ἢ γὰρ ἀναστάσιν πολλῶν ἐν τῷ Ἰσραὴλ. Si, quod cadunt et rursus eriguntur, est huius pueri sors, aut ille huic rei destinatus: necessario debet id, quod cadunt erigunturque, ad hunc puerum certo modo refer-

non obstatere debebant Iudei, Deumque reprehendere, ut sua illi libertas in propaganda religione constaret. Vbi Paulus suos ad pietatem cohortatur (1 Thess. 5, 8. 9.), ibi hoc argumento vtitur, *quia sint a Deo destinati non miseriae, sed felicitati, quam Christo debent, possidenda*, quia certa iis atque parata sit haec felicitas. Hoc num differt ab illo (Matth. 25, 34): ὅτι κληρονομήσουσι τὴν ἡτοιμασμένην αὐτοῖς βασιλείαν ἀπὸ καταβολῆς κόσμου. Causae sunt in modo, quo nos erga religionem gerimus: qui si legitimus fuerit, parata est haud dubie felicitas. Itaque saepissime in Iudeorum libris modo simpliciter dicitur aliquis felicitati aut miseriae destinatus, modo probus felicitati, improbus miseriae: unde patet fit, quare aliquid fit alicui certum paratumque, id ex ipsa re intelligi, nec in formula per se, et notione destinationis, laborandum esse. v. Wetsten. ad Actor. 13, 48. Proinde cum in hoc Actorum loco ii, *quibus destinata, certa et parata erat felicitas futura, quos certissimum erat fore felices*, suscepisse dicantur religionem: causa etiam in re quaerenda erit. Cum denique Iudei, doctrinam de Christo repudiantes, dicantur (1 Petr. 2, 8.) ἀς τῦτο τελέτες, intelligitur, hanc esse sortem eorum, eos esse semel tales, non posse ab iis aliud exspectari, et esse praedictum deus, ut de iis exspectari aliud nequeat.

referri: alias non potest in hac re sors eius esse. Ac refertur ad eum, historia reique natura declarante, dupliciter. Historia quidem, quae neminem latet, indicat, in vita, rebus, doctrina et morte Christi fuisse multa, per quae mouerentur Iudei, his, quos ex historia nouimus, moribus adsueti, his opinionibus imbuti, hoc magistrorum suorum exemplo, hac disciplina eorumdem a Christo ab alienati, ut nec ipsum agnoscerent Messiam, nec doctrinam eius de salute, propter ipsum expectanda, probarent. Itaque in doctrina, vita et morte Iesu occasio, cur tales homines ita se erga eum gererent, fuit. Atque sic, quod ita se gesserunt Iudei, ad illum puerum refertur. Quod ita se gerendi occasionem ex eius rebus doctrina et morte ceperunt, in eo lapsi sunt errore atque facto. Ergo et illorum πτῶσις ad eum refertur. Quod errore et facto lapsi sunt, occasione ex hoc pueru capta, ut nullies e rebus externis labendi occasio capi solet, culpam sibi contraxerunt. Historiam ergo considerantibus in oculos incurrit, hoc vitae decursu, hac forte Iesum usum esse, ut ex eo complures culpam sibi contraherent. Quid ergo mirum, si ex euentu explicemus, quod evenerunt praenunciatur, si Simeonem ita loquentein, οὗτος καίτης εἰς πτῶσιν πολλῶν, sic intelligamus summatim: *Est haec huius pueri sors, ut ex eo multi sibi culpam contrahant.* Enimvero ita quoque hic lapsus (utamur enim verbo iam definito) ad Iesum refertur, eiusque sors est et fit, quoniam animo eius nihil tristius accidere potuit: quod, natura rei veluti clamante, ne verbis quidem eget. Tanto minus mirandum est, non modo id, quod a eiui-

Ciuibus suis propter dicta et facta sua experturus fit, sed cum summa quoque tristitia experturus, ut forte aduersam, ei impudentem, praedici. Sic praeannuita est mater Iesu ab offensione, si popularium studia, filio suo inimica, eiusque forte tristem viderit.

Iam in promptu est, per eandem feriem notionum eundo, historia naturaque rei adiuuante, repetire, cum quae sit *avāsatis* eorum, qui lapsi fuerant, tum quo sensu haec quoque res fors imminens et destinata Iesu dicatur. Nam cum ex iisdem illis, quae docuerat et egerat, Iudei occasionem nuperi erroris retractandi culpaeque corrindae ceperint, id quod historia multos fecisse docet, Christo autem hoc laetissimum accidere debuerit, natura rei monente: haec quoque laetior vicissitudo rerum in decursu vitae eius fors illi destinata, pars fortis, qua usus fit, appellatur.

Quod ergo ille puer, de quo Simeon loquebatur, interea dum eius populares, erga eum se varie gerentes, culpam sibi met ipsi contracturi, contractamque correcturi erant, alternis tristia patriter ac laeta experturus erat, ob id dicitur *εἰς πολλῶν πτῶσιν καὶ ἀνάστασιν κεῖθας.*

Sed dicitur idem ille *εἰς ἀντιλεγόμενον σημεῖον κεῖθας*: quod ita tractandum est, ut, constituto illo, *εἰς σημεῖον*, et notione verbi *ἀντιλέγειν* descripta, concludatur, quem sensum cognitus sic usus loquendi huic loco tribuere iubeat. Si ergo ab Hebraeis, unde hic etiam loquendi modus repetendus est, *κομὸς aliquis* (cetera enim exempla\*)

nunc

\*) Veluti Iosu. 4, 7.

nunc non curamus) dicatur *εἴναις εἰς σημεῖον*: intelligitur, illum hominum esse indicio, exemplo, monumento, documento, pignori, unde aliquid cognoscatur, concludatur, aut quo aliquid confirmetur. Nam cum Iesaias, cui liberi nati erant, et qui hos ipsos inusitatis nominibus insignierat \*), et insignire iussus fuerat \*\*), profiteatur \*\*\*), sibi hos liberos *εἰς σημεῖον* contigisse: non obscurum est, omnem orationis seriem perlegenti, ex eius filii, de quo capite octauo sermo est, nomine intelligere Iudeos debuisse, hostes non ita multo post, priusquam hic puer balbutire coepisset, Damascum Sainariumque direpturos esse \*\*\*\*); ex alterius autem nomine cognosci potuisse, reliquias Iudeorum animo, fiducia, cultu, reuersatas ad Deum esse a nupera peruersitate †): ut adeo et puelli, et nomina eorum, viam συμβόλων haberent. Erant igitur hi pueri *εἰς σημεῖον*, indicio, monumento, pignori. Cum ei, qui extera numina colit, hae minae intenduntur ‡), eum fore aliis *εἰς σημεῖον* poenae: intelligitur haud dubie, qui

\*) Ies. 7, 3. Cf. c. 10. v. 20. 21.

\*\*) Ies. 8, 3.

\*\*\*) Ies. 8, 18. Sumo nunc cum multis interpretibus, hic Iesaiam de se suisque filiis loqui: etiam si multo aliter ab aliis hunc locum, propter alium in ep. ad Hebr. 2, 13. intelligi scio. Et commode *fili prophetae* intelligi possunt discipuli eius, cum doctrinam, tum vaticinia eius promte lubenterque suscipientes, a Deo ei dati, ut essent aliis, illa omnia repudiantibus, exemplo et documento.

\*\*\*\*) Ies. 8, 4.

†) Ies. 10, 20. 21.

‡) Ezech. 14, 8.

qui insigne exemplum grauiter puniti hominis erit, praeferendum cum addatur, eius cladem in prouerbiū et ludibrium abituram esse. In qua quidem simplicitate etiam interpretatio loci apud Lucam subsistet, atque σημεῖον vel de monumento, vel de exemplo capiet \*): de quo paulo post dicetur.

Tum verbum ἀντιλέγειν certam habet interpretationem, nec dicitur in libris sacris, ut aestimanti graeca videatur, tantum de his, qui contra disputationes; sed, rursus ob hebrei sermonis imitationem, de obſistentibus potissimum re atque facto, repudiantibus, rebellantibus. Docet hoc non mo-

do

\*) Haec ipsa simplicitas cauebit, ne σημεῖον ἀντιλέγοντες cum quibusdam existimemus esse periphrasis metam, et nihil aliud exprimere, quam si verbum ἀντιλογία solum positum esset. Nulla enim sunt huius periphraseos exempla, quae haec duo, πρᾶγμά τι, et σημεῖον πράγματος, sic permutari solere ostendant, ut σημεῖον sit otiosum plane ac redundans verbum. Nam etiam Matth. 24, 30. commode sic accipi potest: *Tum videbunt documentum (σημεῖον), quo constet, Messiam in coelo esse*, h. e. regnare, hostesque sibi subiicere: si vel maxime Luc. 21, 27. confetur, ubi de σημεῖῳ nihil est. Etenim in quo loco res aliqua aliis verbis, (*videbunt, Messiam venire, gerere se regem*) quam in altero, (*videbunt documentum Messiae regnantis*) describitur, is locus propterea non est exemplum grammaticum permutationis *vſitatae* duarum loquendi formarum, breuioris unius, alterius periphrasticae. Id, quod visitatum est, usus loquendi, non uno exemplo, sed pluribus, cognosci debet: nec satis est, dicere, solere in variis linguis interdum duobus verbis περιφραστικῶς exprimi unam notionem; sed docendum est, his duobus verbis ipsius, de quibus quaestio est, v. c. σημεῖον πράγματος, exprimi solere unam notionem πρᾶγμα.

do interpretationis Alexandrinae ceterarumque V. T. versionum graecarum comparatio cum hebraicis \*); sed multo planius etiam scriptorum noui testamenti usus, siue is, qui in Palaestina regnum adfectat, τῷ Καίσαρι ἀντιλέγειν, aduersus Cneſarem rebellare, dicitur \*\*), siue reniſus Iudeorum erga Iesum, quem plane respuerant et e medio sustuleraut, ne esset eorum rex, adpelletur ἀντιλογία εἰς Χριſὸν \*\*\*), paucissimis descripta per Ioannem \*\*\*\*). Ita nec loquendi mos, nec historia Christi dubitare finit, quoad Simeon Iesum dixerit ἀντιλεγόμενον, a renitentibus plane ac quoquis modo repudiatum.

Quid erit ergo, si hactenus dicta non temere atque frustra prolatā sunt, σημεῖον ἀντιλεγόμενον coniunctim? Neinpe quem ad modum manet, eum intelligi, qui est monumento et exemplo: ita, cum additur ἀντιλεγόμενον, quod repudiatur, rebellionē petitur, cogi videtur mens lectoris, ut intuēatur et cogitet in hoc adiecto verbo rem, cuius monumentum et exemplum aliquis fore dicitur, siue, ut cogitet (determinationem), quatenus et in quantum dicitur monumentum, caueturque, ne quis vel dubitet, vel pro lubitu vndiquaque arripiat, cuiusnam rei monumentum debeat intelligi. Atqui homo, qui dicitur exemplum, quod respuitur, erit, si aliis verbis exprimatur, exemplum seu monumentum.

\*) Exempla, sed pauca, et quae ipsa examine indigent, in Montf. Lex. Gr. ad Orig. Hexapla, et Trommii Concord. in v. ἀντιλέγειν reperiuntur.

\*\*) Ioann. 19, 12.

\*\*\*) Ebr. 12, 3.

\*\*\*\*) Euang. 19, 15.

*numentum hominis reiekti repudiatique*, e cuius vita insigni modo disci potest, quid sit, respui et repudiari, aut exemplum et monuimentum insigne reiectionis et contemtionis. Ut, si noster sermo (etsi nos non facile sic loqui solemus) dicat: *er ist ein rechtes Denkmal, ein rechtes Beyspiel, das gemisshandelt wird,* quiuis aliquam loquendi duritiem sentiet, quae etiam in Lucae loco est: ita tamen non diu circumspiciet, cuiusnam tandem rei exemplum seu monuimentum ille dicatur; sed ex adiectis verbis concludet, tales hominem diciignominiae iniuriaque acceptae exemplum memorabile. Haud leue argumentum huius interpretationis, quae paulo aliter eloquendis Lucae verbis statim perspicua fit, est in Syriaca versione, quae et ipsa paulo aliter elocuta est Lucae verba, in hunc modum: *positus est in signum contentionis* \*), (controversiae, renifus) ideoque usitatiore in hebraismum, a Luca paululum iminutatum, in memoria revocat, et viam pandit, qua linguarum aliarum similitudo facile deprehendatur. Omnino enim illa versio, etsi adstricta verbis existimatur, tamen multiplici libertate explicandi, circumloquendi, mutandae syntaxeos graecae, et facultate hebraismorum ad verbum exprimendorum, saepe in facilem tutamque viam interpretandi dedit.

Iam quod is, quem Simeon vlnis gestabat, etiam haec fata experturus, hac sorte usurus erat,

K 2

vt

\*) Uſus est interpres verbo, quo alibi etiam alterationem (Luc. 22, 24.), dissidium haud leue (Act. 15, 39.), controversiam foientem seu contentionem de iure (Ebr. 6, 16.) exprimit.

vt a popularibus non agnosceretur rex, sed vt no-  
cius fraudator repudiaretur, ad supplicium capitis  
traderetur, essetque, quamdiu res humanae erunt,  
plane insigne exemplum et monumentum reiecti  
ab suis turpiter et ignominiose, ideo dicitur  
*κεῖσθαι εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον*, destinatus mo-  
numento renfus et contentionis.

Si haec nostra, iam ab aliis \*) passim pro-  
lata, cuiquam parum probentur, non tam propter  
rem, in qua consentiunt ad extremum omnes;  
quam partim propter fortis destinationisque notio-  
neum, (etsi eam satis laxam, communisque vitae ser-  
moni visitatissimam, tradidimus) partim quoniam  
ipse malit alia via peruenire ad sensum fere eum-  
dein: is poterit in verbo *κεῖσθαι* respicere ad lapi-  
dis alicubi positi similitudinem, in *πτώσις* ad hos,  
qui offendunt lapidi et prolabuntur, in *σημεῖῳ*  
rursus ad lapidem, aut ad vexillum, aut ad aliud  
monumenti et documenti propositi genus: poterit  
intelligere monumentum diuinorum consiliorum,  
diuinae benevolentiae, sed *ἀντιλεγόμενον*, quo isti  
noluerunt vti, e quo noluerunt, quod debuerant,  
agnoscere: habebit etiam locos veteris testamen-  
ti \*\*), his tropis et sententiis congruos, et in libris  
noui testamenti passim de Iesu Christo repetitos:  
poterit, (etsi non memini me legere *λίθον αύασά-*  
*σεως*, vt contra *προσκόμματος λίθος* saepe legitur,)  
poterit, inquam, hoc e natura rei concludere, eo  
lapide, quo quis offenderat procubueratque, nisi  
cum-

\*) Hic quoque Lynariana paraphrasis, in pleris-  
que consentiens nobiscum, conferri poterit.

\*\*) Ies. 8, 14. 28, 16.

eundem posse, ut se leuet atque erigat. Sic cum nostra interpretatione in notione culpae, per occasionem rerum Iesu Christi a Iudeis contractae correctaeque, et αντιλεγομεν in vniuersum, consentient: in eo differet, quod ipse κεισθαι εις πτ. κ. ανασ. κ. σημ. putat esse formulas loquendi, ab exemplo lapidis ductas, euentumque certorum quorumdam vaticiniorum indicantes; nos defendimus, sine certa quadam allegoria haec dici, non ad unum respici aut duos locos certos, sed vulgari dicendi confuetudine exprimi, illam Iesu sortem impendere, ut diuersa suorum erga se studia, insignemque contemtum experiatur. Atqui hoc ipsum passum libri veteris testamenti praedixerant. Ita saepe in interpretando diuersis itineribus codem fere tenditur.

---

## V

*Illustratur locus**Epistolae ad Galatas VI, 8.*

**C**um hoc in loco homines dicuntur *σπειρεῖν*, non obscurum est, eorum studia et facta eatenus intelligi, quatenus merces futura est.

Rursus cum homines dicuntur *εἰς σάρκα σπειρεῖν*, vix verbis eget, *σάρκα esse peruersitatem indolis ac vitae*. Caret enim dubitatione, si quando in comprehendens sensibus et factis hominum mentio *σαρκὸς* fiat, id quod valet de hoc Paulino loco, *σάρκα significare τὸ ἄνομον*, et id, quod corrigi atque cessare debet. Igitur ὁ *σπείρων εἰς τὴν σάρκα, faciens sementem velut in agro peruersitatis*, est is, qui sua studia et facta refert ullo modo ad alendam augendamque peruersitatem; ei non obseruit, sed indulget.

Cum *πνεῦμα peruersitati contrarium ponitur*, melior sensus, ex verae religionis cognitione ortus, melior vita, indidem oriunda, et effector adiutorque huius sensus atque vitae, Dei Spiritus, intelligitur. Nam quid efficit et adiuuat per verae religionis doctrinam ille Dei Spiritus, ut homines desinant esse peruersi? Meliores sensus, melioremque vitae rationem. Quid ope illius Spiritus doctrinaeque succedit peruersitati cessanti? Meliores sensus, et melior viuendi ratio. Quibus rebus admissis suscepitisque in animum corrigitur peruersitas?

sitas? Melioribus sensibus, et vitae melioris ratione. Hoc est ergo πνεῦμα, contrarium σάρκι. Cogitur hinc, ut ὁ σπείρων εἰς τὸ πνεῦμα, semetem faciens velut in agro melioris illius indolis, sit is, qui sensus suos et facta refert ad sumendam, alendam augendamque meliorem illam indolem, eique accommodat.

Hinc facile intelligitur, quare et quo sensu dicatur prodesse ή σπορᾷ εἰς τὸ πνεῦμα, nocere autem ή σπορᾷ εἰς τὴν σάρκα. Nec veremur, ne quis σπείρειν εἰς τὴν σάρκα aut τὸ πνεῦμα malit sic intelligere, corpori aut animo curam studiumque impendere. Nam neutrum horum nocet aut prodest per se; vtrumque adeo fieri debet; ac si quis non corpori, sed vni animo impenderet studia et facta, male ageret, quia negligenter corpus, quod negligi non debet.

Sed quod ita in vniuersum facile intelligi potest, id quid sit hoc nominatum in loco, et de quo nominatum genere sementis; siue studiorum factorumque, dicatur, extromendum est. Iam autem fit sermonis huius initium (v. 6.) ab officio mercedis soluendae doctoribus religionis: et desinit scriptor (v. 10.) in commendanda beneficentia, cum erga omnes, tum erga eos in primis, qui eadem nobiscum vntuntur religione. Ergo σπείρειν, quod per se est, agere aliquid, cuius mercedeis accepturus, nunc nominatum est: *uti re familiari sic, ut merces sequatur: et σπείρειν εἰς τὴν σάρκα, aut εἰς τὸ πνεῦμα, nunc nominatum est, re familiari uti accommodate ad perueritatem, aut meliorem illam indolem, in opum vsu et administratione referre studia et facta ad alterutram, sic ut noceat, aut profit.*

profit. Nam ea verba, quae interiecta sunt iis, unde incipit, et ubi definit oratio, agere de eadem illa re debent, hoc est, transferri ad hanc nominatim rem, de qua nunc sermo est, interpretando debent, etiamsi per se latius patent, et uniuersam sententiam continent. Itaque studium praestandi eius officii, de quo scriptor dicit, est exemplum τῆς σπορᾶς εἰς τὸ πνεῦμα, quae prodest: et neglectus officii, quod scriptor suadet, est exemplum τῆς σπορᾶς εἰς τὴν σάρκα, quae damnum contrahit.

Illud primum est ad intelligendum, quid religionis nostrae doctrina tradat de usu rei familiaris, ut nostros in hac re sensus et facta conformet, nosque opibus κατὰ τὸ πνεῦμα vti doceat. Docet enim saepe de opum pretio, huic vitae in his terris destinatarum: temperat argumentis graibus earum studium: persuadet nobis, eas non abiicere temere, si sint a Deo concessae, sed cogitare, cur habeamus, et conferre ad consilia largientis, conservantis augentisque Dei. Ac dum in uniuersum de aliis re atque facto amandis monet, diserte addit et concludere docet, etiam in opibus administrandis possidendisque illud officium amoris respiciendum esse. Huc ergo referre in usu opum studia sua et facta, ut est σπορὰ εἰς τὸ πνεῦμα, sic hanc sementem sequetur missis eius felicitatis, quae nixa erit ex omnibus sensibus et factis, ad doctrinæ christianæ cognitionem et normam conformatis.

Qui vero hanc σπορὰν εἰς τὸ πνεῦμα fieri putarunt, eroganda pecunia in id, quod media aetas spirituale appellare coepit, in certum hominum genus

genus, in certas aedes earumque ornamenta, in certa exercitia canendi, precandi, vigilandi, hi ex vſu verbi recentiore interpretati ſunt veterem scriptorem, Paulum, nec cogitarunt, omnis generis beneficentiam, religionis cauſa et iuxta eius praecepta exhibitam, omninoque omnia recte facta, doctrinae christianaæ et meliori indoli congrua, eſſe σπορὰ εἰς τὸ πνεῦμα. Non negamus, in illis beneficiis fuiffe, quae vere poſſint dici σπορὰ εἰς τὸ πνεῦμα. Sed non is, cui beneficium tribuitur, non res, cui destinatur, efficit, vt sit cum virtute et religioni christianaæ conuenienter tributum; verum animus, quo tribuitur, ejusque indeoles, continet cauſam, cur tribuiffe sit virtutis christianaæ. Peruerso vſui opum (*σαρκικῶ*) contrarius ponitur verus (*πνευματικός*). Verus est, qui respondet doctrinae christianaæ. Ergo verus vſus non est hic vnuſ, qui opes impendit iſtis rebus hominibusque, quos recentior vſus ſpirituales nuncupauit; ſed quaelibet beneficentia, egentibus exhibita cum reuerentia doctrinae christianaæ, dici debet ſementis, in agro probitatis christianaæ ſparsa, vnde melliſ vberima efflorescet.

---



## VI

*Explicatur Paulinus locus**I Corinth. 15, 35—55.*

**C**um de corporibus dicere adgredior, quae omnipotentia diuina eo tempore, quo mortui in vitam redibunt, hominibus tribuet: non vereor, ne crimen cuiusdam temeritatis incurram, quae futuris temporibus oppansa tamquam vela diducere, res vni Deo cognitas dispicere, corporumque illorum natura indaganda ultra hominis conditionem sapere gestiat, atque adeo conetur. Neque enim corporum illorum naturam per partes indagabo, aut omnino incertarum opinionum periculis me exponam. Cuiusmodi opinionibus cum quidam veteres et recentiores ecclesiae christianaे doctores exercearentur \*): alii sedulitatis nimiae culpam subierunt, alii ingenio indulsiſe, animuinq[ue] opinionum suavitate oblectare potius, quam sententiarum veritate nutrire visi sunt. A quibus dum meam rationem se iunctam esse profiteor, non sperno illos arroganter, aut illiberaliter accuso. Qui enim veterum quaedam in hoc loco curiosius quaesiverunt, hi, ut fit, aliquid huius consuetudinis ab hominum suae aetatis studiis traxerunt,

\*) Multas enumeravit Io. Gerhardus in Locis theologicis T. 8. p. 418. n. 84—99. Cf. Huetii Origeniana, l. 2. c. 2. quæst. 9. p. 130. Guil Abr. Telleri enarratio dogmatis de resurrectione carnis per quatuor priora secula. Halae 1766.

xerunt, et istiusmodi quaestionum disceptationibus partem eruditionis contineri existimarentur. In quo quidem cum excusatus peccari arbitrer, quoniam in his, quae in vtrainque partem disputari possunt, vel sponte dandum aliquid est consuetudini; vel inuitos sequi cogit interdum viri nobilissimi auctoritas; vel futurum praevideamus, ut liberius et incorruptius indicaturi posteri rem quamque suo pondere aestinent, et, quae opinionum commenta fuerint, tempore deleantur; cum ergo sic statuam, quid rideam, aut indignar, si qui aliquamdiu talia disputando triuerint? Alii vel disciplinae physicae adsuetudine, vel Paulini loci, quem nunc tracto, auctoritate, a naturae similitudine concluserunt, fieri posse, ut, quemadmodum planta, in semine adumbrata et inclusa, naturae lege atque vi sensim effungi, et liberata expandi euoluique videtur, sic item ex corpore, terra condito, et fortasse staminis futuri continente, quocumque denum modo exoriretur melius corpus. Alii rursus non ita modo concluserunt; sed staminis nascendique corporis naturam propemodum definire adgressi sunt \*). Verum hi aut opinionis amore optauerunt, ut ille redditus corporum in vitam ad leges disciplinae, quam

\*) In his fuit Bonnetus, qui contemplationem naturae scriptit, vbi p. 84. ed. Lips. a. 1772. partim hoc nostrum corpus inuolucrum crassius staminis subtilioris appellat, partim in corpore calloso humani cerebri stamen spiritualis et melioris corporis inclusum esse s'ispicatur; his vero alia de celeritate et effectu euolutionis, quae huic stamini contingere videntur, proponit. Similia tradidit in alio libro: La palinogenese philosophique. T. 2. p. 132. seqq. ed. Genov. 1770.

quam tractabant, reuocari, et illius eventi consensio cum reliqua natura rerum effici posset; aut Paulino loco docendi potius, quam illustrandi vim tribuerunt: ceterum nihil dixerunt, quod in se veri specie careret, aut ipsi causae noceret, aut indignum Deo esset, ad eiusque potentiam vel sapientiam agnoscendam admirandamque paruum momentum ficeret. Si qui, licentia quadam praefagiendi, sensuum acutiorum ministerium \*), locum, quem corpora vitae restituta videantur occupatura, indolem corporum, illi loco consenteant, et alia tentauerint augurari, hi, modo fateantur, has suspiciones esse, neque his parem cum ipsa doctrina christiana vim tribuant, neque alios, quibus secus videtur, despiciant, ferri possunt, neque vicissim ab aliis spernendi sunt, non minibusque durioribus notaudi. Est enim suus cuique suarum sententiarum amor, quem non potest illico exuere; neque vix quam exuet, nisi per amanter exceptus; ac fortasse ne sic quidem.

Sed ut his immiscere me nolo, neque laudandi, neque vituperandi causa: ita sine omni reprehensione fieri posse arbitror, ut, quamquam de futuris rebus, eo usque tamen cogitando progrediamur, quoad sacrorum librorum doctrina patitur. Si enim ius et fas est, quae in his libris edocemur, ea comprobare ad sensu: non minus nostrum est, eorum, quae ibi traduntur, sensum pro

\*) Sensuum usum in futura illa conditione fore, Moses Amyraldus in Thesibus Salmur. P. 4. p. 843. et Iacobi (von den weisen Absichten Gottes P. 1. p. 149 sqq.) docuerunt: ille paucis, hic pluribus. Utique nihil confirmat, sed suas profert conjecturas.

pro viribus nostris consituere, dissensiones interpretum, si licet, componere, sententias sacrorum scriptorum cum argumentis, quae ipsi addunt; necctere, rerum sic copulatarum vim ad persuadendum perdiscere, ab incertis certa, a necessariis adsciticia, a diuinis humana sciungere. In priuis vero, quo nihil conuenientius est consilio Dei, futura quaedam procul nobis monstrant; conuertere licet talia cuin ad vniuersam disciplinam virtutis, tum ad diuinae maiestatis admirationem, cuius impressa futuris quoque rebus vestigia exstant; ad concipiendam spem, vbi omnia spem cident; ad sumendam fiduciam, vbi omnia nos hortantur; ad laetitiam prodendam, vbi non modo tristibus nobis esse non licet; sed inhumananum adeo est, haustum e sacris libris gaudium sibi vni occultum seruare, neque ore, vultu, gestu profiteri, vt, qui eadem nobiscum vtuntur religione, etiam exemplo nostro collaetari discant.

Evidem in beneficiis, quae diuinitus patefactae religioni debemus, reponere soleo, non modo, quod saepe ac multum de reditu corporum mortuorum in vitam nos certiores reddidit; sed per doctrinam Pauli, eo in loco, quem mihi illustrandu*m* sumsi, quaedam addidit, vel ad illustrandam obscuritatem, ex aliorum locorum breuitate reliquam; vel ad minuendas dubitationes, e locis non bene intellectis enatas; vel ad destinandum animum, inter tropos, allegorias, et similitudines vacillanteim, proprietate verborum adhibita, vel causis ad certam animi persuasionem commemorandis. Nam, aut nescio quare, aut quia hoc dissentium naturae prorsus congruum est,

ad sen-

adseriendi voluntas mirifice commouetur, si in his etiam, quae sunt patefactae religionis, in locum incideris, vbi res non verbo significatur, sed pluribus explicatur; vbi non modo, ita esse, adseueratur, sed, cur ita sit et esse debeat, etiam docetur; vbi, pronunciatis praemissisque iis, quae dubitatione carent, accurate concluditur; aut res ad exempla, experientiam, communemque sensum reuocatur: vt vel temet ipsum in his, quae scriptor tradit, agnoscas, velut in loco de vi et natura vitiosarum cupiditatū \*); vel ita plane fieri debuisse perspicias, vt cum de sublata vi disciplinae Mosaicae in pluribus epistolis Pauli disputatur; vel ita benignissime et sapientissime factum discas, vt ibi, vbi de religione christiana, non impediente vitae genus, quo stimur, sed ad illud accedente, scribitur \*\*). Quare cum cogitaturis de mortuorum reditu in vitam hic locus, Corinthiis scriptus, et perspicue, quoad de futuris fieri potest, rem describat, et materiam eius cogitando prosequendae exhibeat, et viam cogitandi monstret: putaui, non inutilem operam me sumturum, si de sensu eius, pro meis viribus, nunc grammaticē, critice et dialectice quaererem, (plura enim nunc non recipio) constitutaque Paulinae disputationis suimma normam proponerem, ad quam eis omnis de hac re quaestio exigenda: ne quis ex una parte, quidquid vispiam legisset audiissetue de futura corporum nostrorum conditione traditum, simpliciter putaret esse in partibus necessariis religionis nostrae, vel singulorum sententias viam doctrinae publicae habere op-

\*) Rom. 7, 7—25.

\*\*) 1 Corinθ. 17, 10—25.

opinaretur, vel miras ipse sibi hac de re opiniones esformaret; ex altera vero parte negaret, quae a diuino scriptore haud dubie tradita essent.

Principio, missis aliis omnibus, quo modo mihi quidem hic locus in vniuersum interpretandus videatur, versione eius proposita ostendam \*). Postquam ergo Paulus testimoniis idoneis docuerat, Christum certo in vitam rediisse; eaque re non modo factam nobis esse fidem nostri redditus in vitam, sed religionem quoque nostram, spem futuræ felicitatis, veraeque virtutis studium niti; eos refutare conatur, qui corpora, qualia nunc gestamus, in vitam redire posse, et redditura esse dubitauerant, et propterea omne in de mortuorum resurrectione doctrinam abiiciendam esse opinati erant. Certe verba, quibus dubitatio eorum exprimitur, eos hac de causa dubitasse indicant. Hos ergo refutat in hunc modum.

\*) E regione huius versionis meae edidi vetustissimam latinam translationem, vulgata versione antiquarem, e codice Boerneriano, qui Dresdae in Electorali bibliotheca seruatur. Etsi enim scio, Kuesterum in additamentis ad Millianam N. T. editionem, et Griesbachium in notis criticis ad N. T. varietates huius versionis iam enotasse; tamen non inutile putavi, integrum particulam hic proponere, ut de indeole versionis eo melius iudicari, ipsa vero cum versionibus codicis Sangermanensis et Claromontani in opere Salatieriano, et Semleriana paraphrasi prioris epistolae ad Corinthios, conferri posset. Eam debo benevolentiae doctissimi Dassdorpii, Bibliothecarii, cui me hoc etiam nomine gratissimum profiteor.

Sed quonam modo, dicat aliquis, mortui resurgent? siue quonam corpore instructi prodibunt \*)? Atqui vero, imperite, quae tu semina spargis, ea non nisi emortua viuescunt \*\*). Rursus, cum tu semina spargis, non ipsam illum plantam \*\*\*), quae nascetur, seris; sed merum granum tritici, ut hoc

Sed dicat aliquis, quomodo resurgent mortui quali autem corpore veniunt. Insipiens tu: quod seminas, non vivificatur, nisi prius ( $\pi\varphi\omega\tau\sigma$ ) moriatur. et quod seminas, non corpus quod nascetur ( $\gamma\epsilon\nu\eta\sigma\omega\mu\epsilon\nu\sigma$ ) seminas, sed nudum granum, ut pote tritici, aut aliquius ceterorum. Deus autem illi dat corpus, sicut vobis huit,

\*) Siue  $\tau\epsilon\chi\eta\delta\alpha\iota$  sic vertatur e Ioann. 5, 29, siue redibunt, ut et alibi (Ioann. 14, 18. comparato v. 3.) dicitur: nihil discriminis est — — — Hoc autem commate satis definitur sensus superioris commatis;  $\tau\epsilon\chi\eta\delta\alpha\iota$ , qualis erit eorum cum, cum redibunt, conditio?

\*\*) Haec ita seruauit, emortua viuescunt, non modo ut redderem, id quod h. l fieri poterat, tropos, ab ipso scriptore usurpatos; sed quia etiam perspicui tropi sunt. Poterat autem fieri, quoniam, quod iam Hugo Grotius ad h. l. monuit, Plinius (Hist. nat. 17, 10.) dixit, semen exceptum terra viescere.

\*\*\*) Liberius verti,  $\& \tau\delta \sigma\tilde{\omega}\mu\alpha$ , non ipsam illum plantam: non quo dubitarem, ea, quae e terris nascuntur, corpora dicere; sed quia nemo nostrum in vita communis sic loqui solet, e seminibus corpora nasci, et Paulus dicere voluit, quod e semine nascitur (plantam), id longe alio habitu esse, quam semini. Ceterum sic in versione deperire similitudinis corporum nostrorum cum plantis et seminibus indicium, quoad ipsius vocabuli similitudine fit, fateor.

hoc vtar, aut ullius cuiuspiam generis: Deus potius, prout semel inslituit, ex eo nasci iubet plantam, et suam quidem e singulis quibusque feminibus plantam. Neque porro animalium corpora omnia eiusdem generis sunt; sed hominum alia, alia quadrupedum, piscium alia, alia rufus animalium. Sunt item coelestia atque terrestria corpora: sed non illorum inodo decor \*) ab horum decore differt; verum solis etiam aliis, aliis lunae, siderum aliis decor est: "praestat enim

luit, et uniuicique seminum proprium (το ἀβεῖ) corpus. non omnis caro αὐτὴν (ἀβεῖς σαρξ). sed alia quidem (ἀβεῖς σαρξ) hominum, alia autem (ἀβεῖς σαρξ) pecorum (κτηνῶν) alia vero piscium alia caro (αλλὴ δὲ σαρξ) vulnerum (πετινῶν). et corpora coelestia et (ἀβεῖς σωμάτα) terrestria. sed alia quidem aut (ἢ) coelestium gloria, alia autem aut (ἢ) terrestrium, alia autem (δέ) claritas + gloria solis, alia (δέ εἰς in Gr.) claritas lunae et alia clara-

\*) Fert usus hebrei sermonis, ut δόξα non modo coruscum et lucidum fulgorem significet; sed omnino habitus externi et adspectabilis pulcritudinem, dignitatem, grauitatem et magnificentiam. Igitur δόξα interpretatus sum verbo *decoris*. Poterit etiam h. l. *augusta fatus* verti. Sic terrestribus quoque corporibus iis, in quibus δόξα est, quamquam non fulgent, commune erit. Cf. Schulz ad h. l. in edit. epistolarum ad Coriathios. Haec videtur esse causa, cur in cod. Boerner. ad verbum δόξα v. 40. in margine tria verba scripta sint, *gloria claritas maiestas*.

énim sidus sideri deco-  
re. Idem valet de mor-  
tuorum reditu in vitam.  
**Conditur** \*) interitu-  
rum corpus; prodit in-  
teritus exp̄s. Condī-  
tur viles; prodit excellens.  
Conditur fragile; pro-  
dit durans \*\*). Condī-  
tur animale; prodit spi-  
rituale. [Si corpus ani-  
male est: est etiam spi-  
rituale \*\*\*).] Quippe le-  
gitur

claritas stellarum. stella  
enim stellae + ab stella  
differt in claritate. ita et  
resurrectio mortuorum.  
seminatur in corruptione  
surgit in incorruptione.  
seminatur in contumelia +  
ignobilitate surgit in glo-  
ria, seminatur in infirmit-  
ate surget in virtute, se-  
minatur corpus animale  
surget corpus spirituale si-  
cūt (καὶ ως, sed notatūm  
lineola sub verbo du-  
cta) si est corpus animale  
est et spirituale sicut (καὶ  
ως) scriptum est. factus  
est

\*) Hoc potissimum vocabulo in versione, vt in  
graeco ἀπετεινει, et ad semēn, a quo ductus est tro-  
pus, et ad sepulturam respicietur.

\*\*) i. e. tam firmum et valens, vt aduersus vim  
duret, perenne — Non nego, cum Hebraei debili-  
dicant, quidquid humile ac vilē est (I Cor. I, 27.  
12, 22. vbi synonyma sunt ἄργα et ξενόνα); potens  
vero, quidquid dignitatem habet, posse et hoc loco  
corpus humile et eminens dignitate intelligi: sed quia  
vereor, ne sic duorum communatum in hoc versu ni-  
mia similitudo plures offendat, illud malo, quod su-  
pra posui, praeferim cum, vtrolibet modo versum,  
tamen exprimat vel interitum, vel interitus exp̄s  
corpus.

\*\*\*) Inclusa verba utrum Paulus omnino scrip-  
serit, an, si quid eorum scripsit, quae potissimum  
eius manus sit, non constat. Nam quantum nunc  
qui

gitur alicubi: „Prior homo Adamus siebat animalis.“ Posterior Ada- L 2 est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuifi-

quidem diligentia virorum doctorum cognitum est, nullo loco neque graeci, neque latin scriptoris christiani, e saeculo secundo et tertio, doceri potest, haec verba esse ab eo lecta aut explicata: id quod de latinis vel e Sabatierii collectaneis in promptu est, de Tertulliano Semlerus nominatim in paraphrasi prioris epist. ad Corinth. acute obseruauit. Et tamen illi veteres scriptores hunc locum non obiter commemorant; sed explicando tractant, ut Irenaeus c. haeres. 5. 6. Tertullianus c. Marc. 5, 10. Origenes c. Cels. 5, p. 241—247. nec semel, sed aliquoties recitant; nec quaedam commata, sed locum integrum. Absunt vero etiam a paucis codicibus graecis. Quarto demum saeculo reperimus, haec quoque verba una cum superioribus inter Graecos et Latinos laudari: inter Graecos quidem et in plerisque codd. gr. hoc modo: ἐστι σῶμα ψυχικόν, τοῦτο ἐστι σῶμα πνευματικὸν: inter Latinos vero, et in versionibus latinis, et codicibus aliquot graecis atque graecolatinis, sic immutata: Si est corpus animale, est et spirituale. Iam legenti locos Irenaei et Tertulliani planum fiet, eos contra secus sentientes hinc docere, non animam tantum superstitem fore, sed corpus id, quod humatum sit, in vitam reuersurum, et proinde sic argumentari: Si id, quod Paulus dicit ψυχικόν, est corpus; etiam id, quod dicit πνευματικόν, est corpus. Ex his interpretationibus, et disertis Tertulliani verbis: Si seritur animale, resurgit spirituale: an non facile potuerit vel otinuino hoc scholion: Si est corpus animale, est et spirituale: in marginibus codicum scribi, vel certe varietas lectionis in illo si enata sit, quilibet ipse aestimet. Ad seriem orationis haec verba non necessaria esse, mihi persuasum est. Nec tamen negem, ea cum serie orationis cohaere-

Adamus vero est spiritus, vitam largiens. Enimvero spirituale corpus non est prius; sed animale: huic demum succedit spirituale. Prior quidem homo terrenae fuit originis, ideoque et ipse terrenus; posterior homo [Dominus] coelestis originis est. Vnde terreno terreni; coelestii coelestes similes sunt, atque ut terreni imaginem retulimus, sic et coelestis imaginem referemus. Aio vero, in carnes et sanguinem non cadere regnum Dei, nec sempiternitatem in rei peritoram. Scitote igitur, quod vobis occultum nunc pando, non omnes nos morituros, sed omnes mutatio-

viuificantem. sed non prius spiritale, sed animale, deinde spirituale. primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis (οὐρανίος) qualis terrenus terrestris, tales (καὶ abeīt) terreni terrestres (in Gr. tantum est χοικός et χοικεῖ) et qualis coelestis (οὐρανίος) tales et coelestes sicut (abeīt καὶ ante καθώς) portauimus imaginem terreni, portemus et imaginem coelestis. hoc enim (γαρ) dico fratres quia caro et sanguis regnum Dei non inhaereditabunt + possidebunt (εἰληρονεμησάσι) neque corruptio incorruptelam possidebit (εἰληρονεμησει). ecce mysterium vobis dico omnes

haerere, eamque non turbare. Nec nego, ea exstare in versione Syriaca, quae haber: Si enim est corpus — — — Ac reuera vnum argumentum historicum et criticum, quo defendi haec lectio potest, in Syriacae versionis auctoritate est. Vnde manet illud, tot documenta antiqua omissionis non omnia euerti posse per vnius versionis Syriacae auctoritatem.

tionem subituros esse. Nempe puncto temporis, horae momento, quando tuba ultimum canet, (quippe signum tuba dabitur) tum mortui resurgent interitus expertes, tum nos mutationem subibimus. Nam interitum hoc debet fieri expers interitus, et mortale hoc immortale. Cum autem interitum hoc redditum erit expers interitus, et mortale hoc immortale, tum valebit illud dictum: Mors in perpetuum sublata est.

*omnes quidem (μεν ουν) dormiemus, non omnes autem immutabimur in momento in ictu + nutu (εοπη) oculi in nouissima tuba, tubicinatur + tuba enim canitur, et mortui resurgent (αναγνωρται) incorrupti, et nos immutabimur. Oportet (γαρ εσt in Gr.) corruptibile hoc induere, in corruptionem, et mortale (αβεστ τριτο) induere immortalitatem. (οταν δε - τοτε et a Gr. et a versione absunt) tunc fiet sermo qui scriptus est absorpta est mors in victoria.*

Hic talis locus, si iam dialectice spectetur, quasnam, missis illustrationibus, habituque orationis detracto, propositiones contineat, quo nexus eas tractet, quid finitum et propriè dictum sit, mea quidem opinione quatuor propositionibus constat: *Corpora diuersa ab his, quibus nunc induiti sumus, olim nobis tribui posse: Corpora diuersa ab his, quae nunc nostra sunt, olim nobis tribui debere: Corpora futura ab his nostris reuera diuersa fore: Corpora illa ab his sic diuersa fore, ut sint interitus expertia, sive immortalia.* De his singulis dum deinceps dicam, simul verba singula illustrabo, et, sicubi ad consilium disputationis meae necessarium fuerit, de lectionis varietate admonabo.

Ac primo quidem fieri posse, ut olim nobis corpora, ab his, quae nunc gestamus, diuersa trahuantur, comparanda rerum natura dupliciter ostenditur. Sunt enim non modo corpora, quorum unum ex altero oritur, toto genere diuersa, semina plantarum, et ipsae plantae; sed habet etiam hoc universum, quod intuemur, inanimatum et animatorum corporum genera diuersissima complura. Quid ergo? Ille Deus, qui hanc vim naturae impresserat, ut e seminibus plantae, ab his toto genere diuersae, progerminarent, non potuit eidem hanc vim concedere, ut ex hoc nostro corpore aliud produceretur; aut ipse ex eo aliud producere non poterit \*)? Ille Deus, qui tantam tam diuersorum corporum multitudinem crea-

\*) Cf. Auctor Quaest. et Respons. ad orthod. num. III. in opp. Iustin. Mart.

crearat, non poterit aliud corporum genus creare, quae omnes ac singuli homines, in vitam reduces, accipiant et gestent? Sed experientia et sexcentis exemplis edoctum ex altera parte scire, illud Deum fecisse; inde concludere, eum omnium potentissimum esse: ex altera parte negare, aut dubitare, eumdem illum Deum in hoc uno solo genere, de quo aduersarii Pauli quaerebant, idem posse; id vero magnoopere repugnat. Potest ergo Deus efficere, ut olim accipiamus corpora, ab his nostris diuersa.

In diiudicanda vero huius rei illustratione per exempla, et conclusione a re simili atque analogia vniuersae naturae, videndum est, ne nos iusto plura inde colligamus, et pro his, quae nosmet ipsi hinc erueramus, tanquam pro ipsius scriptoris sententia pugnemus. Etenim necesse est, eamdem hic legem sequi, quam, quoties ab analogia rerum concluditur, obseruamus, quoniam ipsa rei natura eam dicitat, usus vitae communis facit, et dialecticorum consentiens auctoritas comprobatur. Si ergo exempla illustrandae quidem rei vim habent, sed non comprobanda: non sequitur ex his exemplis, futura corpora fore ab his diuersa, quoniam planta differat ab semine, et animalium corpora inuicem distent: hoc enim esset comprobantis rem argumento, non illustrantis exemplo. Neque noui, qui huic conclusioni hanc vim tribuerit. Si in rerum, quae comparantur, multiplice similitudine tamen earum quaedam dissimilitudo relinquitur: non sequitur, *quo modo* e semine gerimen protrudatur, eodem ipso modo ex his nostris corporibus futura progerini-

natura esse \*): hoc enim foret modum rei explicantis, non rem exemplo illustrantis. Eadem de causa non sequitur, *ut* animantium corpora, toto genere diuersa, *sunt* a Deo *creata*, sic Deum futurum corpus, ab hoc nostro toto genere diuersum, recens creaturam esse: hoc enim foret aientis, non illustrantis. Sequitur vnum illud, vt in rerum natura alterum ex altero oritur, sic ex hoc nostro corpore alterum futurum oriendi posse: et vt rerum natura magnam diuersorum corporum copiam habet, sic item futurum corpus nostrum ab eo, quod nunc nostrum est, diuersum intelligi posse. Si quid horum a conditore rerum omnium, Deo, fieri potest, inanis est aduersariorum vox, πολὺ σώματι ἔρχονται. Quasi vero homo, nisi huiusmodi corpore, quod nunc gestat, instructus intelligi nequeat.

At fortasse Paulus non illustrare modo rem, sed docere; non tantum, quid fieri possit, ostendere, sed modum, quo sit, describere voluit. Fortasse ne illustrare quidem, sed simpliciter docere voluit. Fac vero, ita esse: sic tamen Paulum facies duas res docentem, quae inuicem constare

\*) Nimius ergo mihi videtur Bonnetus, qui, *Auctor naturae*, inquit, *cum — — plantam semine — — inclusam esse voluerit, non patuit idem corpus πνευματικὸν includere corpore Φυχικῷ?* Haec tenus bene. Iam Bonnetus pergit: *Reuelatio docet, eum hoc fecisse.* Vbi docet proprie, Deum reuera hoc fecisse? Adiungit haec: „*Et similitudo seminis est exactum rei symbolum* An vero symbolum et similitudinem exhibere, est proprie docere, alterum eodem ipso modo fieri, et reuera factum esse, quo alterum?

stare nequeunt, et duos rei modos tradentem, quorum alter altero tollitur. Si enim, quo verba v. 36 et 37 videntur animum inclinare, futura corpora ex his nostris, ut e staminibus, euoluta progerminant: non est ea creatio proprie dicta, ad quam suspicandam rursus v. 39—42 trahunt, ubi diuersa corporum genera dicuntur creata. Sin illa corpora creantur, (siue iam in initiis rerum humanarum procreata sint, suisque usibus et temporibus referuentur \*); siue in fine harum rerum e manu creatrice recentia proditura sint, ut utrolibet modo experiundo discamus, esse genus humanorum corporum, diuersorum ab his nostris, plane ut natura rerum mille genera corporum haberet) non staminum inuolucris exclusa progerminare dici possunt. Quodsi utrumque simul fieri nequit, aut hoc fiet, aut illud. Utrum ergo fiet? Forsitan illud, quod de stamine, corpus edituro, posueramus? Ergo alterum, de mundanorum corporum a Deo creatorum diuersitate, non describit modum rei, sed tantum in comparatione versatur, nec docendi vim habet, ne repugnet alteri. Fortassis hoc, quod de corpore olim procreando suspicati eramus? Rursus ergo alterum, de planta e semine oriente, intra comparationis fines subsistit, ne tollatur alterum. Denudo insto, utrum futurum sit? Id vero nescimus. Nam Paulus neutrui exemplorum genus nota quadam

L 5

in+

\*) Multa in hanc rem collegit Muellerus in dissertatione de exilio mortis Leibnitiano, inserta Gerhardi Locis theologicis, a Cotta editis, T. 18. p. 269.

insigniuit, qua, utrum ipse praeferret, atque praeferri a nobis vellet, agnosceremus: sed posuit utrumque promiscue. Si nescimus, cur alterum alteri praeferimus? Cur in alterutro explicando et exornando laboramus? Atque ego quidem in video nemini, omnium minime Bonneto, cuius doctrinam, in hac opinione tractanda insignem modestiam, animunque, religionis nostrae veretudia plenum, agnosco venerabundus; sed aequius profecto erat, et ad persuasionem utilius, conclusionem ab analogia tractare, ut tractari debet, et agnoscere, si quis scriptor negantem aliquid, vel addubitantem, ad rerum naturam vocaret, aduersarium variorum exemplorum multitudine propemodum obtruere velle videretur, et ea quidem commemoraret exempla, quibus omnibus ac singulis simul exacte respondere non possit res, cuius causa commemorantur, eum ergo scriptorem hoc unum spectasse, ut, quod alter negarat, aut in dubitationem adduxerat, non absconum a vero esse, sed fieri posse doceret. Haec videtur mihi quidem vis huius argumentationis ad concludendum \*), unde supra, ubi propositionem ex hoc loco eratam posui, hoc tantum in ea comparatione esse dixi, fieri posse: nihil praeterea.

Ceterum non oberrabo nunc per illius questionis ambages, quae indagat, eadem corpora [eadem numero dicunt, et ταῦτα \*\*)] instauraturus fit

\*) Sic Titius, naturae indagator in primis intelligens, in animaduersionibus ad Bonuetum (p. 87. 88.) iudicium de hac re moderatus est.

\*\*) Ex. I Cor. 15, 53.

sit Deus, quamquam non talia (tali qualitate, quæ nunc sunt); an alia plane et noua largitus \*). Neque enim omnino illa quaestio ex his exemplis concludendo dirimi potest; aut, si quis eā vrgere voluerit, et illam et hanc sententiam videatur inde defendere posse. Evidem ut hactenus diuersa dixi: sive, sive hoc, sive alio vocabulo deinde utar, intelligi simpliciter volo, *non cedeca*, qualia nunc sunt nostra. De ipsa vero re evidem mihi sic persuasi, cum in libris sacris non modo in uniuersum mortui dicantur resurrecturi, sed in hoc etiam Paulino loco ubique legatur, *corpora sepulta* reuersura esse, aliter ac nunc affecta, non videri hoc de corporibus plane aliis atque nouis dici, neque corpora, quae nunc gestamus, penitus secludi a resurrectionis notione posse; sed resurrectionem esse, ut scholae verbo utar, praedicatum horum nostrorum corporum, quae restituuntur mutata in melius.

Quemadmodum ergo certa stat sententia, fieri posse, ut ab his nostris corporibus diuersa nobis olim tribuat Deus: sic *ita etiam fieri debere*, ut haec ab illis reuera diuersa sint, secundo loco a divino scriptore docetur, vel simpliciter adseuerando, vel causa commemoranda. Adseuerantis quidem verba sunt haec (v. 53), cum dicit, id, quod nunc quideam intereundi moriendique conditionem

\*) Hanc quoque rem late tractauit Gerhardus in locis theol. T. 8. p. 407—417. Cf. Süssmilch von der goettlichen Ordnung in den Veraenderungen des menschlichen Geschlechtes. P. 2. p. 237. edit. quartae.

nem habeat, expers interitus et immortale fieri debere. Et quinquam vox simpliciter aientis in docendo rem non conficit: tamen, si fuerit diuinus doctor, sic quoque ad sensum meretur. Si idem ille causam adseuerandi grauem adiunxerit, tanto libentius, ut sit, probabitur. Adiunxit vero hanc: cum idem nequeat simul esse et non esse, cogi, ut futura corpora ab his, quibus nunc utimur, differre debeant. Etenim, quod v. 50 dicitur, ἡ Φθορὰ τὴν αἰΦθαρσίαν & κληρονομίσα�, seu, ut ibidem est, & δύναται κληρονομῆσα�, id non admittit alium, quam hunc sensum: quod natura sua hoc habeat, ut interire possit, idem non habere simul hoc posse, ut interire nequeat. Par est ratio alterius, σὰρξ καὶ αἷμα βασιλείαν θεῖς κληρονομῆσα� & δύναται. Nam in promptu est, nec dubitauit altquis, βασιλείαν θεῖς hoc in loco, ubi de futuris sermo est, usum et sensum futurae christianorum felicitatis indicare, quam felicitatem nunc spectare, ut sempiternam, iubet similis in hoc ipso versu propositio: quae enim in altero membro est αἰΦθαρσία, eadem in altero est θεῖς βασιλεία. Non minus constat, in hac felicitate nullum locum fore alimentis \*), nullum machinae, digerendis cibis aptae \*\*), nullum procreandae soboli \*\*\*), hoc est, nihil tale, quale est

corpo-

\*) I Corin. 6, 13. Deus efficiet, ut alimentorum usus cesseret.

\*\*) Ibid. Deus efficiet, ut venter cesseret. Et tamen Deus mortuos excitabit. Excitat ergo longe diversissimo ab hoc, quo nunc utimur, corpore instructos.

\*\*\*) Luc. 20, 34.

*corporis carnosí; futeulentí, et ad animales, quae dicuntur, actiones facti.* Si haec est βασιλεία θεός, si nobis destinauit Deus felicitatem sempiternam, omni animali aetione et affectione femoratam: nonne necesse est, ut idem Deus σάρκα καὶ αἷμα, res non sempiternas, sed interituras, nec sine alimentis duraturas, exsulare iubeat hoc suo regno?

Noui equidem, iam inter veteres fuisse, qui vocabulis carnis et sanguinis, ut alibi, sic hoc etiam loco, significari putarent prætitatem \*), cui et ipsi sane aditus ad futuram felicitatem praeccluditur. Sed, ut mittam, de quo deinde dicam, falsam in v. 49 lectionem (Φορέσωμεν) huc aliquid contulisse, quis potest in eo loco, qui de humanis et interitris corporibus agit, qui notiones carnis et sanguinis in v. 50 cum notione τῆς φθαρτῆς et θυητῆς permutat, qui de corpore vili, fragili, animali exponit, qui necessitatem huius corporis cäduci in perfectiorem conditionem mutandi declarat, in huiusmodi loco, sicubi mentio σαρκὸς καὶ αἵματος iniecta fuerit, quis potest iure recedere a verborum proprietate, deslectere ab serie orationis, negligere conclusionem argumenti legitimam, aut opinari, tradi hic potius cohortationem ad cupiditatum vincendarum studium, quam illud.

\*) Multos eorum recensuit Daniel Gerdesius in meletematibus sacrī, siue isagogē et exegesi in I Cor. 15. pag. 463. Enumerat vero et hos, quibus id, quod ego nunc defendo, visum est, iisque adserit. Liber prodidit Groningae et Bremae 1759, et diligentissime collecta continet, quae vello tempore in hunc locum scripta sunt.

illud doceri; corpusculum carneum et interitum non capere illam felicissimam sempiternitatem?

Quod autem fieri posse et debere his argumentis constat, ut olim nobis ab his nostris corporibus diuersa tribuantur, id *certo* etiam *euenturum*, idem ille scriptor tertio loco confirmat. Enumeratis enim illis diuersorum corporum exemplis, e natura rerum petitis, addit, idem de mortuorum reditu in vitam valere, hoc est, ut opinor, corpora in vitam redditura ab his nostris sepultis diuersa fore. In hoc autem *discrimine uniuerso horum, quibus nunc utimur, et futurorum corporum vim comparationis* cum discrimine corporum in rerum natura ideo pono, quoniam ipse scriptor statim adnectit, alia corpora humo conditi, alia proditura esse, et sic disertis verbis explicat, illud, quod in mortuorum resurrectione praemissis exemplis simile sit, contineri *diuersitate sepulchorum et resuscitatorum corporum*\*). Non ergo illud, οὐτω καὶ η ἀνάστασις τῶν νεκρῶν, trahi debet uice ad fulgorem corporum coelestium, (de quo posthaec plura dicentur) quasi Paulus dixerit, futura corpora coruscantia fore, aut aliud alio magis coruscum, ut in rerum natura fit: ita enim mentio corporum animatorum frustra facta esset, et similitudo plantae atque seminis sine causa posita. Neque putandum est, Paulum hoc loco docuisse, futura corpora non fulgore tantum, sed omnino

\*) Accurate defendit hunc verborum sensum Iacob von den weisen Absichten Gottes. P. I. p. 109. Secutus est Gerdesius l. l. p. 400.

omnino ab se inuicem diuersa fore, alioque aliud praestantius. Quod an ita futurum sit, nescio, et si non est incredibile; illud dicere ausim, ex hoc loco non concludi posse. Nam in disputatione cum aduersario, qui non potest animo concipere corpus, in vitam reuersurum, quoniam nihil nisi hoc corpus palpabile ei obuersatur, non cogi potest aduersarius in ordinem, si audierit, corpora vitae restituta (quasi hoc iam certum et confeclum sit) ab se inuicem diuersa fore. Hoc enim non quaeritur; nec scire cupit aduersarius, qualia corpora *unius* et *alterius* classis hominum futura sint; sed an futura sint, an esse possint, et, si sunt et possunt, qualia *omnino* futura sint. Ad haec si responsum fuerit, illa corpora longe diuersissima a caducis, fragilibus, sepultis et destructis fore, quandoquidem natura etiam multas corporum classes magnopere diuersas habeat, facilius coarguetur, nisi plane asper fuerit.

Sed hoc reuera et certo euenturum, ut diuersa accipiamus a superioribus corpora, alio etiam modo v. 51 Paulus confirmat. Vbi enim rem incognitam ab se pandi dicit, omnia, quaecumque et ubicumque sunt, humana corpora, mortua et viua, interitus expertia fore, et mutationem subitura esse pronunciat. Quae qualis sit, infra dicetur. Sufficit nunc intelligi, id, quod mutatur, ab eo, unde mutatur, differre. Non potest aliquis confidentius, et magis vniuersale pronunciare sententiam, quam hoc loco factum est a Paulo. Et excitantur lectors admonitione differata, ut hoc ita teneant. Tantopere sibi habuit persuasum, ita fore! Tantopere his, quae dixit, diversa

versa olim corpora fore, confidentia praedicendi fidei facere conatur!

Denique, quod quartum erat, illorum corporum ab his nostris diuersitatem Paulus tam perspicue definit, ut omnis ambiguitas, obscuritas et dubitatio sublata sit. Dicit enim, illa *corpora interitus expertia, ἀφθαστα, fore.* Quod quidem verbum, ut iam per se via loquendi finitum atque certum est, et significat id, quod neque in partes, neque in nihilum interit, ideoque sempiternum est: sic definitur etiam eo, quod notiones contrariae σαρκὸς καὶ αἵματος v. 50 remouentur. Atqui si quid ideo, quia non est σὰρξ καὶ αἷμα, dicitur ἀφθαστον, necessario intelligitur, id neque quotidianas mutationes recipere, quas σὰρξ καὶ αἷμα subire solent atque debent, neque ad extremita per has mutationes eo redigi, ut in partes intereat. Alter vero interitus in nihilum quo tandem modo metuendus sit ibi, ubi omnia aeterna nobis promissa sunt? Confirmatur porro vis verbi, adiuncto verbo immortalitatis corporum, quod cum illa ἀφθασια permutatur v. 53. Quam immortalitatem quocunque demum modo descriperis, ut vel intelligas corpora, quae non denuo ab animis separabuntur, vel ea, quae, quippe non disiuncta auiinis, non sine motu cubabunt et putrescentianen, si adiunxeris, ea alibi \*) dici hoc habitura, ut omnino nequeant mori, nihil planius atque certius intelligi potest. Si ergo scriptor verbo certo

\*) Luc. 20, 35, 36. *Quibus contigerit altera vita frui, et in vitam redire, hi non possunt amplius mori.*

certo utitur; si praeterea interitum in partes tollit, quoniā eam corporis naturam, propter quam in partes interire potest, sublatam esse pronunciat; si res ipsa vincit, interitum in nihilum ibi, vbi omnia aeterna erunt, ne locum quidem habere; si per alius loci doctrinam ne fieri quidem potest, ut ibi rursus moriamur: luculenter edocli sumus, quid hoc sit, futura corpora fore ab his nostris diuersa, hoc est, fore interitus expertia.

Hactenus de summa et serie Paulinae orationis. Sed ipsum illud, quod quarto loco posueram, corpora futura *hanc interitura esse*, aliis etiam verbis pluribus in hoc loco exprimitur, eadem re alia semper parte spectata, de quibus deinceps agam.

Incipiam ab eo, quod haec nostra huic vitae destinata corpora *ψυχήν* nuncupantur, vnde ad contraria his *πνευματικά* progrediar. Neque vero in psychici corporis notione videtur errari posse, cūnī Paulus, commemorato Mosaico loco v. 45, satis declarauerit, quod eam informari a lectoribus velit. Iam illo loco corpus Adami dicitur, Deo sic volente, animatum esse, respirare, respirandoque viuere coepisse, idque his potissimum verbis exprimitur, ἐγένετο εἰς ψυχὴν ζῶσαν. E quo loco cum scriptor, seruato vocabulo *ψυχὴ*, demonstrare velit, εἴσι σῶμα *ψυχικὸν*, et quid sit: non potest non intelligi corpus, quod respirando viuit, et *ψυχικὸν* esse idem, quod, ὁ εἰς ψυχὴν ζῶσα, ὁ ἐγένετο εἰς ψυχὴν ζῶσαν. Hoc uno potito, ponuntur et renqua, quae vel necessaria sunt ad ducendum mittendumque aerem, vel necessario sequuntur e natura corporis respirantis, descri-

biturque uno verbo corpus, quale nobis est cum ceteris animantibus communae. Vnde et ad etymologiam accommodate, et ad intellectum perspicue, dici potest corpus animale, animans. Ceterum, quantum nunc quidein memini, plerique recentiorum interpretum, deserta veterum quorundam super hoc loco opinione \*), consenserunt de ea notione, quam hic paucis proposui.

Iam de corpore πνευματικῷ dicam. Ac verbum quidem per se, ipsique constanter adiunctam in libris sacris notioneim, nondum ostendit fines, quibus eius vis hoc loco contineatur. Nam habere naturam spiritus (id quod est in verbo per se), esse spiritus similem \*\*), aut a spiritu adiutum instruatumque \*\*\* (quae est vis verbi, ubi, qui non est natura spiritus, tamen πνευματικὸς appellatur), esse propterea praestantiorem humanis terrenisque rebus (quae notio verbo πνεύματος in sacris libris ut plurimum adiuncta est), haec vero tum, cum corporibus tribuuntur, ambiguitate adhuc laborare, quis non videt? quoniam, quae potissimum eorum sumi-

\*) Putarunt, corpus ψυχικὸν esse, quod non regitur a spiritu sancto, sed ἀπὸ τῆς ψυχῆς: ideoque interpretati sunt, ut breuiter dicam, sensu morali, non physico. Cf. Suiceri Thes. Eccl. in h. v. Quae negligentia interpretandi vix condonanda est. Quid enim, si inde concludam, Adamum, qui profectus est, cum creatus est, corpus ψυχικὸν habuit, usum esse statim ab initio suo corpore sic, ut homines ψυχικοί, quales in libris N. T. in deteriorem partem dicuntur, eo uti solent?

\*\*) Ioann. 3, 6. πνεῦμα ἐστι, i. e. πνευματικός ἐστι.

\*\*\*) I Cor. 2, 15. et in loco de singularibus primae ecclesiae doctibus, I Cor. 14, 37.

similitudo cum spiritu, et praestantia inde orta, intelligenda sit, pressius definiendum est. Num ergo, quia corpus futurum proprie non transit in naturam spiritus, nec hoc sensu fit πνευματικόν, ipsi pro arbitrio exputabimus, et e similitudine corporis ianuam cum spiritu sine regula et norma concludemus, quibus ea similitudo partibus censerri posse videatur? velut agilitate, vi omnia penetrandi \*)? Num τὸ πνευματικὸν τὰς σωματος eo referemus, quod a diuino spiritu regitur, nec subest amplius ad petitioni, per sensus communicae \*\*)? Timo vero, quia idem scriptor pse subministrat, unde meus eius cognosci possit, tamdiu hunc potius sequamur, quam e verbo per se, et multiplici significatu, qui est et esse potest, eruamus, quid inesse posse videatur \*\*\*)). Subministrat

## M 2

vero,

\*) Legat haec, qui cupit, apud Gerhardum in Locis theol. T. 9. p. 315—328. Cognoscet etiam ex eodem loco dissensum de eo, utrum decem, an septem, an quatuor dores futurorum corporum expectandae sint. Ego unum illud noui, ἡφαστον corpus fore.

\*\*) Sic videbatur Chrysostomo ad h. l. et aliis, quorum locos Suicerus in Thes. eccles. in h. v. et Gerhardus l. l. p. 318. collegerunt. Chrysostomus etiam nesciebat, utrum hoc tantum intelligeret, an corpus expectaret leue, quod in aere vehi, eumque peruolitare posset; sic enim toto πνευματικόν.

\*\*\*) Hoc autem fecerunt, qui umquam ullam aliquam significationem verbi πνευματικός, aut plures simul, quantumuis abhorrentes a fere orationis, in hunc locum importarunt ita quidem Gerdesius l. l. p. 5. decem tere significationes huius verbi in unam compingit, inter alias et hanc, corpora futura esse apta ad recipiendas operationes spirituales mentis, a spiritu

vero, dum quaedam huic verbo opponit, quae-dam cum eo permutat, quaedam confirmandi con-silio addit: et hoc modo consentientia iis, quae ipse Christus alio loco tradiderat, docet. Scilicet *πνευματικῶν* corpori constanter hoc in loco Ψυχή-*νὸν* opponitur. Quo animaduerso, etsi ad interpretandam vim corporis *πνευματικῆς* proprie non plus lucratur, quam corpus *πνευματικὸν* non esse tale, quale respirando viuat: etsi hoc tantum ne-gando reū exprimit, remouetque potius, quod non est, quam ponit, quod est: tamen primo hoc est certum per naturam disiunctorum \*); deinde non arbitraria de similitudine corporis cum spiritu coniectura effectum, aut ex vlo aliquo significatu verbi arreptum, sed a mente scriptoris depon-tum (malim vero, vbi non potest ad rem ipsam perueniri, scire, qualis res non sit, quam mea mihi opinione persuadere, qualis sit); denique hoc reperto, gradus factus est ad certiora et planiora. Posito enim hoc, corpus *πνευματικὸν* non esse animale, adiungatur, ipsi huic corpori *πνευ-ματικῷ* destinatio hoc diei, ut *interitus expers et immortale* fiat, et hanc αὐθεντίας notionem v. 42.

cum

ritu sancto sanctificatae: hoc ergo esse *σῶμα πνευματι-κόν*. Cf. Vitrina Obs. Sacr. I. 3. c. 11. §. 5.

\*) Hoc senserunt Lutherus et Chemnitius apud Gerhardum I. l. p. 317. Tamen sibi temperare non potuerunt, quin adderent aliquid: ille quidem, hoc corpus a Deo cibandum et sustentandum esse (an ex Iren. c. haer. 4, 24?) et in Deo vitam habitu-rum (sed hoc non significat *πνευματικὸν*): hic vero, perfectissime subiectum fore ductui et gubernationi spiritus.

cum notiones τῆς πνευματικῆς v. 44. permutari. Poteritne vero tum obscurum esse, quoniam modo haec notio ἀφθαρτίας ad eas, quae in verbo πνευματικὸς sunt per vium loquendi, hoc est, ad notiones similitudinis cum spiritu, et praestantiae, humanis terrenisque rebus maioris, accedat? Eritne mirum, si, quod ἀφθαρτον erit, id hac ipsa de causa πνευματικὸν adpelletur? Nonne ita spirituum simile, humanisquo ac terrenis rebus praestantius erit? Est enim notione spiritus illud comprehensum, eum causam viuendi, agendi, monendi, habere in se, non suspensam aliunde, ut contra ea corpus aliunde, non in semetipso, causam viuendi agendique habet \*). Sic ergo ψυχικὸν est, quod aliunde habet, cur vivat moueaturque, πνευματικὲν, quod in se habet vim viuendi: sic πνευματικὸν est ἀφθαρτον natura, et ψυχικὸν est natura Φθαρτὸν. Et est omnino hebraico verbo חַיָּה adiuncta notio roboris ac durationis \*\*). Adspergam hic sermonem Christi e commentariis Lucae \*\*\*), si sic quoque haec notio πνευματικῆς, quam tradidi, in hac disputatione vindicari possit. Vbi ergo Christus docet, non fore hominum in altera vita conditionem eam, ut matrimonia ineant, hanc causam adiungit, quoniam non amplius mori possint: ut adeo non opus sit, quemadmodum in hac vita et humani generis institutione sit, vni hominum aetati, morte sublatae, succedere lege pro-

M 3

paga-

\*) Cf. Dissertat. de Deo Spiritu.

\*\*) Hoc uno argumento, ex hebraica lingua duto, conclusit Schulz in edit. epp. ad Corinthios, πνευματικὸν hic idem esse, quod ἀφθαρτον.

\*\*\*) Luc. 20, 36.

pagationis alteram tantisper, dum omnes natu-  
fuerint homines, quos nasci atque in his terris viuere  
voluerat Deus. Iam illud, eos non amplius mori  
posse, rursus hac causa commemoranda Christus  
confirmat, quoniam hunc angelorum similes sunt.  
Sic hominum illorum similitudinem cum angelis  
manifeste positam dicit in *immortalitate*: ἐν ἀπο-  
θαντὶ ἔτι δυνατοις ἵσταγγελοι γάρ εἰσιν. Est ergo  
angelorum similis, qui est immortalis \*). His  
si adnectamus, angelos spiritus esse, et haud dubie  
hanc ob causam proponi exemplum immortalium  
naturarum: transferri potest hic sermo Christi ad  
Paulinam disputationem ita, ut, cum hic πνευμα-  
τικὰ corpora sint interitus expertia et immortalia,  
illuc in vitam reuocati ἵσταγγελοι et immortales,  
agnoscamus, sacros libros in loco de mortuorum  
reditu in vitam, usurpantes verbum aut exemplum  
πνεύματος, intelligi velle sempiternitatem, qua  
discernatur spiritus a corporum fragilium mor-  
talitate.

Sed reuertor ad Paulinum locum, in quo  
v. 45. illustrantur etiam et confirmantur, quae de  
futuris corporibus πνευματικοῖς dicta erant. Quae-  
quidem illustratio si rursus exhibeat sempiternitatis  
et immortalitatis cogitationem, non temere vide-  
bor in hac potissimum aeternitate naturam corporis  
πνευ-

\*) Evidem non capio, quomodo haec similitudo  
cum angelis, post disertam Christi explicationem,  
in illa re alia, quam in immortalitate, ponit potue-  
rit. Et tamen eam quidam quæsivierunt in veloci-  
tate, subtilitate, penetrabilitate, vel in hoc, quod  
nulla matrimonia ineuntur. Mecum consentit Mos-  
hem. ad Cudworth. p. 851.

*πνευματικῶν* posuisse. Est vero illustratio in his verbis: ὁ ἔσχατος Ἄδαμ εἰς πνεῦμα ζωοποιήσῃ. Si enim Mosaius locus de priore Adamo, ψυχὴ ζώσῃ, eo consilio prolatus est, ut corporis ψυχικά, quod ille habuit, et cui nostra nunc similia sunt, naturam describeret, haud dubie Paulus hanc de posteriore Adamo, *πνεύματι*, sententiam, quam de suo addidit, expressam forma orationis, Mosaicae simillima, ideo censendus est addidisse, ut nobis corpus *πνευματικὸν* illustraret, et similitudinem corporum, vitae restitutorum, cum posteriore Adamo, *πνεύματι*, exponeret. Sed cum hoc Adamo, quoad *πνεῦμα* est, illa corpora non possunt aliam, quam semper permanendi et perpetuo durandi similitudinem hoc loco habere. Nam primo opponitur Adainus *ψυχικὸς*, qui spectatur, quatenus interire potest: unde de homine altero, *πνεύματι*, in contrarium statuendum est. Deinde corpora, *πνεύματος* similia, decies hic dicuntur interitus expertia et immortalia, et totus locus nihil aliud continet, quam duraturi in sempiternum tempus corporis promissionem: unde etiam verbum *πνεύματος* huc referendum est, ut eamdem rem, et si alia ex parte spectata, exprimat. Tertio, verbo *πνεύματος*, praesertim ubi σάρκι et φθαρίᾳ opponitur, indicari posse permanendi sempiternitatem, et indicari reuera id, quod in se habet causam manendi, nec aliunde pendet, est in promptu: unde intelligimus, si corpus αὐτοφθαρτον idem dicatur *πνευματικὸν*, id ea parte spectari, qua habet naturam *πνεύματος αὐτοφθαρτός*. Quarto alia omnia, verbo *πνεύματος* adiuncta, siue subtiliter, siue populariter, siue ex usu loquendi

librorum sacrorum, siue nostro rei cogitandæ modo spectetur, (qualia sunt, esse simplicem, non sub externos sensus cadere, esse diuino auxilio emendatum \*), et iam Dei similiorem,) haec ergo et talia sunt ab hoc loco aliena. Igitur in πνεῦματος verbo hoc loco vis et natura semper permanendi intelligenda est, et alter Adainus, πνεῦμα, est mea quidem opinione hoc loco, semper durans, in aeternum viuens.

Si haec non omni veri specie carent (a consilio quidem et serie orationis ea non aliena esse, scio), quam apte hoc idem πνεῦμα nunc ζωοποιῶν dicitur! Cum enim, vbi de mortuis sermone est, Christus ζωοποιῶν per omnem doctrinæ sacrae consensum sit is, qui mortuis vitam restituit: erit ita πνεῦμα ζωοποιῶν ille, qui cum ipse semper manet et viuit, tum mortuis vitam, et cum hac beneficium semper permanendi, tribuit \*\*).

Sed

\*) Hoc tamen nemo dicet, Christum πνεῦμα appellari, ut homines, per spiritum Dei et religionis doctrinam edociti emendatique, πνεῦμα et πνευμαticos nominantur. Si Christus, πνεῦμα, non hoc sensu usurpat: nec vitae restituta corpora πνευμatika cum priscis doctoribus christianis interpretanda sunt morali sensu, quae a spiritu sancto gubernantur. Quod enim πνεῦμa non significat in Christo, id non potest significare in eo, quod Christo responderet. Et quod non discimus e descriptione exempli, id scriptor nos de re, quae respondet exemplo, docere noluit.

\*\*) Hoc ex parte vidit Irenaeus adv. haeres. 5, 7. Corpora, inquit, animalia, id est, participantia animalia, cum hanc amiserint, mortificantur. Deinde per spiritum surgentia (hoc cum multis veterum ex Rom. 8, 11. habuit) fiunt spiritualia, ut per spiritum semper manentem habeant vitam.

Sed de ipsis illis verbis, ὁ ἔσχατος Ἄδαμ εἰς πνεῦμα ζωσποιῶν, dubitatio superest, utrum, quoniam scriptor verbum omisit, et superiore commate ἐγένετο repetendum, an ex illo nihil repetendum, sed potius est intelligendum sit. Si repetitur illud: dicitur posterior Adamus factus esse πνεῦμα. Quod si πνεῦμα, ut modo dixeram, immortalem et semper permanente indicat, putem, verbis his simpliciter exprimi, Christum post reditum in vitam, remota omni humana αἰσθητα, in perpetuum viuere; et esse hoc idem, quod alibi \*) legimus, Χριστὸς ἐγενέθεις ἐκ νεκρῶν ἐγένεται αποθνήσκει, θάνατος αὐτῷ ἐγένεται κυριεύει. Sin verbum est intelligi malius, et alterum Adamum in uniuersum putemus dici πνεῦμα, natura sua, quam iam ante mundum conditum habuit, habetque nunc, et habebit semper: tamen hactenus, quod immortalis est, cum corporibus πνευματικοῖς comparabiter, cum alia nulla, consilio Paulino congrua, comparatio locum habeat. Jam et si prior interpretatio nihil offensionis habet, neque erroris coargui potest: tamen laborat quadam duritate in modo eloquendae rei, eum, qui post reditum in vitam viuat perpetuum, nec mori possit, dici factum πνεῦμα. Vnde quam simplicissime locum intelligam sic, Christum non amplius esse et habere σάρκα, sed esse πνεῦμα, interitus experient, seu semper et in aeternum viuere, et talcum

M 5

fore

\*) Roman. 6, 9. In hanc autem rem, Christo tribui πνεῦμα eo sensu, ut sit conditio excelsa, qua nunc fruitur, postquam humilius esse desit, multa non contenenda legi posunt in Repertorii Eichhorniani P. 2. p. 1—24.

fore nostrorum corporum olim indolem. Nam siue causam, cur dicatur πνεῦμα, in eius natura positam putas, siue in conditione illa et vita immortali, qua nunc fruicitur: tamen eum cogitare debes, *qualis nunc est* \*), vt habeas exemplum tui corporis, olim αὐθάρτη et immortalis.

Sequitur, vt illustrem, priorem Adamum v. 47. dici τὸν ἐξ ὅγανθ. Cum ergo Iesus appellatur ὁ ὥν ἐξ ὄγανθ et ἐκ τῶν ἀνω \*\*), cum dicitur e coelo descendisse, et ἡ ἀνατολὴ ἐξ ὑψώς \*\*\*): per constantem doctrinae sacrae consensum fundatum ita loquendi est, eum ante mundum conditum apud patrem fuisse, et ab eo singulari modo ad nos missum esse; sed ubique simul describitur is, qui omnibus de causis, natura, diuinorum consilio- rum intelligentia \*\*\*\*), sanctitate †), consilio et fructu sui in has terras aduentus ‡‡), longe antecellit, quidquid vispici hominum est, non unus multis, qui in his terris nasci et vivere solent, sed plane singularis. Perspicue descripsit Ioannes, is, qui

Chri-

\*) Ebr. 7, 16. ἔχων ζωὴν ἀκατάλυτον. v. 24, μένων εἰς τὸν αἰώνα. v. 25. πάντοτε ζῶν, εἰς τὸ παντελὲς δυνάμενος σωζειν. Ies. 53, 6. aetatem eius quis narrabit?

\*\*) Ioann. 8, 23.

\*\*\*) Luc. 1, 78.

\*\*\*\*) Ioann. 1, 18. 6, 46. 7, 29.

†) Ioann. 8, 21. Ego a vobis toto genere differo. Vos terreni estis, inficii consilio- rum diuinorum et stupidi (v. 19.), contumaces et ἀπίστοι (v. 24.); ego contra coelestis, sciens illa, probans, tradens ubique, er, vt eueniunt, operam dans. Vos sentitis et geritis vos erga Deum plane alio modo, quam ego. Non sum ἐκ τῆς κόσμου, contemtor doctrinae diuinae ἀπίστος.

‡‡) Ioann. 6, 33, 150.

Christum antecessit, his verbis: 'Ο ἐκ τῆς ἡγεμονίας ἐχέμενος, ἐπάρω πάντων ἐστι'). Siue ergo quis coelestem verterit; siue, ut in hymno Zachariae, prolem coeli. quae amantissime ad nos venerit; siue eum, cuius origo coelestis fit, ut in hoc Paulino loco propter membrorum similitudinem feci, quoniam ὁ ὥν ἐκ τῆς γῆς opponebatur: eadem res intelligi potest, singularis plane et omni humana major excellentia \*\*). Haec vero excellentia ut in aliis locis alia parte spectatur, sic in hoc Paulino loco videtur mihi, ut causa τῆς αὐθαρεστας, commemorari, et hanc seimpiternitatis notionem adiunctam habere. Si enim in iudicio de priore Adamo eius origo terrestris tractatur ut causa, quare caducus sit: necesse est, ut posterioris Adami origo coelestis, aut τὸ esse εἰς κόσμον, causam contineat, cur non sit caducus, sed interitus expers. Quodsi, cui est origo coelestis, qui est εἰς κόσμον, qui est coelestis, spectatur, quoad est αὐθαρεστας, egregie cohaeret illa conclusio, nos, qui futuri simus αὐθαρεστοι, similes illias, qui est coelestis, cuius est origo coelestis, ideoque etiam αὐθαρεστα, futuros esse. Ac nonne id, quod Dominus semel dicitur ὁ ἐξ ἡγεμονίας, iterum simpliciter ἡγεμονίος, adiectiuo posito, arguit, non tam respici in formula

ortum

\*) Ioann. 3, 31.

\*\*) Si hoc cogitassent multi Gnosticorum, et Anabaptistae (v. Libros Symb. p. 623. ed. Rechenb.), τὸ coelestis, et esse εἰς κόσμον simpliciter opponi τῷ terrestri, ad indicandam omnino praestantiam insignem, nec semper stricte indicare ortum εἰς γην ant εἰς κόσμον: non inhaesissent his verbis, ut efficerent inde, Iesu corpus εἰς κόσμον delatum esse in Mariæ uterum.

ortum, quoad est ortus; sed spectari id, quod inde fluit, *praestantiam?* Quae praestantia nunc est in perpetuitate, ut vilitas τοῦ ἔργος ἐν γῆς, τὰ χωρᾶ, posita est in fragilitate.

Integra vero manet notio, his verbis expressa, etiamsi in v. 47. verba duo, ὁ κύριος, non legantur, quae utrum genuina sint, an spuria, per antiqua est dubitatio. Ego vero collectam ab aliis materiam criticam ita tractabo, ut bona cum venia eorum, quibus secus videtur, meam opinionem declarerem, et si in re impedita ultra veri similitudinem me progredi nec posse, nec debere, plane persentisco. Cum ergo videam, Tertullianum \*) non modo ipsum constanter legisse, *secundus homo de coelo*; sed etiam partim diserte tradere, Marcionem in v. 45. pro verbis, ὁ ἑσχάτος Ἀδαμ, legi voluisse et edidisse ὁ ἑσχάτος κύριος, partim hunc nostrum v. 47. e recensione Marcionis \*\*) sic proferre, ut et hic Marcioni legerit, ὁ δεύτερος ὁ κύριος (pro ἀνθρώπος) ἐξ ἀρχῶν; cum indubitatum sit, Cyprianum, aliosque doctores ecclesiae latinae per quatuor priora saecula, ubiuis hac lectione, *secundus homo de coelo*, vlos esse; cum constet,

\*) Huius aliorumque doctorum latinorum locos, post Millium, denuo collegit et auxit Sabatierius ad h. I. quem hic sequor.

\*\*) Si quis locum Tertulliani (c. Marcion. 4, 10. p. 417. ed. Halens.) inde ab his verbis: *Eadem modo in nomine hominis reuinetur*, inspicerit: facile intellegit, eum verba non repetere, ut Pauli, ab se ita lecta; ipse enim legit aliter (de resurr. c. 49. de carne Christi c. 8.); sed ut Marcionis, emendantis verba Pauli: nam hanc Marcionis lectionem nunc vanitatis arguit.

constet, monumenta versionum latinarum antiquorum, apud Sabatierium et in codice Boerneriano, vulgatam item versionem, exhibere hanc ipsam lectionem: negari nequit, hos ecclesiae latinae doctores e codicibus, in quibus ὁ κύριος non lectum est, suas versiones accepisse. Neque verendum est, ne in mutilos corruptosque libros inciderint, cum etiam graecae ecclesiae doctores antiquiores, a Millio nominati, hoc verbum ignorarint. Inter quos memorabilis est Origenes \*), qui, postquam Pauli verba posuit, ὁ δεύτερος ἀνθρωπος ἐξ ἀρχης, sic de iis disputat, ut non potuerit verbum κύριος in hoc loco cognitum habere: nam verba ὁ ἐξ ἀρχης diserte adstringit notioni hominis, dubitatque, an Christus, καθὸ πρωτότοκος ἦν πάσης κτίσεως, sic dicatur. Vnde mihi videtur effici, antiquissimam lectionem et Graecorum et Latinorum, de qua nobis quidem certo constat, esse eam, a qua verba ὁ κύριος absunt. Una è vetustioribus monumentis versio Syriaca dissentit, quae illud κύριος vertit: cui tamen etiam addi poterit Hippolyti locus, a Millio e MS. laudatus, quem Matthaei ad hunc Pauli locum ostendit in catena Nicephori T. I. p. 538. exstare, in quo et ipso ὁ κύριος reperitur. Sed inde a temporibus Chrysostomi, qui certo legit ὁ δεύτερος ἀνθρωπος ὁ κύριος ἐξ ἀρχης, graecae ecclesiae doctores frequentius illud ὁ κύριος legerunt: vnde codices graeci superstites fere omnes haec duo verba habent, ii etiam, quos nuperimus N. T. editor,

Mat-

\*) In euangel. Ioann. T. 2. p. 231. ed. Rothomag.

Matthaei, consuit. Neque vero de omnibus doctoribus graecis hoc valet. Nam Epiphanius \*) refert, Photinum haec sic legisse, ὁ δεύτερος ἀνθεπος ἐξ οὐνῶν. Sed neque omnino propter lectionem eum reprehendit, neque consulto ab eo ὁ κύριος omissum dicit: immo vero ne ipse quidem hoc legit; sed hac ipsa lectione, quam et Photinus habuit, ad eum non κατ' ἀνθεπον, sed propter haec ipsa verba, refutandum vtitur. Proinde non potest non intelligi, antiquissimam latinorum graecorumque doctorum sere omnium lectionem diu tenuisse.

Iam vt de his mihi non temere persuasisse videor, sic nescio, vtrum Marcion, qui substituisse ὁ κύριος verbo ἀνθεπος fexitur, auctore Tertulliano, ex ingenio et arbitrio suo substituerit; an ipse suam hanc lectionem repererit, (id quod fieri potuit, quia in Hippolyto etiam et Syriaca versione exstat κύριος) repertamque in recensione suam receperit. Nolo equidem fidem Tertulliani, de re in facto posita loquentis, labefacere: sed norunt criticarum rerum periti, non sufficere, vt aliun, alia lectione vtentem, quae eius causae et sententiae plus faueat, sic pro arbitrio emendasse locum dicamus, quoniam fieri potuit, vt ille alter hoc alicubi reperiret, nec ipse efformaret. Et est interdum ita factum, vt haeretici dicerentur lectiones introduxisse nouas, suae opinioni consentaneas, quae tamen sunt omnibus de causis antiquissimae et verissimae lectio-  
nes.

\*) T. I. p. 830. 831. ed. Colon.

nes \*). Vnde non possumus hic satis cauti esse. Eniuero si vel maxime fieri potuit, ut Marcion hoc alibi reperiret, et in suum canonem transferret: tamen illud mirum est, lectionem, quae hoc modo esset perantiqua, satis diu inter Graecos ita latuisse, ut neque Origenes, neque alii eam rescriberent, et in nullis codicibus ad Latinos perueniret. Quae cum adeo lubrica sint, neque hodie a nobis ullo modo expediri possint: malo fateri, mihi non constare certo de origine illius ὁ κύριος in hoc loco, et lectionem meo sensu dicere dubiam, aut cum Pfaffio \*\*) per Marcionitas ortam adpellare, quam cum Millio \*\*\* statuere, a lectoribus margini adscriptam, et sensim in verbo ruin contextum receptam esse; aut cum Bengelio \*\*\*\*) coniecuram, loco argumenti, ponere, quasi

\*) Socrates H. E. 7, 32. simpliciter et confidenter pronunciat, haereticos in I Ioann. 4, 3. eratisse veram lectionem, ὁ λόγος τὸν ἴησον, et substituisse alteram, ὁ μὴ δικαιολογεῖ τὸν ἴησον, quam hodienum recte tenent editiones. Et tamen cum e Polycarpo (ad Philipp. fest. 7.), tum e Tertulliano (de carne Christi c. 24.) doceri potest, esse antiquiore lectionem, ὁ μὴ δικαίος τ. ἴησος. Ostendi etiam potest e Tertulliano (c. Marc. 5, 16.) illud solvere Iesum esse interpretamentum lectionis alterius, quacum coniungitur, obscurum quidem, sed propter gnosticas controversias sic potissimum expressum. vid. Millii prolegom. N. T. fest. 928. Pfaffius de euangeliis sub Anastasio non corruptis, fest. 8. Semleri appendix ad prolegom. N. T. Wersteniana p. 590.

\*\*). De variis lectionibus N. T. cap. II, fest. 1.

\*\*\*). Prolegom. fest. 325, 326.

\*\*\*\*). In apparat. crit. ad h. l. Illud concedo Bengelio in Gnomone, verbum κύριος etiam e serie ora-

quasi ὁ κύριος genuina lectio sit, cuius omittenda omnis occasio in librarii festinantis negligentia quaerenda sit. Sic teneo, quae certo praestare possum, ὁ δεύτερος ἀνθεμίτης ἐξ ἀρχῆς \*), et verbis video eundem sensum inesse, quem habitura essent, etiam si ὁ κύριος adderetur.

Sed ad interpretationem reuertor. Cum ergo ὁ ἐξ ἀρχῆς non per se quidem significet sempiternum et interitus expertem; sed causam huius notionis contineat, psalmique notionem hic necessario adiunctam habeat, eaque hoc loco vniice spectanda sit: potest et debet alter Adamus, ἐπιγράνιος, ut v. 48 et 49. dicitur, hac de causa, quia est ἐξ ἀρχῆς, simpliciter sempiternum indicare; cum in promptu sit, hoc ἐπιγράνιος ex illo ὁ ἐξ ἀρχῆς pendere et concludi, sic ut χειρὸς pendet atque concluditur εἰ praemillis, ὁ ἐκ τῆς γῆς. Eadem vero his verbis ἐπιγράνιος alio modo inueniri et confirmari potest, si, quid sit, quod v. 48. nos dicimur coelestes futuri, examineamus, et contraria contrariis conseruationis defendi posse: Sed hinc non defenderim contra huiusmodi argumenta critica.

\*) Non sustineo, cum Semlerio in paraphrasi huius epistolae etiam verbum ἀνθεμίτης adsutum putare: nam auctoritate consentienti veterum monumentorum defenditur. — Quod autem vulgata versio, et codex Boernerianus, et latini doctores plures; in fine versus *coelestis* addunt, id refellitur cum auctoritate codicium et doctorum graecorum, tum inde, quod ne Latini quidem antiquissimi hoc legerunt: et aut sapit additamentum, quo posterius comma similius fieret priori, aut, cum in marginibus per notam compendium scribendi ὁ κύριος coeptum esset addi, inde factum est ὁ ἀρχαῖος, quasi per compendium scriptum fuisset οὐνιος.

feramus. In quo mihi videtur e pluribus rebus, quae certae sunt, certo concludi posse.

Indubitatum est, ipso verbo significari id, quod in coelo est, vel ullo aliquo modo ad coelum pertinet; neque ambigitur, simul indicari perfectionem, humana longe maiorem, diuinæ similem, atque adeo diuinam; constat etiam, in quo ea perfectio insit, non posse in uniuersum dici, sed in singulis locis e serie orationis definiendum esse, quoniam variari solet. Rursus in loco, qui futurorum corporum conditionem describit, homines non omnino, sed ea parte, qua illa corpora habebunt, coelestes dici, et ἀνθρώποις ἐπεγάννοι hoc loco esse ἀνθρώποις, ἔχονται σῶμα ἐπεγάννοι, mihi quidem non minus persuasum est. Incurrexit etiam in oculos, hominem coelestem contrarium poni terrestri; et hunc terrestrem esse hoc loco hominem caduco et interituro corpore, Paulus veluti digito monstrauit. Cogitur ex his, tam certis et perspicuis hominem coelestem esse, qui habet perfectius et melius corpus; quam quod in hiis terris gestauerit, hoc est, corpus interitus expers, et fines huius notionis neque coarctandos esse, neque amplificandos: praesertim cum et alibi \*) res, similibus fere verbis expressa, simili etiam

\*) 2 Corinti. 5, 1. Vnde hoc loco latenter, quantum hic id, quod in coelo aut coeleste est, diserte tractatur, ut sempiternum. Sed οἰκητήριοις ἐν οὐρανοῖς intelligo de corpore, quod resuū itati oīlū habebimus; verum id dico puto, nos, solutos domicilio corporis huius, non caritudo loco, in quo felices versemur: ut adeo οἰκητήριοις ἐν ἄστροι sit nostra in coeli commemratio felix, ad quam statim a morte corporis

etiam modo a Paulo definiatur. Nam vbi nos, destructo domicilio terrestri, quo ad tempus usi eramus, accepturos esse docet a Deo mansurum aeternumque ἐν τοῖς ἔργοις, quis non agnoscat ἀνθρώπων ἐπιγένετον descriptum? quis non videat, illud coeleste domicilium diserte dici sempiternum; cogaturque fateri, si quis coelestis domicilii notionem informare velit, cogitandum esse per se. Etius eatenus, quatenus non destruetur. Adiungitur ergo coelo durationis, terrae interitus notio \*).

Si nos sumus huiusmodi homines coelestes, sequitur, posteriorem Adamum v. 48 et 49. eadem

poris deferemur. Nam ut hic v. 1. Paulus dicit: *exenti corpore breuis aei versabimur in aeterno coeli domicilio*: sic infra v. 8. idem his verbis repetit: *separati a corpore erimus apud Dominum*. Ergo post mortem esse apud Dominum idem est, quod post mortem viri commemoratione in coelo aeterna. Non ergo dicitur, quid futurum sit in resurrectione mortuorum, quale corpus tum simus acceptiuri; sed dicitur, quid statim a morte futurum sit, scilicet, nos aliquo loco, in coelo, fore felices, et mansuros in perpetuum felices. Vnde et optat mori Paulus, ut, solutus corpore, sit apud dominum. Ergo necessario ab initio posuerat: Soluti corpore erimus in loco felici in perpetuum. Hinc enim optat mori, ut perueniat in illum felicem sine fine locum. Non sfernenda de hoc sensu loci scripsit Gerhardus Loc. theolog. T. 8. p. 205.

\* ) Haec tenus conferri potest Philonis locus (de Alleg. I. p. 49. ed. Mang.), vbi δὲ εράνος ἀνθρώπος dicitur φαρτῆς καὶ εργάλως γείδεις οὐτας αὐτοχος. Cetera vero de ἀνθρώπῳ εράνῳ in illo loco longe aliter, quam a Paulo, dicta sunt. Cf. Loesnerus in Observatt. ad N. T. ē Philone. p. 296.

dem sensu coelestem dici. Nam et aperta est Pauli argumentatio, qualis hic sit, tales illos fore: et alias locus \*), in quo nobis nostrorum corporum cum corpore Christi similitudo promittitur, eodem dicit. Nostra vero, quae nunc sunt, in illo altero loco diserte vilia et caduca dicuntur, Christo σῶμα τῆς δόξης tribuitur, quod est in se corpus excellentissimum. Quae quidem excellentia rursus e contraria vilitatis et fragilitatis notione definienda est. Vnde cognoscitur, interitus expers Christi corpus esse. Quare vel ob illum alterum locum Christus coelestis, habens corpus coeleste, idem erit, qui in epistola ad Philippenses, non fragile, sed interitus expers corpus habens.

Quocumque ergo modo ἐπιγράφως et ὁ ἔχων cogitetur, desinimus, propter seriem orationis scriptorisque consilium, in sempiternitatis notione. Vnde haec una non temere hoc loco defenditur \*\*).

## N 2

Cum

\*) Philipp. 3, vlt.

\*\*) Non necessarium putauit, dev. 49. seorsim dicere, aut veteres rursus refutare, qui hanc esse putant cohortationem ad imitandum Christum. Si vero χοικὸς propter historiam Adami non significat prauum: nec ἐπιγράψας probum significare potest. Ipsa lectio φορτεῖται, et versio antiqua, portemus, quamquam satis habet auctoritatis a causis criticis, tamen vel ex ingenio mutanda est in φορτεῖσθαι, et portabimus, et si hoc ipsum quoque iam critice defendi potest. Non enim foret conclusio commoda: Imitemur sensum Christi coelestem; nam mortale debet fieri immortale. Sed sic conclusisset Paulus, si illa lectio et interpretatio veterum vera esset. Verum vidit Theodoreetus ad h. l. ubi de Paulo monet: τὸ φορτεῖσθαι προρρήτικῶς, οὐ περαιτερίκῶς θέμη.

Cum vero Paulus in hoc loco corporibus nostris, ad aliam vitam transituris, etiam instare aliquid dixerit, quod v. 51 verbo ἀλλάσσεσθαι exprimitur: erit de huius quoque verbi sensu ita videndum, ut adpareat, utrum hoc cum antedictis congruat, an rem diuersam indicet.

Quod antequam fieri potest, minuenda est eorum opinio, qui mutationem eventuram tantummodo probis hominibus praedici, atque Paulum, opponentem v. 52 *mortuos et nos*, illud *nos* retulisse ad se sive similes, ἄγιοις, veros et integros Christianos, putant \*). Sed enim, qualisnam tandem notionum oppositio est, *mortui et sancti?* Quis defendere suscipiat, si quis vir sanctus se mortuis opponat, eum se spectasse hactenus, quatenus sanctus est? cum potius naturae conueniens sit, opponentem se mortuis describere se, quatenus viuit. Nonne grauissima causa in orationis serie esse debebat, si tam inopinata inauditaque oppositionem admittere, sensuque naturali oppositionis relicto, virum illum non viuum, sed sanctum intelligere vellemus? Nonne necesse erat, ut aliquid a scriptore in hoc ipso loco dictum reperiremus, propter quod sensus loci sanus esse plane non posset, nisi huc confugeremus? Deinde alio in loco \*\*), qui et ipse de mortuorum in vitam reditu agit, cum opponuntur *mortui et nos*, satis declarat scriptor, adiecta explicatione,

cī

\*) Loquor hic tantummodo de v. 51 et 52. Id, contra quod dico, defendit Gerdesius I. pluribus locis.

\*\*) 1 Thessal. 4, 15.

*εἰ περιλειπόμενοι*, mortuis opponi eos, qui in vi-  
vis futuri sint illo tempore. Ergo illud *nos*, e na-  
tura oppositorum, et consuetudine Paulina, quam  
similis locus declarat, per se neque probos neque  
improbos, sed nondum mortuos indicat, estque  
hic noster locus ad illum, ab adiecta explicatione  
luculentum, exigendus. At, inquires, illi ipsi, de  
quibus Thessalicensibus Paulus scripsit, sunt  
necessario probi, eum v. 17 dicat, *nos viui superstites ita obuiam siemus domino nostro, ut in semperitnam eius societatem recipiamur.* Est ita. Vn-  
de vero intelligis, hoc loco illud *nos* de probis  
hominibus dici? An, quia *nos* et *mortui* oppo-  
nuntur? An e verbo *nos* per se? Nonne ex ad-  
iecta potius descriptione? Igitur nec hoc nostro  
loco, nisi diserta talis et luculentæ descriptio addi-  
ta sit, potest de probis tantum sermo esse, nec  
Paulus dici se descripsisse potius, ut probum, quam  
*ut viuum et superstitem.* Nihil vero tale est hic  
additum, sed verbo laxioris significatus posito,  
*nos*, inquit, *mutabimur.* Proinde non sumendum  
est cum quibusdam, quos infra nominabo, *mutari*  
esse hic, sanctitati aptiorem aut omnino beatissi-  
mum fieri, et huc detorquendum verbum *nos*;  
sed quaerendum, quae sit per seriem orationis  
consiliumque dicentis mutatio, ac si repertum fu-  
erit legitime concludendo, esse mutationem τὸ  
Φθαγτὸν in τὸ ἀΦθαγτὸν, agnoscendum, cum  
dicat scriptor *nos*, opponatque hoc mortuis, esse  
*nos* in uniuersum de viuis illo die et superstibus  
adhuc dictum.

Iam videamus, qua via ad huius mutationis  
veram notionem veniri possit. Et poterit ea haud

dubie considerando nexu v. 52 et 53 definiri. Sei-  
licet posito illo v. 52, mortuos interitus expertes  
surrecturos, adiungit scriptor v. 53 haec causam,  
necessarium esse, ut, quod natura sua interire  
possit, reddatur expers interitus. Pari modo de  
eo, ceteros, a mortuis diuersos, hoc est, non  
mortuos, sed tum superstites, cum mortui resur-  
gent, mutationem subituros esse, haec ipsa causa  
valet, quod sit Φθαρτὸν natura sua, id ἀΦθαρτὸν  
fieri debere. Nam haec causa posteriori huic, si-  
ne discriminē, aequē ac priori subiicitur, ut com-  
probans vtrumque. Legitima igitur fit argumen-  
tatio (liceat enim hic plane scholarum more age-  
re, breuitatis et euidentiae causa) e propositione  
et adiuncta causa: Quod ut fiat necesse est, id il-  
lo tempore fiet. Sed necesse est, ut, quod na-  
tura sua interire potest, reddatur illo tempore in-  
teritus expers. Reddentur ergo illo tempore non  
modo (*νοι*) mortui interitus expertes, sed etiam  
(*νοι*) viui mutabuntur. Quid tandem aliud esse  
potest, subire mutationem, quam interitus exper-  
tem reddi? Non potuisse Paulus haec ita necesse  
re argumentando, nisi vtroque verbo eadem res  
significaretur. Est igitur mutatio, quae *omnibus*  
(v. 51), et mortuis et viuis, illo tempore eueniet,  
alia nulla, quam corporis caduci mutatio in cor-  
pus ἀΦθαρτὸν et immortale. De mortuis dicit  
diserte; de viuis necessaria consecutione efficitur.

Hanc conclusionis euidentiam et si non diffi-  
cile est animaduertere, ut animaduersa est a mul-  
tis \*): tamen fuerunt, qui, tribuentes hanc ἀλ-  
λαγήν

\*) Chrysostomus ad h. l. Δεὶς νοῖς ἐκῆνε τὰ σώματα,  
τὰ

λαγῆν tantummodo probis, intelligerent vel mutationem proborum hominum, quorum vita in his terris perpetua impedimenta probitatis a corpore habuerat, in homines aptiores ad sanctitatem \*), vel eorumdem hominum proborum mutationem in gloriam \*\*). Fuerunt item, qui, intellecta quidem mutatione omnibus illo tempore vivis communi, putarent, verbis & κοιμηθῆναι ἀλλ' αἰλάσσεσθαι significari, per breuissimam mortem, aut αὐλογόν τι τὰς θανάτους, quod perpessuri essent superstites adhuc illo tempore, eos ad immortalitatem transfiguros \*\*\*).

Ac prima quidem harum sententiarum, ut antedicta †) taceam, etiam his de causis non potest  
N 4 est

τὰ μὴ ἀποθύσκοντα, ἀλλαγῆναι καὶ ἀφθαρσῶν μετατρέπειν. Theodoret ad h. l. οὐ μόνον οἱ τετελευτικότες ἀνατίσσονται ἀφθαρτοί, ἀλλὰ καὶ οἱ ἄλλοι περιόντες τὴν ἀφθαρσῶν ἐνδύονται. Verba Crutii eodem redeunt: Alle Todeen werden auferweckt, und die Lebenden zur Unsterblichkeit plötzlich verwandelt. (Vorstellung vom Plan des Reichs Gottes, p. 132.)

\*) Scilicet ut probi, sublato hoc corpore, quod est αἷμα καὶ σάρξ, sublatisque cupiditatibus, quas libri sacri σαρκικὰ dicant, sint iam aptiores vitae sanctiori, et fiant hac ipsa re sanctiores. Tertullian. c. Marc. 4, 10.

\*\*) Haec fuit plerorumque inter veteres sententia, vel ab Hieronymo decies repetita.

\*\*\*) Vid. Catena Oecumenii ad h. l. p. 490. ed. Veronens. οὐ κοιμηθησόμεθα τὴν χρονικὴν κοιμηστι, ἀλλὰ σύντομον τὸν θάνατον οἱ τότε εὑρισκόμενοι ὑποκενθήσι. Sic transibunt ad immortalitatem. cf. Pearsoni Expositio symboli apostolici p. 532. sq.

†) Cf. dicta de corpore φυσικῷ et πνευματικῷ it. p. 195. not.

est locum habere, quia de vnius corporis, non simul de mentis conditione mutanda, nec de vi corporis in animum sermo est. Omnis vero progressio nostra ad virtutis perfectionem, exutis vitiositatis reliquiis, in illa vita non videtur euentura repente, vt tota aut maxime pendeat a corporis immutatione: id quod necesse proponendum esset, si horae momento tota res protuligaretur; erit vero *α'λλαγὴ*, de qua Paulus loquitur, repentina. Immo vero vt haec vita nostra subinde ad maiorem virtutem progreditur, ratione ducente, doctrina christiana gubernante et adiuuante, exhibitaque multa virtutis materia, in qua Deus nos occupari voluit: sic et altera vita, quae neque ratione nos expoliabit, neque ubiiore institutione destituet, neque virtutis multiplici materia carebit, contra vero malorum irritamentis, etiam corporeis, vacua erit, haud dubie nos ad fastigium virtutis prouehet eo modo, qui naturae animorum nostrorum accommodatus est, hoc est, etiam si celerius, per gradus tamen, et occupatione studioque mentis, eritque, opinor, in hoc ipso sensu maioris in dies incrementi pars suavitatis humanissimae, et beatitatis exquisitae haud contineenda.

Altera sententia, quae proborum hominum mutationem in gloriam intelligit, si gloriam censet corporum immortalitate, non pugno: si universam proborum beatitatem complectitur, non concedo, non quo de re dubitem; sed quia tantum de corporum conditione sermo est, et Paulus v. 51 omnibus omniō, non probis tantum, mutationem instare dicit, et illud *ἡμεῖς* v. 52 pro arbitrio expli-

explicatur de probis, siue potius, summa semel opinione de hoc sensu illius ἀλλαγῆς, huc detorquendum est, ut probos tantum significet, cum significet nos omnes, quorum vita ad illam usque diem continuabitur.

Tertia denique sententia, quae mutationem eorum, qui illo tempore superstites erunt, ponit in transitu ad immortalitatem per breuissimam mortem et αὐάλογόν τι τῷ Θανάτῳ, mihi quidem non magis perspicua est, quam si eos quasi morituros audirem: nisi fortasse hoc voluerant, eos, dum orbabuntur corpore tali, quale hue usque gestauerant, destituenturque sensibus externis, et rebus, sub sensu cadentibus, uno verbo, se iungentur a corpore crassiore, similem cum his, qui moriuntur, sorte in experturos esse. Proinde cum nittatur argutatione mera in illo ἡ κοινᾶ σΦαγή, quasi esset, *non diu in sepulcro dormire et commorari*, et tandem ad breue tempus simile quid mortis perpeti; argumentando autem ex serie orationis aliud intelligi, et, ipso scriptore praeeunte, res dilucidius exprimi possit: non sustineo, perspicuitate postposita opinari potius, eos simile quid mortis perpeccuturos, quam cum Paulo statuere, eorum corpora, nunc caduca, tunc interitus experientia fore, ut sempiternitati viuendi, agendi, praemioquinque fruendorum paria sint.

Si haec est instantis corporibus mutationis notio, si, significatione verbi sic constituta, mortuis idem, quod viuis, viuis idem, quod mortuis, evenit: verissime v. si dictum est, *omnes* mutationem subituros esse. Quae quidem conclusio me in iudicanda quadam lectione huius versus va-

ria \*) regit, tanto illa grauiore, quanto manifestius est, vna lectione, *Non omnes quidem moriemur, sed omnes mutabimur*, exprimi sensum plane contrarium alteri lectioni, *Omnes quidem moriemur, sed non omnes mutabimur*. Iam concedo equidem, quam diu argumenta mere critica spectentur, tamdiu vtrainque lectionem paribus monumentorum et testimoniorum antiquorum auctoritatibus defendi posse: quae omnia, post tot virorum doctorum diligentiam, denuo enumerare superuacuum foret. Sed cum vna tantum esse possit vera, faciendum est, quod in omnibus veterum scriptorum monumentis facere tum solemus, cum duae vnius loci lectiones paribus argumentis criticis defendi possunt. Tum vero solemus vel ex orationis serie, vel ex institutione, alibi ab hoc ipso scriptore planius accepta, vel e genere dicendi, proprio alicui scriptori, vel ex historia,

\*) Ceteras varietates, πάντες μὲν ἡν, aut εἰ πάντες μὲν, εἰ πάντες δὲ, ne numero quidem: adeo manifesta est in iis manus errantis librarii, aut alterum comma alteri accommodantis. Illa vero lectio, quae doctorum ecclesiae latinae et versionum latinarum est, *omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur*, et orta inde in quibusdam codicibus graeca, πάντες ἀναγέσομεν, unde sit, doceri non potest; videtur vero e studiis interpretantium nata. An fortasse καὶ μηδινόμενα sic intellexerant, non semper et sine fine dormituros esse mortuos in sepulcris, siue, aliis verbis, eos aliquando resurrecturos? vt inde fieret hoc glossema, ἀναγέσομεν. Idem fere Bengelio in Gnomone ad h. l. visum est. Ceterum sensum voluerunt esse hunc, omnes in vitam reuersuros, sed non omnes beatos fore (in gloriam iri mutatum):

floria, ritibus, analogia gentium, temporum, morum, opinionum, vel e disciplina, cui scriptor addicetus fuit, vel aliunde repetere, quod animum in alterutram partem inclinet. Ergo et hoc in loco, vbi ceteris, quae modo commemorauit, adminiculis nihil, orationis serie consulenda et alio loco comparando multum effici potest, haec duo cogitemus, missis testimoniis versionum et codicum.

Fac vero, Paulum scripsisse, *Omnes quidem moriemur, sed non omnes mutabimur.* Ita prius, omnes morituros esse, repugnat alteri loco \*), vbi disertis verbis scriptum est, quosdain ingruente illo tempore superfuturos esse. Falsa igitur est lectio, *Omnes moriemur.* Posterius vero, non omnes mutationem subituros, male nexam orationem efficit. Concedam ad tempus, mutari esse idem, quod aptiore in sanctitati aut beatissimum fieri. Vnde vero Paulus hoc demonstrat et concludit? Nimirum inde, quia interitum reddi debeat expers interitus. Videamus ergo nexus, qui huiusmodi erit: Quia id, quod interire potest, fieri debet interitus expers, non omnes fient aptiores sanctitati et beatissimi. Egregie scilicet! Tamenne defendenda tali lectione, quoniam nititur argumentis criticis, iubebimus et cogemus Paulum inepte argumentari? Sed vicissim velim mihi concedi, mutari esse hoc loco, accipere corpus interitus expers pro hoc caduco et mortali. Tuin vero, seruata lectione *non omnes immutabimur*, non modo male nexa; sed adeo repugnancia

\*) I Thessal. 4, 15.

tia dicit scriptor. Dicit enim hoc: *Non omnes mutabimur, seu immortalia corpora accipiemus: nam debemus accipere immortalia corpora.* Quid magis pugnat his sententiis ita nexis? Quae autem lectio, utrolibet modo explicetur, vel aliis locis repugnat, vel conclusionem male nexam, aut adeo absurdam, continet, ea utique reiicienda est, ne sententiis falsis scriptori bono et prudenti obtrudendis injuriam ei faciamus. Contra vero altera illa lectio, *Non omnes moriemur, sed omnes mutabimur,* et alii eiusdem scriptoris institutioni accurate respondet, et continet res, recte conclusas et arcte nexus. Posito enim illo, *omnes mutationem subituros,* siue e mortalibus immortales fore, aptissima adiungitur causa haec, *quoniam debeant immortales et interitus expertes fieri, siue mutari.*

Sic e serie orationis, et mente scriptoris, de promittur iudicium de lectionis delectu; non autem verba scriptoris diiudicantur e dubitationibus aliunde accessitis, nec secundum has, veluti normam, pronunciatur, quid ille scribere aut non scribere debuerit, ut nostris dubitationibus satis fiat. Huiusmodi vero dubitationes veterum non nulli, Latini potissimum \*), securi sunt, ubi de lectione huius loci sententiam tulerunt. Nam etsi fassi sunt, aliter haec a Graecis, atque a Latinis, et a Graecis rursus non eodem modo legi: tamen non indagarunt, utrum sua latinarum versionum lectio, an graeca, et quaenam graeca, e causis criticis praferenda esset; sed aut simpliciter lectionem suam meliorem dixerunt, aut ideo negarunt

\*) Eorum locos vid. apud Sabatierium.

runt a Paulo scribi potuisse, *Non omnes moriemur*, quia mors peccati poena esset; inde vero sequi, omnibus moriendum esse, quoniam omnes peccauerint. Iam ita quidem est, dum instituta semel rerum humanarum conditio decurrit decurretque: nihilominus, cum in fine rerum, quem libri sacri praedicunt, illa noua et incredibilis rerum omnium conuersio eueniet, quis statuere potest, quid Deus tunc facere debeat, possit, aut non possit? Quis vel obscura suspicione fingere potest, qui tunc eorum sensus futurus sit, quos extremus dies viuos nanciscetur? Aut si quem hoc, quod non moriuntur, ut nos, nunquam angat, nonne fortassis id, quod superstites illo tempore, his corporibus crassioribus exuti, desinent rebus externis per sensus externos, ut in vita anteacta, uti, eamdem viam eundemque terrorem habebit, quem hoc habet, quod nos nunc morimur? quale supra ἀνάλογόν τι τῷ Θαύματι positum est, sine dubio ab his descriptum defensumque, qui dubitationem eam, de qua hie loquor, optime sic remoueri posse existimarent, si hoc modo ne superstites quidem illo die communi moriendi necessitate plane exentos esse docerent. Omnino melius est, credere; quidquid Deus tunc facturus fit, id eum, ut omnia, sapienter, iuste benigneque facturum, nos vero experiendo cognitures, quoniam modo illa peccando contracta moriendi necessitas, omnes omnino nunc quidem vrgens, cum eorum forte, qui tum superstites adhuc ad immortalitatem transibunt, cohaereat \*).

Acte

\* ) Tellerus (de resurrect. carnis p. 445) et Samlerus

Accedo tandem ad interpretationem eorum, quae v. 43 de horum, quibus nunc utimur atque futurorum corporum discrimine dicuntur. Atque ut sumere possum, corpus fragile et durans (*σῶμα ἐν ἀτιμίᾳ δύναμει*) dici, quoniam interire potest aut non potest: sic de corpore vili et excellenti (ita enim *σῶμα ἐν ἀτιμίᾳ* et *ἐν δόξῃ* verti) quaedam differenda sunt. Quodsi de corporis vilis notione aliquid constitui potest, profligata simul est disputatio de notione *σώματος ἐν δόξῃ*. Iam nemo negat, *σῶμα ἐν ἀτιμίᾳ* omnino significare vile, parui pretii: quatenus autem vile dicitur, scriptor ipse satis declarat. Qui enim inde disputare incipit, ut corpora nostra dicat interire posse; qui adiungit, eadem esse vilia, id quod ne-

lerus (in paraphrasi ad h. l.) suspicati sunt, haec omnia verba v. 51. *πάντες — ἀλλαγησόμεθα*, esse additamenta, e variis modis explicandi vel mysterii, vel versus 52, orta. Non nego, hoc ita fieri potuisse; concedo etiam, in libris N. T. esse additamenta perantiqua: sed 1) multiplex varietas per se non vallet eo, ut locum integrum tollas: 2) ubi sunt adsumenta, ibi debet occasio eorum in ipso loco esse; sed in hoc loco non satis video occasionem addendi prioris commatis, *πάντες μὲν ἀλλαγησόμεθα*: 3) quod in libris Ignatii, Iustini, Irenaei, Alexandrini Clementis haec verba numquam occurrunt, id quoque lubricum est; foret autem firmum, si hunc ipsum locum tractarent, et vicina verba proferrent, his, de quibus quaeritur, omissis: 4) quod Diodorus Tarsensis (apud Hieron. T. 4. fol. 86. A. ed. Erasm.) haec verba non interpretatus est, inde non sequitur, eum haec non legisse — Hos viros doctissimos diffensem meum non aegre laturos, singularis eorum erga me benevolentia sperare me iubet.

necessario sequitur e natura rei, quae interire potest; is, quatenus corpus est Φθαρτὸν, eatenus illud adpellat vile. Haec ergo vilitas corporis ab eo, quod corpus interire potest, non differt ut proprietas a proprietate; sed vilitas cum τῷ Φθαρτῷ ita nexa et coniuncta est, ut, hoc posito, illa necessario ponatur, hoc sublato, illa necessario tollatur; et exprimit potius iudicium de pretio corporis interituri, cum noꝝ interituro comparati, quam peculiarem eius, et a τῷ Φθαρτῷ plane diuersam proprietatem. Angustior ergo significatio est, quam veteres \*) huic verbo ἀτιμος tribuunt: volunt enim intelligi cadauer, foedum a pallore et foetore, quod ocyus aedibus effertur. Sed cur haec una causa vilitatis nunc intelligitur? Cur corpus potius mortuum, quam omnino corpus cogitatur? Cur vilitas potius ex adiuncto fortuito (accidenti), pallore atque foetore, quam e corporis natura, αΦθαρτια, aestimatur?

Fortasse, qui haec legerunt, indignati mihi sunt, vberius iusto et argutius de notione vilis corporis differenti. Sed si meminerint, quot opiniones de corporibus δεδοξασμένοις prolatae sint; si cogitauerint, tum deignum securius de his iudicari posse, cum de ἀτιμοις constiterit: lenius videntur iudicaturi. Quare iam presso pede dicta de vilibus corporibus sequar, et ex illis, tamquam principiis, concludam ita, ut contraria contrariis conferam. Si corpus ἀτιμον est vile atque parui pretii: postulat contrariarum notionum natura, ut εὐμα τὸ δόξη sit excellens et magni pretii. Si vilitatis

\*) Chrysostomus, Theodoreetus, alii multi.

litatis causa est in eo, quod corpus interire potest, rursus, ex lege oppositorum, excellentiae causa est, quod corpus interire nequit. Si hoc excellentia lens corpus ibi, vbi scriptor de hac re loqui incipit, adpellatur ἀριστος; haud dubie tum, cum de eo loqui pergit, eique excellentiam (δέξαν) tribuit, ipsam illam ἀρισταν, causam excellentiae atque magni pretii, vult intelligi. Igitur et his verbis iudicium potius de pretio non interituri corporis, cum interituro comparati, quam peculiaris eius, et ab ἀρισταις plane diuersa proprietas intelligitur, estque excellentia cum ἀρισταις sic coniuncta, ut, hac posita, ponatur et illa, hac sublata, tollatur et illa. Proinde foret angustior significatio, si quis excellentiam figurae et adspectus per illam δέξαν describi existimaret \*): nam ἀτιμία hoc in loco, vbi de omnium hominum in his terris corporibus sermo est, profecto non exprimit turpitudinem adspectus et figurae. Angustius item foret, δέξαν interpretari excellentiam lucidi cuiusdam splendoris \*\*), aetheriarum particularum \*\*\*), aut adeo pellucidi corporis:

nam

\*) vid. Gerhardi Locos theolog. T. 9. p. 323.

\*\*) vid. ibid. p. 321. vbi ne vnum quidem argumentum idoneum est.

\*\*\*) Origenes in Matthaeum T. 1. p. 488. Μεταρχημετιζόμενα τὰ σώματα τῆς ταπεινώσεως γένεται τοιαῦτα, ὅποια εἰσὶ τὰ τῶν ἀγγέλων σώματα, αἰθέρια γῆι αὐγούσιδες φᾶς. Alqui hoc arripuerat ex opinionibus pagani- rum, qui daemoniis tribuere solebant σῶμα αὐγούσιδες. vid. contra Celsum l. 2. p. 97. Nōlo alios, qui et ipsi verbis talibus rem descripsérunt, accusare opiniōnis a paganis arreptae: nam satis declararunt, quid sibi vollebat. Dixi nunc de Origene.

nam *ἀτιμία* profecto non est species aut natura tenebricosa, opaca, vel congeries particularum non aetheriarum. Ut breuiter dicam, si Paulus corpus dixit *ἀτιμον*, quia naturam intereundi habet: necesse est, ut in contrarium dicat *δέδοξασμένον*, quoniam naturam permanendi habet. Si noluit sic intelligi, doleo, eum haec duo in hac orationis serie contraria sibi inuicem posuisse.

Enimuero durius fortasse statuere videar, quod, hac interpretatione stabilienda, sententiam de futurorum corporum fulgore, veluti per manus traditam, tollo, aut, si vel maxime *δόξα* fuerit omnino excellentia, hunc fulgorem hoc verbo non saltem simul comprehendendum puto, praesertim cum ab ipso scriptore fulgentium corporum exempla v. 41. sint commemorata. Qui vero illa opinione mea sic affectus fuerit, hunc, ut ea, quae nunc dicam, perpendere velit, humanissime rogo. Concedo, *δόξα* esse posse fulgorem: sed vicissim dandum est, etiam excellentiae praestantiaeque significationem huic verbo inesse. Largior, *δόξα* de adspectabili maiestate *solvere* dici: sed nonne interiore quoque rei dignitatem significat, veluti cum munus tradendae doctrinae christianaæ dicitur *εἴρας ἐν δόξῃ*, hoc est, summa dignitate \*). Quid autem in quoque loco significet, cum plura significare possit, semper e serie orationis cognoscimus, velut obseruanda ea re, cui *δόξα* tribuitur. Iam, inquies, futuris cor-

\*) 2 Corinth. 3, 8. 9. vbi eodem modo in uno eodemque loco *δόξα* et adspectabilem splendorem, et interiorem rei dignitatem indicat.

corporibus hoc loco tribuitur δόξα. Sed hoc rem non conficit. Nam corpora futura, poterunt hoc habere, vt fulgeant, quod tu vis; poterunt vero etiam non habere: certo habebunt hoc, vt interitus expertia sint, quod ego defendo. Non dico, mea sententia tuam penitus excludi. Nullo modo. Potest fieri, repeto, vt ἀφθαρτα σώματα etiam fulgeant. Vides tamen, te coniectura vti, me certain Pauli sententiam sequi. Occures, te quoque verbis Pauli ad opinionein de fulgore corporum inclinatum esse: eum enim exempla fulgentium corporum, hoc ipso verbo δόξης vsum, commemorasse. Sane. Sed idem Paulus exempla non fulgentium corporum posuit, et tamen iis tribuit δόξαv. Conueniat ergo inter nos, ei rei, cui adscribitur δόξα, intellectum huius verbi δόξα, vt praedicati, tum accommodandum esse, et convenienter subiecto explicandum, cum ea res per sensus, experientiam, aut historiam, plane nullam dubitationem habet, qualis sit, veluti sol: hinc vero (e subiectis) intelligi, ne in hoc quidem loco de corporibus omnibus mundanis, quorum fulgentium aequa ac non fulgentium exempla recitantur, eodem sensu δόξαv dici, nec hoc in loco ubiuis splendorem fulgoremque significare. Ergone, inquis, exempla fulgentium corporum plane negligam? Itane vero, quaeso et ego, exempla non fulgentium corporum penitus dimittam? Quid, si dextris datis in hoc consentiamus, in exemplis illis, nec qua fulgent, nec qua carent fulgore, corpora rerum naturae spectari, sed qua differunt inuicem, vt simpliciter intelligamus corporum, quae coelum et terra habent,

bent, insignem diueritatem cum ab aliis, tum quoruincumque in suo genere. His adiungatur, corporibus σὺ δόξῃ futuris opponi haec nostra αἴτια, quae necessario intelligenda sunt humilia et vilia. Cur vero, cum in toto hoc loco contraria contrariis accurate opponantur, in hoc uno tamen membro vilitati, quod est genus, opponatur potius splendor, quae est species, quam omnino praestantia, quod et ipsum est genus? Atque etiam alio loco \*), quem iam supra tractavi, nostrum corpus τεπεινὸν (quod verbum perspicuum est) fore dicitur simile Christi corpori, quod est σῶμα τῆς δόξης, hoc est, ut ex opposito video, non ταπεινὸν, ut aliunde scio, immortale et αὐθαρετον. Quid ergo, relictis his, quae indubitate sunt, illud unum ponam, Christi corpus fulgens a Paulo dici \*\*)? Ne ille quidem sermo Christi, in quo, qui in his terris recte egerint, iubentur sperare, fore ut solis ritu splendescant \*\*\*), cogit nos, corporum δόξαν, de qua Paulus loquitur, ad fulgorem referre. Nam idem ille Christus praedicit ibidem, flagitiosos in fornace arsuros cum frendore dentium atque stridore. Si hae combinationes non possunt proprie intelligi, intentatae iis, quorum nulla erit amplius σὰρξ καὶ αἷμα, ut adeo neque viri, neque dentibus frendere possint: nec promissiones de βασι-

O

λεία

\*) Philipp. 3, vlt.

\*\*) Hoc autem an serio dici potest, Christi corpus οὐδοξασμένον in epistola ad Philippienses descriendum potius esse ex narratione de augustiore specie, aliquando in monte sumta, quam ex opposito?

\*\*\*) Matth. 13, 43.

λεία τῇ πατρὸς opus est proprie interpretari de splendore, qualis est solis, et, vt huic splendori locus sit, aetherium corpus adsciscere, praesertim cum duplex via pateat ad tropicum sensum horum verborum, ἐκλάμπειν ὡς ἥλιον. Nam vel eminenter dignitas intelligitur, vt sexcenties aliquis *prae-fulgere* dicitur, aut inter ceteros solis instar esse, veluti in loco Danielis \*): qui vtrum de resurrectione mortuorum agat, an de Iudee Maccabaei temporibus, nunc non disputo. Sed potest etiam is, qui iubar solare sparsurus dicitur, intelligi summae et exquisitae felicitatis particeps, et sic quoque hos, qui ea carent, exsuperans: quantumvis hoc a verbis recedere videatur. Nam omnis illa futura felicitas, significata verbo, splendoris quoque notionem exprimente, saepissime dicitur δέξα \*\*), et gaudia illius δεδοξασμένα \*\*), *praestantissima, summa.* Nec mirum, cum ipsa Dei beatitas lumen adpelletur, et, quisquis felix est, in luce versari eaque frui dicatur: cum floridissima conditio Hierosolymorum, post reditum e babylonico exilio recidiuorum, depingatur imagine vrbis, quanta quanta est, coruscantis †): cum ipsa beatorum in coelis comminoratio dica-

\*) Daniel. 12, 2. 3.

\*\*) Miratus sum a Gerhardo I. l. p. 321. et aliis splendorem corporum futurorum etiam exsculpi ex Rom. 8, 18. et hunc locum dici *dissentam scripturae sacrae assertiōnēm*, quae claritatem corporum probaret.

\*\*\*) 1 Petr. 1, 8.

†) In libro de rebus Tobiae 13, extr. quae est imitatio loci apud Iesaiam 54, 11. 12.

dicatur futura in ea vrbe, quae vndiquaque iubar sparsura sit \*). Cetera, quomodo talis fulgor congruat naturae beatitatis, quomodo et quare arbitrariis praemiis adnumerandus, quem usum ad hos, qui fulgent, vel ad alios, qui intuentur fulgentes, habiturus sit, haec et alia plane non tracto: sunt enim (licetne profari?) parum utiles quaestiones, et tamdiu superuacanæ, donec euidentis erit, δόξαν nihil aliud, quam fulgorem, significare posse.

Feci hactenus, quantum potui, ut ostendereim, quod in me suscepseram, in viuierfo hoc loco vnam eamdemque rem, corpora futura *interitus expertia* fore, variis verbis describi, quae rem illam *alia ntque alia ex parte* spectandam exhiberent \*\*). Et est, meo quidem sensu, si dicta summatum repetere licet, horum verborum, et attributorum iis expressoruin hic nexus. Proprie primo et simpliciter dicuntur illa corpora *interitus expertia* et *immortalia futura*, et si haec nostra *caduca* sunt et *mortalia*. Quodsi ita est, sequitur, illa *excellentia* et *durantia* esse, et si haec nostra, cum illis comparata, *vilia* sunt et *fragilia*. Si confirmandæ atque illustrandæ rei cauſa respicias duos homines, præ ceteris memorabiles, duo

## O 3

## capita

\*) Apocal. 21, II. seqq,

\*\*) Nemo igitur haec attributa putabit a me pro synonymis proprie dictis haberi, omnemque locum tautologiis repleri. Concludo vnum ex altero: Si corpora sunt *immortalia*, erunt duratura, *excellencia*, *spiritualia*. Vnum sequitur ex altero; non autem vnum et idem *ευνοημικῶς* et *ταυτελογικῶς* repetitur.

capita generis humani, Adamum priorem et posteriorem \*), non est mirum, singulis singulos homines similes esse. Sed ille *animalis* fuit, et, *e terra* quippe *ortus*, *terrenus* et caducus; hic *spiritus* est, et, *e coelo* quippe *ortus*, *coelestis* atque sempiternus. Quare consentaneum est, post *animale corpus* nos *spirituale* accepturos esse, et postquam *terreni* atque *caduci* fuimus, nos *coelestes* et *sempiternos* fore. Et inflat profecto nobis omnibus magna haec *mutatio*, qua corpora caduca efficiuntur semper duratura.

Sed illud ipsum, quod vna eademque res variis modis spectatur, efficit, ut non omnia, quae in uniuerso hoc loco traduntur, ad omnes omnino homines referri possint; sed quaedam iis, qui post suscepitam fide religionem, eique conuenienter transactam vitam felices erunt, adstringenda sint. Quod enim, acceptis corporibus haud interitus, dicimur Christi similes futuri, hoc etiam si, vrgenda vna similitudinis notione, poterat ad malos quondam, olim vero miseros, referri, quatenus, ut ille, corpus immortale habebunt: tamen, cum descriptio Christi aeternum viuentis, et corpore semper duraturo praediti, non vnum illud indicet, eum semper vivere, sed contineat felicem.

\*) Sententiam Harduini, qui in Commentar. in N. T ad h. l. existimauit, posteriorem hominem his esse ullum quemlibet hominem, sed tam, qualis post reditum in vitam erit, satis redarguit cum consuetudo Pauli, Adamum et Messiam hoc modo comparantis, tum illud, quod posterior Adamus h. l. πνεῦμα ζωοποιόν dicitur, et si hic quoque Harduinus per periphrasis effugere studuit.

felicitatem dignitatemque; cum praeterea omnibus in locis, ubi futura hominum cum Christo similitudo tractatur, sermo sit de veris eius factatibus, et felicitatis societas intelligatur; necesse est, ut in illis partibus huius loci, quae de futurorum corporum similitudine cum illo exponunt, ratio habeatur verorum Christianorum. Illud quoque luculentum est, causam necessitatis mutandi corporis hanc, quod caducum corpus ad *βασιλείαν Θεοῦ* non aptum sit, referri ad homines sanctos, iisque sic promitti corporis quoque commorationem, sempiterna felicitate adiuncta. Similiter, quod haec doctrina de futurorum corporum conditione praestanti conuertitur a scriptore ad solatium et spem, id quis non videt tantummodo in veros Christi Domini caltores cadere? cum ceteris, quibus et ipsis immortale corpus continget, eius exspectatio laeta esse nequeat. Quae quamquam ita sunt, ea tamen non impediunt, quo minus locus in uniuersum, et in plerisque partibus nominatum, de omnibus omnino hominibus agat, eo plane modo, quo Christus his, a quibus vere cultus fit, promisit, se in vitam eos reuocaturum, quod et contemtoribus eius continget: ubi nemo non videt, redditum quidem in vitam, omnibus exspectandum, dici, sed ea parte in tali loco, de Christi cultoribus agente, intelligi, qua sit ei sempiterna felicitas adiuncta. Quod si cuidam, ut plerisque veterum, locus integer vnicce de veris Christianis agere videatur, non pugnabo; hoc tamen cogitari velim, an Paulus aduersariis doctrinae de reditu in vitam satisfecisset, si dixisset: stulte dubitatis; nam *santū* habebunt meliora corpo-

ra Erat potius his, qui omnino de re dubitabant, omnino respondendum, nullam esse in corpore offenditionem debere, quoniam *omnium* mortuorum, *omnium* item, qui tum in viuis erunt, alia corpora futura sint, quam quae in his terris fuerunt.

Si haec vna Pauli disciplina certa est, nos olim immortalia corpora accepturos esse: etiam nostrum est, hanc vnam rem ut certain tradere, ab omni autem coniecturarum studio nobis temperare. Quot enim coniecturae propositae sunt, tot difficultates inde sunt enatae, totidemque irsiones secutae: quae quamquam proprie has coniecturas petunt, tamen facile cum ipsa sacrorum librorum doctrina communicantur, et religionem in suspicionem adducunt, etsi haec, futuris rebus verbo tantum tangendis, prudenter coniecturis istis viam paeclusferat. Et nonne verendum est, ne, qui coniectando nūnū tentarint, tum, cum ad rem ventum erit, agnita coniecturarum festinatione, pudore quodam tacito suffundantur, nihil illo quidem ad summam rei nocituro, sed pudore tamen? cum e contrario, qui integer ab omni opinione simpliciter euentum promissae rei exspectarit, liquidore gaudio fruiturus videatur, cum ipsis nulli in hoc genere errores dediscendi sint. Si vnum illud firmiter tenentes tamen ab iis, qui omnino resurrectionem mortuorum tollunt, rideamus, ridemur propterea, quoniam omnipotentia Dei hoc effectum iri ereditus, quod futurum esse benevolentia eius nos latere noluit. Haud dubie vero Deo probamur, qui ab ipso, amantissimo nostri, eodemque veracissimo, praedicta

dicta certo adsensu veneramur, et, quoniam ipse unus omnia efficere potest, exspectamus.

Si hoc unum certum est, et tamen ex altera parte scimus, Dominum nostrum, Iesum Christum, summa et infinita, quam habet, potentia hoc effecturum \*), ut immortalia corpora nobis contingant: certo argumento concludimus, eum, cum efficere possit, quod unus Deus efficere potest, hac de causa quoque ut Deo aequalem describi, nobisque venerandum proponi.

Si hoc unum certo statuendum est, iure credimus, non nulla, quae in sacris libris de futura vita, ut de hac nostra, dicuntur, nec sine corpore, quale hoc nostrum est, intelligi queunt, ut sunt conuiua coelestia, canentium chori, corona, haec ergo non proprie intelligi posse. Moderate igitur et nos de putrefactorum corporum restituzione futuraque indole loquamur, et mitigemus ea, quae interdum soluta numeris adstricta oratione sic expressa sunt, ut, si talia sint, qualia fere dicuntur, corpus in vitam reuersum necessario debeat esse σὰρξ καὶ αἷμα, quod cum Pauli disciplina conciliari non poterit.

De reliquo, quaecunque loca simus occupaturi, in quibuscumque negotiis versaturi, Deus viderit. Non deerit nobis materia aeternitatis descendendo agendoque transfigendae. Sufficit, animos nostros, olim cum corporibus coniunctos, ea felicitate usuros, cui Deus nos ab aeterno destinarat, et cuius causa nos oriri, vivere, et Christianos fieri voluerat.

\*) Philipp. 3, 20. 21.



## VII

*Exemplum cogitandi*

*De Religione, nominatim de Officiis, ex Cap. XIII  
Epistolae Pauli ad Romanos de propositum.*

Cum apostolorum aetate inter christianos haud pauci essent, qui nominatim de alimentorum usu veterem, Mosis lege constitutam, fententiam, eamdemque a christiana libertate alienam, seque-rentur, aliosque hoc nomine iniquius diiudicarent, et ab his viciuum seuerius diiudicarentur: instituit hoc loco Paulus, omnes christianos, siue Iudei fuissent, siue pagani, ad lenitatem et aequitatem erga alios etiam in hac re cohortari. Cuius quidem cohortationis causas repetit a consilio Dei, religionem cum omnibus gentibus eamdem com-municantis; a natura et exercitio religionis chri-stianae; ab alimentorum natura et institutione; ab officii praestandi diuerfitate; a necessitate permit-tendi Deo eiusque iudicio hominem, a nobis in tali re dissentientem; denique ab imitatione Dei. Ab his veluti principiis argumentando progreditur ad commendandam lenitatem et concordiam. Vbi ergo singulatum declarauerimus, quae fundamenta cohortationis, et quo modo posuerit, qua item ratione cohortationem iis superstruxerit: ostendisse nos existimabimus exemplo apostoli, quid sit, de religionis aliqua parte cogitare, ea que co-gitanda discere, quid, quare, et quo pacto agen-dum sit. Omnino vero tenendum est, de talibus rebus

rebus nunc sermonem esse, quarum agendarum certus modus (vti aut non vti quodam genere cibi) aut omnino non praescriptus est, aut, si quid constitutum fuerit, non omnibus praescriptus, neque adeo simpliciter necessarius est; sed apud certos certis de causis (arbitraria lege) ita certus et necessarius fit, vt in officium abeat, in eoque ab his peccari possit; apud alios est *αδιάφορος*.

Exponitur ergo primo loco *diuinum consilium propagandae nunc religionis, omnibus gentibus communis*, quod Deus post redditum Christi in vitam exsequi voluerat, et ipso illo tempore exsequi cooperat. Nam hoc est, nisi fallimur, hoc loco *Ἐγὼ τὸ Θεός* \*). Vbi enim Paulus, hoc capite finito, ad concordiae mutuaeque lenitatis commendationem redit \*\*), vtitur hoc argumento: quia Christus et Iudeis et paganis prodesse, atque ex ambobus unum coetum efficere voluerit, debere alterum Christianorum alteri lenem esse, atque ita ei secundum exemplum Christi inferuire, neque vero eum infestare. Quo ipso argumento Paulus pluribus in locis vti solet. Fit ergo hinc, partim de concordia inter Christianos, nuper Iudeos

\*) Vers. 20.

\*\*) Rom. 15, 5—13. Iudeis inferuit, διδασκεις περιτομης ἐγένετο, exhibendis bonis promissis: paganos ad veram religionem adduxit (*ἔλεος*). Etiam si vero, finito capite quarto decimo, non sine causa inferantur cum nonnullis ea verba, quae nunc extrema hac epistola (16, 25. 26. 27.) leguntur: tamen sic quoque dubitari nequit, redire cap. 15. Paulum ad illas, quae cap. 14. exposuerat.

daeos aut paganos, sermonem esse \*), partim eam ideo commendari, ne, qui coetus debeat esse vnuſ, cui eadem beneficia parata ſint, iſ discordia diſſocietur, atque ita conſilium et opus Dei impediatur, aut commune beneficium Christi fiat irritum. Semel dicit, non eſſe impediendum ἐγενον τὰς θεάς: iterum dicit, non eſſe impediendum, quod Christus ſpectarit, vt vnuſ e diuerſis coetus colligeretur.

Si hoc erat conſilium Dei, idque, re atque historia docente, teneri non poterat, niſi diſſe-  
pimento \*\*) Mafaicae oeconomiae remoto: non  
debebat huius oeconomiae neceſſitas ita vrgeri, vt  
illi alteri conſilio communis religionis propagan-  
dae obſtaret. Hanc enim neceſſitatem qui acriter  
defen-

\*) Dubitamus ergo, an reſte in commentariis qui-  
busdam ad h. l. commenſorentur exempla eorum,  
qui non propter Mafaicae legis auſtoritatē, ſed φιλοſοφεῖτες abſtinebant nonnullis cibis, tamquam  
Paulus hos leniter ferendos dicat. Nam qui monen-  
tur eſſe in hac re concordes, iidem erant diſcordes.  
Sed concordes eſſe monentur, qui e paganis Iudeis-  
que in eumdem coetum coierant. Horum ergo  
diſcordia intelligitur. Sed horum diſcordia pendebat  
non e quaſtione, an quis ex opinionibus philoſo-  
phicis abſtineret vno alteroque cibo; ſed, an propter  
Mafaicam legem abſtineret. Alexandrinos vero Iu-  
daeos huius Mafaicae legis neceſſitatem per cauſas  
multas et opiniones, ſententiis quorundam veterum  
philofophorum ſimiles, exornare et ſpecioſorem red-  
dere voluſſe, non negamus, et alibi a Paulo contra  
eos dici mox monebimus: tantum quaeritur, an hoc  
loco deſcribantur abſtinentes quibusdam cibis φιλοſο-  
φεῖτες, nullo ad Mafaicam legem respectu. Hec  
negamus.

\*\*) Ephes. 2, 14.

defendit, is impedit (*καταλύει*) hoc opus Dei, hoc est, efficit, ut haec religio non omnibus communis fiat, vel tardius, vel ad pauciores propagetur, vel his, ad quos peruenit, non eos adferat fructus, quos et poterat, et debebat. Fingamus enim, Iudeos necessitatem legis de ciborum discrimine severius obtrusum ire iis, qui e paganis ad christianam religionem transierant: nonne hos molestia rei deterrebunt? Aut si qui pagani nondum se contulerint ad doctrinam christianam: nonne caerimoniis vrgendis his persuadebitur, eamdem esse christianam cum iudaica religionem, ideoque hi tali opinione a christiana societate alienabuntur? Fingamus item, christianos, nuper paganos, indignari Iudeis nuperis, patriae legis adhuc tenacioribus, eosque ceteris posthabendos iudicare: nonne his sinistram de christiana religione opinionem ingenerabunt, qua se cogi putent, omnes patios mores abiicere? Fingamus denique, multos exteros, adhuc a christianorum coetu remotos, videre aut audire perpetua christianorum super talibus rebus dissidia: num adlicantur magnopere ad hunc coetum sequendum, in quo sibi quoque de his pugnandum, ac nihil certi fore metuent? Immo vero sic Christianorum bonum, libertas et religio vniuersa, in criminationem contemtumque abibit \*). Quod si illud *ἴγε τὸς Ἰησοῦ* hoc modo spectetur, atque lex de cibis nominatim cum eo comparetur: haec, vt minor, (nam ad externa, non ad interna pertinet) vt vni genti propria, (nam vni tantum promulgata est

\*) Vers. 16. vid. Chrysost. ad h. l.

est) ut arbitaria, (nititur enim scripta ciuitatis lege) ut tempori certo destinata \*), (nunc enim aliorum tendere prouidentiam diuinam, experientia docebat) haud dubie cedere debebit illi ἐργῷ τῷ Θεῷ, aliun communemque sui colendi modum instituentis: neque committendum erit, ut huius rei acrior defensio aut improbatio, quae veluti cogat aliquem, impedit illius operis diuini successum. Sic qui iudicabit et aget, is cauebit, ἵνα μὴ καταλύῃ τὸ ἐργον τῷ Θεῷ ἐνεκεν βέρωματος. Cogitanda igitur hac religionis parte cognoscet, quid ipsi agendum sit.

Differitur etiam *de natura et exercitio religionis christiana*, ut et hac via efficiatur, illam de cibis legem non propugnandam inter christianos esse. Natura vero et exercitium huius religionis summatum sic describuntur \*\*), postulari virtutem \*\*), concordiam, eaque mentis laetitiam, quam religioni et efficientiae Spiritus sancti debeamus: his ita quaerendis praestandisque coli Christum, sentiri et viui accommodate ad huius doctrinam, Deique fauorem et hominum adprobationem

\*) Ebr. 9, 10. Gal. 3, 23. 24. εἰς τὸν πίστιν, εἰς χριστὸν, usque ad tempora religionis christiana, usque ad Christum.

\*\*) Vers. 17. 18.

\*\*\*) Sic enim illud, βασιλεῖα θεῶν δικαιοσύνης, videtur eloquendum: *in regno Dei quaeritur, spectatur, postulatur virtus et probitas.* Similis dicendi forma in illo 1 Cor. 4, 20. videtur esse: οὐ πεπ. θεῶν εἰς αὐτῷ, ἀλλ' εἰς δυνάμεις, *in religione Christi tradenda non quaeruntur dicta, quid doctor prae se ferat, pollicetur, glorietur, minetur, sed facta, quid doctor agat et praestet.*

tionem teneri: neque adeo, ubi haec exercitii summa fuerit, ibi quaeri, quo quis potissimum genere alimentorum vtatur. Hunc huius loci sensum paucis vindicare conabimur.

Nempe regnum Dei est nunc religio, coelitus instituta, monstrans et impertiens χάριν τῷ Θεῷ ἐν Χριστῷ, et ipse coetus, in quo discitur exerceturque haec religio, tendens ad certam futurae vitae felicitatem. Nam aut hoc significat, aut futuram felicitatem per se: tertium quidem non relinquitur. Iam ipsa futura conditio felix, tempus illud, quo ea fruemur, intelligi hoc loco nequit: dicitur enim de his, quae christiani nunc, in his terris, in hac societate christiana, facere debent, ut Dominum suum colant, eique probentur: non scribitur de his, quae olim fient, et exspectanda sunt. Postquam enim dixerat, in regno Dei concordiam postulari, addidit: Studeamus ergo concordiae, quae a nobis postulatur. Sed nunc postulatur, nunc est ei studendum, in dissensu nominatim de cibis. Regnum ergo Dei est coetus, qui nunc est, religio, quae nunc exercetur, inchoans futura.

Hanc igitur religionem, cuius exercitium iussum aestimatur virtute, concordia, laetitia, negat Paulus esse cibum potumque. Hoc non est in praesenti, ab huius religionis sectatoribus temperantiae studendum, neque gulae ventrique serviendum esse. Nam non quaeritur hoc loco, quam temperanter aliquis viuat; sed quo genere ciborum vtatur abstineatue religionis causa. Proinde cum negetur, in religione, quoad exercetur, spectari cibum potumque: negatur, quaeri in religionis huius exercitio, quid quisque potissimum edat et bibat,

bibat, et quibus alimentis abstineat. Similiter sponte consequitur, non posse in his verbis nunc illam doctrinam quaeri, nos in futura vita non alimentis corporis usuros. Quae doctrina ut est vera \*), sic a consilio huius loci plane abhorret.

Vix attinet manere primo, εἰρήνην esse concordiam, quae nihil discepit super illis cibis, neque secus agentes carpit, aut recusat ferre, ut ex illo, Διώκωμεν τὰ τῆς εἰρήνης, consilioque totius loci planum fit: secundo, δικαιοσύνην non esse iustitiam, quae strictius dicitur, sed Hebraeorum modo loquendi virtutem universam, mentis vitaeque probitatem. Atque ut haec duo spectantur in religionis exercitio, ita etiam laetitia, per Spiritum Dei effecta, siue ea, quam hic Spiritus ingenerat animis utentium hac religione, per doctrinam sic conformandis animis, ut ea sciant, sentiant, agant, unde laetitiae tranquillitatisque causae quam plurimae suppeditentur, uno verbo, spectatur hoc, ut iis religio sit fons uberrimus constantis certaque laetitiae. Hanc ergo tibi et aliis cura, hanc tibi et aliis meditare, ad hanc conformari mentem tuam aliorumque patere, securus de reliquo, quibus alimentis tu vtaris, aliique utantur, nec contristes eos, si quid comedenterint aut non comedenterint, nec capias e religione materiam rixarum super rebus, ad naturam eius non necessariis. Alias eius rei causa, quae non est palmaria, tibi ceterisque turbabis obstruesue fontem laetitiae. Curabis vero tibi aliisque hanc laetitiam studio virtutis et concordiae. Sic qui iudicabit et

\*) 1 Corinth. 6, 13.

et ager, is memor erit, *βασιλείαν θεῖ τον εἶναι  
βρῶσιν καὶ πόσην*, sed aliis censeri exercitiis, Christo probatis, hoc est, e natura eius concludet, quid in ea exercenda caput rei sit, nec, quae salva eius natura penitus abesse possunt, ut summam rei diiudicabit. Sic cogitanda religione cognoscet, quid ipsi agendum sit.

Iam *de alimentorum natura* Paulus ita disputationat, ut quidquam ciborum neget esse per se impurum \*), siue natura sua consilio et institutione tale, quale est id, quod lex prohibuit, illicitum usu, nocivum venti, priuans eum fauore beneficioque divino. Aliter quidem, in disputatione super Moysaicae legis vi et necessitate \*\*), impurum intelligi nequit. Haec autem asseueratio Pauli quam perspicua et certa est! Quid enim, cum natura cibi spectatur, praeter eius vim sanitati noxiam, de qua tamen nunc plane non est sermo, vel cogitando intelligi potest in cibo, quare vetitis illicitisue rebus accensendus sit, eiusque usus dici possit officio repugnare? De consilio autem et institutione alimentorum omnis generis, et in oculos incurrit, et alibi Paulus etiam contra generis alias aduersarios ostenderat \*\*\*), esse ea omnino et simpliciter hominum usibus parata. Quodsi ita est, quo tandem pacto, quae nostris usibus simpliciter destinata sunt, eadem tum, cum iis utimur, poterunt vetitis illicitisque rebus similia censeri, eorumque usus in peccatis numerabitur? Certe gravissima

\*) Vers. 14.

\*\*) Cf. pag. 220. not.

\*\*\*) I Timoth. 4, 3. 4.

vissima causa intercedere debet, quae talia reddat illicita. Ea vero fuit in cuiusdam legis auctoritate, vnam nationem a ceteris consulto et multis modis separantis. Cuius quidem vi sublata, ne porro illi separationi locus sit, sed ut communis orbi terrarum religio introducatur, praedicta illa saepius a prophetis veteris testamenti: redit res ad iudicium de rei seu alimentorum natura, consilioque diuino in illis generi humano condendis. Communis enim omnibus gentibus religio postulat, in iudicio de vsu rerum vitae quotidiana, ut alimentorum, amandari non ad legem, certo generi hominum certis de causis et ad tempus certum scriptam, verum ad naturam rei consiliuque divinum: ut hinc repetatur, quid, quare, quantum, quo modo agendum sit, ne peccetur. Hinc enim erutae in talibus officiorum causae obstringunt quemlibet hominem, vbicumque sit, pertinentque adeo ad communem omnibus religionem. Sic cum Paulo fundamenti loco posse, esse religionem, ad omnes gentes pertinentem, eiusque exercitium censeri virtute atque probitate, et iam cibi usum e causis, ad omnes pertinentibus, aestimare, id vero est, cum Paulo cogitare de causis christiana libertatis in hoc genere, eiusque defensione ab opinione peccati.

Cum hoc argumento illa sententia proxime cohaeret \*), cibos iis tantum impuros illicitos esse, qui eos tales censem. Hoc non est, rem et iudicium de recte aut male facto, licto aut illicito, ab opinionis, temere aut speciose aut cogitato

con-

\*) Vers. 14.

conceptae, lubitu pendere; siue, prouti quis vlla qualibet de causa vllius cuiuspiam cibi vsum licitum illicitumue opinetur, ita esse etiam ei licitum illicitumue. Nani primo quaestione de eo, quid recte aut perperam fiat, simpliciter ab vlla quavis agentis aut omittentis opinione suspensam velle, id non foret boni de moribus disputatoris, in quibus verisimiles et certae causae, non opiniones, quaeruntur. Deinde religionis nostrae doctrina, rem quamque ad Deum referens, non permittit nos opinionibus: omnium minime vero quamvis cuiusuis opinionem patitur esse normam, quam arbitratu suo sequi possit. Vigebant quidem tum huiusmodi opinioites commenticiae plures inter Iudeos, (siue Essenos, siue Therapeutas, Alexandrinos, Orientales philosophos dicere malimus: de paganis vero philosophis plane non loquendum est hoc loco) quibus studium abstinentiae a quibusdam cibis; et a Mose prohibitis, et iprorum arbitrio repudiatis, commendare conabantur, ut sapientiae insignis speciem haberet: veluti sic duriter haberi corpus, et in ea re laudem praecipuam esse, sic efficaciter obsisti vehementiae libidinum, sic demonstrari exquisitam sapientiam, sic externa maxime disciplina effici mentis conformatiōnem ad cogitationis vim virtutisque excellentiam. Huiusmodi vero aduenticias ad Mosaicam legem opiniones vehementer improbat Paulus, dum aniles impiasque nugas, doctrinam pessimam, corpoream disciplinam \*), praceptiones non a

P 2

Christo

\*) 1 Tim. 4. βεβιλοι καὶ γραώδεις μῦθοι. διδασκαλίαι δαιμονίων (impia doctrina, cf. Iac. 3, 15. δαιμονιόδης) εἰσπάτη γυμνασία.

Christo ortas, sed ingenio adinuentas et fastu narrantatas, appellat \*). Adeo verum est, nisi fallimur, quod modo dixeramus, ne in his quidem concedi, ut quamcumque opinionis ullius normam sequamur. Sed ille Paulus, huiusmodi opiniones toutes repudians, in hoc epistolae ad Romanos loco aduersus eos, qui sibi abstinentiam a cibis quibusdam putabant, adeo non acriter disputat, aut eorum sententiam simpliciter reiicit, ut fraudatrixem, ut iis potius sit lenissimus, eosque ferendos putet. Ergo nunc intelligit aliam causam abstinentiae illius, et ὁ λογιζόμενος Βρέμης κατὰ in hoc loco non est, qui istiusmodi opinionibus nititur; sed Iudeus ullus aliquis, cui propter suam legem patriamque religionem adhuc persuasum est, vitanda esse quedam ciborum genera, aut paganus, ad christianam religionem transductus, sed in hac parte

\*) Coloss. 2, 8. 21. 22. 23. In his locis (quos nunc et p. 227. indicati) non credibile est, Paulum simpliciter contra Iudeos, Mosis legem defidentes, disputare: adeo contemtim de opinionibus eorum loquitur: sed contra Iudeos, magnam vanarum opinionum copiam ad Mosis legem adsciscentes. Discernendi ergo videntur loci, contra illos scripti, ab his, qui de posteriore genere agunt: neque sunt omnes simpliciter paralleli iudicandi. Ac mihi quidem regula discernendi locos N. T. de ciborum delectu non necessario agentes, haec videtur: ibi contra merum Iudaismum dici, ubi Iudaicae legis vis in decernendo hoc delectu sublata dicitur, et ostenditur, male agi, quod ea vis adhuc inculcetur christianis; e contrario ibi contra opiniones Iudaismo additas, delectum illum commendantes, dici, ubi defensio huius delectus nisi dicitur nugis et affectatione insignis appetitiae aut pietatis.

parte Iudeis obtemperans; nec ut libertate christiana sustinens. Hunc talern hominem cogitare iubet Paulus, eum sequi suam tantum sententiam, sibi tantum ita videri, eum non iudicare de re per se, de natura eius et institutione, de consilio communis religionis propagandae: eum ergo suam unius sententiam non debere aliis, ut necessariam omnibus, obtrudere, alios secus sentientes non adnumerare peccantibus, eum posse ferri, donec suam sententiam dedidicerit, aut sibi tantum habuerit \*).

Secundum haec videamus, quae *de officii*, in huiusmodi rebus praestandi, *varietate* accommodata ad singulorum animos praecipientur. Constituitur ergo \*\*), quidquid in his, quae ad natu ram religionis nostrae non pertinent necessario, a singulis aut sine mentis persuasione fiat, aut contra eam, id male fieri. In quo vix opus est monere, rem, de qua agenda quaeratur, non intel ligendam esse in se, velut alimentis a Deo paratis uti; sed adiuncta (*περισάτεις*) spectari, quae nunc quidem sic variantur, ut genus cibi aut nulla, aut scripta tantum (positiva) lege definitum sit; ut is, qui vescatur, sit Iudeus, Mosaicae quidem legi innutritus, sed christiano coetui recens additus; aut ut sit inter paganos natus educatusque. Sunt vero etiam abstinendi aut non abstinendi causae apud alios aliae. Nam qui paganus nuperus abstinet, fortasse plus tribuit doctoribus, qui apostolis se opponebant sedulo: fortasse cessit iis metu placendique studio: fortasse christianam doctrinam non est accurate

\*) Vers. 22.

\*\*) Vers. 5. 23. πληροφορία, πίστις.

edictus. Qui abstinet Iudeus nuperus, fortasse non examinavit argumenta contraria; sed utique propugnat sententiam suam: fortasse, quamquam examinavit, ei non satisfacere visa sunt: fortasse imbecilliore animo est, ut rem dijudicare nequeat, et suam tamen sententiam teneat: fortasse, quod contra secus sentientes pugnat, bono animo, fortasse vero altercandi studio pugnat. Adeo multa circumspicienda sunt, priusquam constituatur, fluctuante quis, an persuasum sibi habeat; lateatne aliud, an vere adsit dubitatio vel persuasio. Talis igitur Iudeus aut paganus, tali tempore, si probabili de causa, non mera libidine sentiendi, tali genere cibi non utatur, aut utatur, idque se agere debere non temere opinetur, sed persuasum sibi habeat, et utique credat: agat, suadente Paulo, tantisper ita, donec ei sic persuasum est, et quoniam ei sic persuasum est, neinpe ne peccet, si citra persuasionem, aut contra eam egerit. Ceterum neminem iubeat eodem modo agere. Non potest, opinamus, humanior aut liberalior oratio hac Paulina reperiri. Cur vero agere aut non agere debere rem, sic constitutam, pendet a persuasione mentis? Scilicet non sic attingit verae pietatis virtutis, quam christiana doctrina spectat, naturam, ut haec salua esse nequeat, si hoc edatur, ab illo abstineatur. Iudicabitur ergo aliunde. Sed argumenta sunt controversa, et super his ambigit utraque pars. Sequatur ergo quisque tam diu sententiam suam de libertate laxiore et adstrictiore, quam diu eam nondum potest abiicere, et contrariam tueri. Nam ipsius res agitur; ipsius animus est fons agendi; si peccat, ipse peccat, ipse

reus

peus fit. Peccat vero, si contra, quam ei persuasum est, agat: nam nefas est, mente aliquid improbare, et tamen facere. Versatur enim, qui sic se gerit, in perpetuo, e sua quidem sententia, male agendi et contractae culpae sibi exprobrandae periculo. At hoc est, ipsum sibi iniuriam facere, ipsum se perturbare. Rursus quia secus agit, ac persuasum ei est, necessario parum idoneis causis ad agendum est abreptus, ut metu quorundam, exemplo, indulgentia nimia, placendi studio, lucri cupiditate, leuitate, quae interdum id non magni facit, quod non multo ante gravissimum iudicarat, sensusque interioris e poenitentia secutura et dolore stimulum non tam acrem fore putat, quam reueret. At agere sic, num fas censebitur? Quid vero, quod contraria persuasiōni agendo animus adsuesieri potest leuitati in iudicio de officiis in vniuersum, et prolabi tandem ad omnem diuini humanique iuris neglectum? Tum vero, si rationis bonum ideo nobis concessum est, vt cogitando regeremur, neque vero temere rueremus: vteturne is hoc rationis bono, qui, secus ac statuit, idem modo agit, modo omittit? Tuebiturne dignitatem humanae naturae? Denique, quod est huic causae proprium, animus recentis e Iudeis christiani sic agendo quam facillime abalienari potest a religione christiana, in qua, usus interdum libertate, quam illa concedit, animo se angi sentit opinione male facti; non usus ea, rursus perperam se egisse putat: quia nihil ratum certumque animo habet, quod sequatur. Ergo culpam rei, quae in animo eius fluctuanti est, conferet in religionem, eique valedicere impalet, vt

sibi noxiae, suamque tranquillitatem interurban-  
ti. Agendum igitur est iuxta mentis persuasio-  
nem. Sic qui iudicabit et aget, certo tempore,  
in certa causa, inter certos homines, in huiusmo-  
di rebus, is hoc solatium paratum habebit, se non  
temerarium esse, nec consulto peccare velle, se  
malle, et rei et suae tranquillitatis causa, tutorem  
viam insistere. Igitur cogitare variam hominum  
indolem, hinc concludere, officii non necessarii  
varietatem concedendam esse, in eoque suadere,  
quod ad tranquillitatem animi tutissimum est, et  
sic impedire, quominus religioni per se officiis-  
que necessariis noceatur, est, de religionis parte  
cogitare.

Sequitur illud, quidquid in hoc genere fiat,  
id ita iudicandum esse, prouti hoc, quod fieri et  
omitti potest, ab eo, qui facit vel omittit, ad  
*Deum referatur, coniungaturque cum necessariis of-*  
*ficiis*, ne haec damnum capiant. De qua re iudi-  
cium proprium ad Deum pertinere, monetur. In-  
de concluditur, ut iudicium ne nostrum quidem  
sit, sic lenitate erga alios opus esse. Hic partim  
de necessitudine hominis cum Deo, per omnem  
vitam diamanante, et nata hinc officiorum necessi-  
tate in uniuersum, eorumque nexu cum futura vi-  
ta dicitur, partim de officiorum ipsorum discri-  
mine. Ac necessitudo quidem hominum cum  
Deo his verbis expressa est \*): neminem sibi vi-  
vere et mori, sed viuos Domino viuere, morien-  
tes eidem mori. His autem verbis hoc loco non  
docetur, quod viuamus, et quamdiu quisque vi-  
vat,

\* ) Vers. 7.

vat, aut quam praemature vel mature quis obeat, id deberi Deo, ab eoque pendere. Quorsum enim hoc loco de prouidentia diuina, initium et finem humanae vitae moderante, sermo sit, e qua doctrina nihil magnopere concludi possit, neque ad iudicium de libertate christiana in alimenterum v̄su, de qua tamen vnicē dicitur, neque ad eius defensionem, neque ad lenitatem in feren-  
dis aliis, qui secūs sentiunt et agunt? Sed Domi-  
no viuere dicimur eo sensu, quo illi ita subesse di-  
cimur, ab eo ita pendere, vt eius legem, consi-  
lia, instituta, faciamus normam statuendi agendi-  
que. Domino mori dicimur eo sensu, quod nos  
mortuos ita iudicabit tractabitque, prout normam  
illam vel tenuimus, vel negleximus. Spectatur  
ergo vita, qua officiis constat, eamque olim iudi-  
cium sequetur; mors vero, qua est initium con-  
ditionis post hanc vitam, praemia accipientis in  
utramque partem: non spectantur mors et vita,  
qua sunt in spirando, mouendo, sentiendo, aut  
in fine horum omnium: et quaeritur, qua ratio-  
ne et quem viui colamus, a quo mortui praemium  
exspectamus; non quaeritur, quis nos et quando  
vivere morique iubeat. Itaque nemo sibi vivit  
hoc sensu, quia nemo suam vnius sententiam,  
suum iudicium, sua studia consiliaque suo arbitra-  
tu sequi potest, neque ipse constituere, quid pro-  
bum improbumue sit, et quid, quomodo, quare  
agere velit, vt recte agat. Nemo rursus sibi mori-  
ritur hoc sensu, quia tum, cum moritur, defini-  
re nullo pacto potest, quam post discessum ex  
hac vita sortem habere velit, aut quid illi prodes-  
se debeat, sic potissimum vixisse. Ut Dominus

normam agendi definiuit, ita lex praemiorum ab eodem finita est. Vtrumque ab illo pendet. Est igitur necessitudo hominum cum Deo.

Haec autem pertinet ad omnem vitam, ad omnia genera factorum, in quibus locus est conscientiae sui, proposito, causis consiliisque, per quae cum religione coniunguntur. Nam alimentorum adeo vſus et potest et debet communī omnibus, et proprio quibusdam modo cum ea copulari, et ad Deum referri: *κυρίῳ ἐσθίουμεν* \*). In eorum enim vſu cogitari agnoscique potest ac debet Deus, eorum auctor atque conseruator, idemque laeto et grato animo celebrari. Quo quidem officio qui solui vult, is solui cupit necessitate cogitandae suae cum Deo necessitudinis, officiique inde orientis, atque adeo partem religionis euerit, nec viuit hactenus Deo, eius quippe imminetur. Qui e contrario haec agnoscit, agnitisque conuenienter agit, is, dum vitae quotidianaे rei ad Deum refert, hactenus ei viuit, religionisque partem exerceat. Ergo praeclare fungitur communī omnibus officio, et haud dubie probatur Deo. Sic quidem nuperi pagani, recens adducti ad coetum christianum. Ille vero alter, Iudeus iam christianus, proprio modo in alimentorum vſu ad Deum respicit, per cuius legem, suae nationi Mose interprete latam, delectum sibi necessarium, neque vero quaevis alimenta permissa credit. Cui legi quod obtemperat, et simul illud commune officium gratiarum creatorum agendarum conseruat, Deo viuit, et qua homo est, et qua Iudeus natione.

\*) Vers. 6.

**tione.** Quodsi variis modis alimentorum vſus cum religione coniungi potest: fluit inde officiorum diuersitas, nec propria his vel illis censeri omnibus communia, aut iis adeo obtrudi vlo pacto possunt.

Ad quem ergo pertinebit iudicium de huiusmodi factis, sic cum religione coniunctis, nisi ad Deum, ad quem vnum omnis religio refertur? praesertim cum de agentis animo iudicandum sit, an ad Deum vere respiciat, an certo sibi persuasum habeat, vel commune officium sufficere, vel proprium adiungendum esse, an proprium defendat, vt, si modo scriptae legi satisfactum fuerit, non magnopere opus fit exercitio mentis in officio communi, an communi putet acquiescendum, ne molestiam in proprio suscipiat, an defendat negligatue alterutrum metu hominum, simulazione, studio placendi, pertinaeia tenendae vel opinionis, semel conceptae, vel consuetudinis, a puerō usurpatae. Ut ergo fas est, in communi vita seruum, in officiis titubantem, hero permittere \*): sic haud paulo magis decet, cultorem Dei (δρλον Θεον) Deo permettere, qui vnuſ aestimare debet, titubetne ille ipsius cultor, et quare, an recte praestet officium, et animo bono, et sedulo.

Si porro est officiorum discriben, nec omnia omnibus communia sunt: multum hac de causa dandum erit lenitati in aliis tunc diiudicandis, cum suo quisque officio fungitur. Vbi ergo videris aliquem, omnium rerum conditori Deo pro alimentis gratias agentem \*\*): ab hoc negabis recte

Deum

\*) Verf. 4.

\*\*) Verf. 6.

Deum in uniuersum coli? Huncine; vescentem cibo, quem tu tangere non sustines, te minus probum adpellabis, cum eo se duci patiatur, quo, praeter naturae prouidentiaeque cogitationem, doctrina christiana vocat? Huncine te minus probari Deo criminaberis, qui in religione, quae omnibus communis esse debet, officio communis adquiescendum, et, si Deo gratias egerit, satisfactum putat? His ita cogitandis lenitas ingenerari debebat Iudeis erga paganos, in alimento rum usu liberiores. Οὐδεὶς ἔαυτῷ ζῆ (omnes subsumus Deo): ille vero paganus hoc agnoscit et profitetur: nam κυρίῳ ἐσθίει (refert id, quod alimenta habet atque sumit, ad Dominum): εὐχα-ριστεῖ τῷ Κυρίῳ (cominuni et necessario fungitur officio). Sed idem illud nuperos paganos Iudeis, in hoc genere adstrictioribus, initiores reddere debebat, cum Iudei quoque, quinquam suo modo, ederent viuerentque Deo, neque tamen, quod aliter sibi persuadere nondum potuerant, minus probi essent probatique Deo.

At, inquis, non persuasum ei est, de quo debebat, si christianus vere dici haberique velit. Non est sane ei persuasum, neque ad perfectiōnem christianaē religionis peruenit. Ergo eum corrigendum omni modo dicis. Corrigendum esse, recte dieis: sed, num omni modo? Audiamus ergo Paulum \*), qui, potest, inquit, Deus eum

\* ) Vers. 4. Siue certus animi recte agat (σύκοι), siue incertus erret (πιπτεῖ), non semper incertus errabit (σαρώσσεται). Potest Deus eum certiorem reddere, atque ei sic ab errore cauere.

eum certiorem animi reddere. Hoc tempus expecta. Noli tu praecepitare rem, et festinare, ubi Deus lentius progreditur. Fer modo illum haesitantem leniter, qui de reliquo necessaria officia non negligit, sed suministram rei in exercitio religionis curat. Excute tu istam tuam sedulitatem, et imitare Deum, etiam in talibus μακρές-Θυμον.

Ad eamdem lenitatem iudicii de aliis facit et hoc, quod Deus eiusmodi hominem, vtentem plane, aut non omnino vtentem libertate christiana, tamen hoc *beneficio auxit* \*), vt eum adduceret admitteretque ad Christi coetum. Voluit ergo eum, religionis huius socium, reddere bonorum ei priorum participem. Si eum vtique improbaret, non concessisset beneficium religionis christiana. Huic consilio Dei et modo se gerendi erga illum hominem obsistit, qui talem Iudeum sinistre dijudicat, et culpae grauissimae coarguit: obsistit vero etiam Iudeus, qui talem paganum, nihil se patriis Iudeorum moribus adstringentem, vituperat et sceleris arguit. Obsistens vero Deo qui poterit, id quod Paulus hoc loco postulat, imitari Deum, Iudeo tali aut pagano beneficium parantem? Quemadmodum ergo inuidere his, quibus Deus bona vitae indulserat, non est similitudinis cum Deo, quoniam eius consilium in bonis distribuendis, et modus erga homines quosdam se gerendi,

\*) Vers. 3. it. Rom. 15, 7. Est προσταθεῖν, vt δέχεσθαι, benigne tractare, benevolum se praebere. Cf. Psalm. 27, 10. Sic Rom. 11, 15 est πρόσληψις, et v. 31 eadem res θλος dieitur.

gerendi, veluti corrigitur: sic iisdem de causis improbatio eius, quem Deus probat, discessus ab eo, quem Deus nostro coetui adsociauit, imorosa durities erga emin; quem Deus exhilarare voluit, tollit similitudinem cum Deo: Reliqua huius lenitatis argumenta \*), veluti amorem erga alios postulare, dignum ea esse hunc; pro quo Christus mortuus sit, laudabile esse, alterius causa sibi aliquid negare, non singulatum pertractabimus, cuin sint perspicua. Et videamur satis ostendisse, quo potissimum modo Paulus de parte religionis, suae officio quodam erga alios eiusque causis, cogitare nos docuerit. Quae disputatio nostra si quibusdam ostenderit, quo modo in sacris literis uberrimam cogitandi dicendique de religione materia inuestigari possit: non omnium fructu caritatem videbitur:

\*) Vers. 15. 21.

---

# VIII

*De*

## *notionibus vniuersis in theologia.*

Cum primum ea, quae humanae intelligentiae subsunt, dispersa per vitam omnemque adeo rerum naturam, animaduersione et comparatione singulorum in notiones atque propositiones vniuersas collecta sunt, quales metaphysica disciplina tractat, ut, cognitis iis, quae coiuiniua omnibus essent, constitutisque similitudinum ac dissimilitudinum generibus, necessaria rerum attributa, et propositiones necessariae obseruarentur: tum cognitio humana coepit ad disciplinarum initia flecti, et ad subtilitatis laudem euehi. Similiter postquam religionis reuelatae doctrina sensim ac per partes tradita erat, et vniuersa iam in sacrorum librorum corpore exstabat; singulis prudenter eo loco et modo expositis, quo loco et modo eorum tractandorum occasio et opportunitas fuerat: studium et cura doctorum inter christianos res ita sparsas colligere, collectas digerere, notiones propositionesque vniuersas obseruare, ac ceteras his subiicere, et ad has reuocare coepit; inualuitque theologiae discrimen, quo ab indoctiorum hominum vulgari simplicique notitia internoscitur.

Quod studium qui reprehenderunt, satis cùa pide omnes enumerati in opere Arnoldino de historia ecclesiastica, hi veriti erant, ne theologia hoc modo in philosophiam mutaretur, esseque discris-

discrimen eius a religione in re magis, quam in modo tractandi, et amplitudine cognitionis praefidiorumque adparatu, positum. Sed iidem non cogitarant, imitatione ordinis et vniuersae rationis, quam philosophi in docendo sequuntur, neque res ipsas, in quibus philosophorum rationem imitamur, illico fieri philosophis proprias, neque horum placita et decreta in illam alteram disciplinam, in qua imitamur philosophorum subtilitatem, propterea transfundi, eique immisceri. Aliud enim est, in theologia philosophorum placita sequi, et ex his rem omnein dirimere; aliud, in religione tradenda leges subtilitatis, a philosophis obseruata huinanae mentis verique natura constitutas, sequi, explanandaque religione subtiliter, cum propter aduersarios, tum ordinis, perspicuitatis, persuasionis et diligentiae causa, theologi personam sustinere. Si qui putarunt, aut etiamnum arbitrantur, hoc modo nihil nisi scholasticæ philosophiae vocabula in theologiam adscisci, quo niam nonnullos viderant, quemlibet locum theologiae absoluente commemoratione causarum omnis generis, finium, subiectorum: hi non debebant multorum consuetudinem, veluti necessariam, omnibus tribuere, aut hoc unum genus notionum vniuersarum, e metaphysicis in theologiam importatarum, cogitare. Licet enim in theologia subtiliter versari, notionibus vniuersis constituendis, definiendo, diuidendo, confitmando, concludendo, rebusque digerendis, etiamsi si singula eius capita non pertractentur ex ordine causarum atque finium, et huiusmodi notionibus ac vocabulis explicitur. Externa quidem disciplinae forma

forma arbitraria ut plurimum est. Quamquam enim Melanchthon, multum ille ceteroquin imbutus scholastica philosophia, pauca ex hoc genere in Locos intulit: tamen de religione subtiliter ibi scripsit. Ostendit etiam interdum Pfaffius in institutionibus dogmaticae theologiae, dum dogmata e sacris libris seorsum colligit et confirmat, deinde τρόπον παιδείας ferè usitatum describit, notiones vniuersas constitui posse, non assumta illa ratione scholastica, quae olim in τρόπῳ παιδείας verbis certis exprimendo dominabatur, quamquam, si deviro tanto liberius iudicare mihi quidem licet, rem bene institutam non ubique feliciter exsecutus est. Licebit vero per hanc occasionem Heilmanno et Zachariae, iam mortuis, (qui et ipsi sparsa per sacros libros collegerunt in unam notionem, aut unum verbum, scriptoribus sacris usitatum) pro dogmaticis libris nominatim gratias agere, ceterorum merita tacite venerari.

Sed fortassis illa in vniuersis notionibus et propositionibus subtilitas magnam partem controversiis ac disputationibus debetur, et vel hanc ob causam parum commendabilis est. Concedo equidem de fatis multis, et, quoties ab aliquo noua sententia de modo rei explicandae aut verbis exprimendae prolata sit, ut de interiore nexu (relatione) Patris, Filii et Spiritus Sancti, toties ab altera etiam parte, alterius sententiam et verba repudiante, noua vocabula procusa et introducta esse, probe noui. Aduersarius enim, praesertim cum disputatione feruet, non facile adquiescit, si audierit, rem non ita se habere, ut ipse dixerit; cupit etiam audire, quomodo se habeat, et urget

Q

alte-

alterum, ut ipse quoque suam sententiam certo ad definito verbo exprimat. Quod si vero cum omnino multa capita religionis sine huiusmodi nouis verbis subtiliter explicari, tum nominatim nullo ad controversias respectu res, expressa verbis sacrorum librorum, accurate explicari possunt: vicissim concedendum est, non omnis subtilitatis studium, in uniusnotionibus et propositionibus collocatum, ideo, quoniam ad controversias deflexit, aut per has nimia verborum adiumentorum imoles accumulata est, in se spernendum esse. Si porro ipsi sacri scriptores nobis notiones propositionesque universas suppeditant, et hoc modo multa esse uno verbo comprehendenda docent, ut paulo post demonstrabitur; hae vero utique tenendae atque fundamenti loco ponendae sunt: ad harum imitationem quidni alias, collectis in summam locis sacrarum literarum singulis, ad idem genus aut totum pertinentibus, interdum efformare atque constituere docendi causa liceat \*).

Fuerunt

\*) Scriptores diuersum mutationem hominum, quam religio officere debet et potest, appellant vel tropis verbis regenerationem, conversionem, renovationem, aliisque; vel verbis, quae per linguæ indolem non tantum significant, quantum per ipsam rem et usum sacrorum scriptorum significare debent, veluti *mutatio*. Quidni ergo pars iure, quo alias res insigniae sunt vocabulis, non in S. S. obuiis, sed in hunc usum inuentis, ut plura coniuncta coniunctim et breviter significarentur, (qualia sunt trinitatis, personae, naturae, sacramenti, satisfactionis vocabula) quidni ergo liceat, hanc rem omnem, quam sacri scriptores renovationem nominant, interdum appellare mutationem in melius, emendationem, et ita his nominis.

Fuerunt etiam, qui doctrinae christianaे ve-  
luti succum omninem detrahi, eamque in ieiunos  
aphorismos mutari putarent, si reuocarentur  
omnia ad vniuersarum notionum et propositio-  
num simplicissimam breuitatem atque proprieta-  
tem; qui persuadere sibi non possent, tot saepe  
numero verbis, ut regenerationis, conuersionis,  
renouationis, nouae creaturae, rem significari  
per similitudines, non vrgendas anxie, et quam-  
quam diuersas, tamen rem omnino unam eam-  
demque exprimentes \*); qui illuminando et ape-  
riendo animo \*\*) plus et alio modo, quam do-  
cendo, sibi contingere crederent; qui, si Deus in  
iis maneret, ipsi vero in Deo, archius se et alio  
modo cum illo nexos copulatosque putarent,  
quam cognitione, et cultu, et beneficiis; qui a  
Deo trahi (Io. 6, 44. 12, 32.) occultius statuerent  
et πιστεύτερον, quam doctrina et auxilio Dei ad  
scientiam religionis christianaę, adsensum, et  
facilitatem animi vitaeque adduci \*\*\*), docendo

Q 2

iuani-

nominibus aut notionibus rem vniuersam compre-  
hendere, expressam verbo, nobis statim perspicio?  
Quidnam quæsօ fecerunt, qui prouidentiae notionem  
in doctrinam christianam receperunt? Nonne res  
sparsas retulerunt ad duo genera, conseruationem at-  
que gubernationem, et haec rursus uno prouidentiae  
nomine amplexi sunt?

\*) Vid. Pittmanni commentationes duæ de voca-  
bulis oeconomiae salutis. Viteberg. 1776.

\*\*) Est vero aperire animum, eum reddere intelli-  
gentiorem, ut adeo possit rem melius perspicere,  
(Luc. 24, 45.), et rei adsensum praebere (Act. 16,  
14.), eique operam dare (2 Maccab. 1, 4.).

\*\*\*) Quoties vero seriem sententiarum in his Io-  
anneis

iuandoque eo deduci, vt, quia didicerint, et possint et velint probare assensu factisque; qui *κοινωνίαν θείας φύσεως* (2 Petr. 1, 4.) positam inallent in quadam *ἀπόθεώσει* christianorum, quam in imitatione diuinae sanctitatis; quibus grauius ad solatium videretur, Christum vulnera sibi indigi-

anneis locis, et verba Iesaiæ prophetæ adiecta cogitaui, toties huc inclinatus sum, vt Deum *trahensem* putarem esse Deum, impertinentem homines notitia, edocendos eos curantem. Nam semel illud ponи video, ad Christum veniri, hoc est, religionem eius suscipi probarique (Ioan. 6, 35) non posse, nisi quis *a Deo tractus* sit: iterum inde concludi, eos, qui *a Deo instituti edoctique* sint, venire ad Christum. Differuntne ergo *tracti* a Deo, et *instituti* ab eo? Magnopere nos fallat verbis, qui sic loquuntur, et tamen τὸν ἐλκυστήρα nolit intelligi, τὸν ἀκύστητα γῆ μαζόντα. Tum quorsum loco Iesaiæ Christus vslus est? Nonne vt rem ab se propositam confirmaret? In verbis ergo Christi, quae cōfirmantur, idem esse debet, quod in verbis prophetæ, quae illorum confirmandorum causa proferuntur. Sed confirmatur illud, a Deo *trahendos* omnes esse, et confirmatur eo, quia praedictum sit, omnes a Deo *edoctum* iri. Ergo debent omnes edoceri, quia praedictum est, fore vt edoceantur omnes. Quare non magis est in illo *trahere* laborandum, quam si tropo fere simili, *adlicere*, *manuducere*, *adducere*, vslus esset Christus. Similiter in altero loco (Io. 12, 32) Christus spondet, superata morte sua se effecturum, vt omnes per terrarum orbem ad se adducantur, h. e. vt ad omnes notitia sui suaeque doctrinae perueniat, iisque hac ratione via ad felicitatem muniatur. Hinc patet, vim κάσης et ἀρχαντος fractam esse, et hoc faciet ad Patris et Filii δοξασμόν. cf. Noeffelti interpretatio grammatica huius loci, a. 1778 edita.

fligi passum esse, quam cum pro peccatis ignominiosam cum cruciatibus mortem subiisse. Cum hoc hominum genere quam lenissime agendum puto. Quippe sunt fere animo bono, (de his enim non loquor, qui, ut Anabaptistæ ab initio, cum similibus opinionibus coniunxerunt turbarum studium, et magistratum doctorumque religionis publicorum contemnum) amant Deum, vitam doctrinae christianaæ congruam viuunt, antecedunt saepe alios virtutis studio, et cupiunt ardentiter, ut vis religionis tanta sit, quanta possit esse. Sed utinam ab se impetrent, ut attendant, an rei alicui dignitas et vis et efficacia detrahatur, si in uniuersum et constanter potius sit expressa, (veluti, Deum per doctrinam efficere omnem illam salubrem mutationem, quae religioni proposita est,) quam his modo, modo illis verbis, *vngere, trahere, illuminare, regenerare*, partem rei tantum aut similitudinem significantibus; ut cogitent, eum, qui recte viuat, tamen recte vivere, etiam si facta eius perspicuam cognitionem certamque persuasionem, non adiuncto sensu acriore \*), tam-

Q 3

quam

\*) In omni hac disputatione sensum acriorem intelligi volo vehementiorem affectum animi, repente et improviso exortum, ut causa affectionis huius neque in homine, neque in circumiectis rebus detegi posse videatur, sed ad efficientiam ipsius Dei referenda existimetur (*ein schnelles bestiges Gefühl*). Hoc semel monuisse sufficiet, ne semper circumspecte loquendum, aut longa rei descriptione vredum sit. Igitur nullo modo nego, omnino in religione opus esse sensu, veluti doloris, gaudii, solatii, aut experientia earum rerum, quas doctrina continet, et ad quas

quam necessario documento genuini christianismi, sequantur; ut agnoscant, eum, qui recte statuat et viuat; etiam in melius mutatum esse, quamquam punctum temporis non notatum habeat, quo coeperit comprehendendi a Christo \*) (Phil. 3, 12.); eum, qui doctrina christiana et Deo iuuante moe-  
flio vitae male actae pudore affectus sit, et, quod sequi illum moestum pudorem debet, nunc aliter sentiat et agat (*λύπη κατεργασταμένη μετάνοιαν*  
2 Cor. 7, 8—12.), non minus Deo placere, quam qui per anxios dolores, et desperationi de omni salute finitimos horrores, eodem deuenerit. Ne doleant ergo de iactura verae in Deum pietatis, bonorumque christianorum paucitate, ne fugiant alieniores ab ipsorum formula doctores, ne detrahi religioni pretium querantur, si alii ad idem genus referant, quae ipsi omnia diuersa esse credunt; si alii modum loquendi, quo scriptores sacri vtuntur, cum eo, qui nunc usitatus est, aut nobis

quas conformare animum vult, quas ingenerare animo debet; tantum dico de repentinis et vehementioribus sensibus, tamquam ab ipsius Dei efficientia singulari ortis, aut huiusmodi efficientiae documentis et signis.

\*) Cf. Crusii theol. moral. Vol. I. p. 535. Et est aliud, ineminiisse, quo tempore coeporis a manifesta peruersitate redire ad saniorem mentem, cuius rei memoriam locum habere posse ac debere nemo negabit; aliud, nosse punctum temporis, et eius minutulas περιστάσεις, quo punto et inter quas περιστάσεις ex angoribus, quibus ad desperationem usque mersus fueras, eruperis ad solatium et spem, ut iam inde ab illo temporis punto initium regenerationis accurate computetur.

nobis planior \*); interdum permutent, cum ipsi inalint antiquam tenere; si alii, positis per doctrinam christianam certis et perspicuis sententiis, huc omnia reuocent, et ad hanc normam cetera examinent, cum ipsi totidem sententias se reperiire sibi videantur, quot modis illa una sententia, universa expressa, variari per formas generum partesque totius solet. Nam profecto discrimen sentiendi et loquendi, quo illi se ab aliis se iungunt, magna ex parte huc videtur referendum esse: in vita quidem et factis nos quoque Deum patrem, et Dominum nostrum Iesum Christum, et Spiritum colere studeamus; et a Patre per Filium et Spiritum ea bona, quae per Filium et Spiritum tribuit, exspectamus; Spiritusque diuini auxilio freti officia nostra praestare annitimus.

Hic ita monendis video mihi cauisse, ne quis aut ex alio fonte, quam e sacrorum librorum institutione, doctrinam a me hauriri, aut veluti patrocinium vocabulorum certorum, in arte et schola inuentorum, (quae ego omnia minime abiicienda esse puto) in hac disputatione suscipi, aut modos loquendi, post controversias ratos et fixos, nunc uice defendi, aut argutam subtilitatem in locum simplicissimae et fructuofiae cognitionis reponi suspicetur. Vnde iam ad ipsam rem accedam.

Vniuersas in religione notiones dico eas, quae opus illud, quod Deus per Christum nostra causa exequi, nobisque reuelatione innotescere voluit, vel nostram miseriain, nostra emolumen-

\* ) Cf. p. 242. not.

ta, nostra officia ita coniunctim significant, ut genus aut totum intelligatur, quae propterea in doctrina christiana propriae, ratae atque fixae, ceterarumque partium doctrinae christiana summa et fundamentum sunt, ideoque in religione veluti dominantur. Cuiusmodi notiones sunt, Christus dominus, σωτήρ, gratia Dei, salus, voluntas Dei, regnum Dei, debellatio aduersariorum Christi, cupiditas, peccatum, venia peccatorum, γνῶσις Θεοῦ, πίστις, ὑπακοὴ τῆς πίστεως, ἐπιστροφὴ, καὶ κτίσις (Gal. 6, 15; cf. 5, 6.), κοινωνία μετὰ Θεοῦ, ζωὴ, ἀπώλεια. Hinc non obscurum erit, propositionem vniuersam esse, quae doctrinae diuinæ suminam vel locum aliquem, huiusmodi notionibus vniuersis expressam, continet: veluti, 'Ο Θεὸς τὸν Ἰησὸν ἐποίησε κύριον (Act. 2, 26.). Εἰσέρχεσθαι εἰς τὴν βασιλείαν τῶν χριστῶν. Δεῖ τὸν χριστὸν βασιλεύειν, ἄχρις ὃ ἂν θῇ πάντας τὰς ἐχθρὰς ὑπὸ τὰς πόδας αὐτῷ (1 Cor. 15, 25.). Χάριτι ἔσε σεσωσμένοι (Ephes. 2, 5.) 'Ουκ ἔτιν ἐν ἡδενὶ ἀλλὰ σωτηρίᾳ (Act. 4, 12.). Χριστὸς αὕτιος σωτηρίας αἰώνιας (Ebr. 5, 9.). Θεὸς ἀπεκύησεν ἡμᾶς λόγῳ αἱληθείᾳ (Iac. 1, 18. 1 Petr. 1, 23.). Τέλος πίστεως σωτηρία ψυχῶν (1 Petr. 1, 9.).

Hae notiones quomodo genus aut totum exprimant, quoue propterea iure vniuersae nuncupari possint, etsi de singulis singulatim docere non opus est: tamen in una et altera experiri licebit, ut, quae sit sententia mea, magis adpareat. Quemadmodum ergo, quidquid in doctrina religionis de benevolentia Dei erga homines, per Christum exhibita, ipsoque beneficio, reperimus, quidquid detractionem incommodorum et adiunctionem

ctionem commodorum indicat; id omne subest χάρις et σωτηρία, tamquam species generibus, ideoque χάρις et σωτηρία nominatur: ita, quae-  
cumque de adipiscenda per religionem meliore cognitione, sumendis melioribus sensibus, (Φεονή-  
ματα dico et Φεόνησιν δικαιών, vt Rom. 8, 6.  
Luc. 1, 17.) vitaque melius agenda tradita sunt,  
ea ἐπιστρέψῃ comprehendit, vt totum partes. Si  
haec sunt vniuersa, vt omnes concedunt, illa non  
minus censenda sunt ex vniuersorum genere, cum  
*cupiditas* dicitur affectio animi, adpetentis aut  
auersantis aliquid contra rectae rationis doctrinae-  
que reuelatae dictata (Rom. 7, 7. 23.), siue sic  
adpetat et auersetur saepius, fere semper, liben-  
tius, siue interdum; siue tum, cum iam est emen-  
datus, aut nondum in melius mutatus; siue suo  
impetu, siue consuetudine aut aliorum imitatione.  
Si similiter ad vniuersas religionis notiones pertinet,  
quod *domini* nomen, de Christo usurpatum, eum  
describit, qui, perfunctus duplici mandato patris  
sui, docendi homines et pro iis moriendi (Io. 10,  
18. 14, 31.), atque in vitam reuocatus, vt omni-  
bus hoc reditu in vitam, tamquam argumento li-  
quido, fides fieret (Act. 17, 31.), hunc esse ipsum  
illum, quem Deus destinauerit generis humani  
dominum, venturumque praedici voluerit, qui,  
inquam, inde ab illius reditus tempore doctrinam  
suam quam potentissime propagandam curat, res  
sui coetus regit ac tuetur, suos omnis generis bo-  
nis, quae ad animi salutem spectant, replet (Col.  
2, 10.), et haec omnia eo consilio atque fructu  
facit, vt ipse omnibus omnino celsior, et causa da-  
torque felicitatis aeternae agnoscatur et colatur

(Ebr. 5, 9.), atque suos, iam nunc tranquillitate ex certa peccatorum remissione, indubitata spe et exspectatione futurae felicitatis beatos, olim reddit in æternum beatissimos, omniq[ue] genere humano in vitam reuocato, s[ic] quemque sorte in æternum frui iubeat (Act. 10, 38. 42.). Aut enim fallor, aut hoc amplissimo sensu docemur, Christianis esse vnum dominum (1 Cor. 8, 6. Ephes. 4, 5.), ipsique profitemur τὸν Ἰησὸν Κυρίον (1 Cor. 12, 3. Phil. 2, 11.). Nonne vero ita dominum dicentes, verbo totum significante utimur? Intelligitur ex his, opinor, cur et quomodo huiusmodi notiones universas, iisque genus aut totum expressum dixerim.

Quod autem has notiones in religionis doctrina proprias nominaui, id ne mo non videt hoc loco non eo sensu capiendum esse, quo proprium verbum a tropo discernitur; sed quo vna quaelibet disciplina verba quaedam, ex ambitu linguae segregata, in rebus certis constituit, vt sint certae significationis certique usus, a quibus accurate et cum hac disciplina loquenti recedendum non sit, aut si recedatur, aliis verbis in priorum locum substitutis, tamen haec ad illa propria reuocanda, cum iis comparanda, ex iisque illustranda et explicanda sint. Ut ergo his nulla disciplina carere potest, neque sine his accurate tradi, ita nec theologia: praesertim cum propria theologicae disciplinae verba, de quibus nunc dispergo, iam in sacris libris existent. Ac fuerit profecto admodum manca, si quaedam ex hoc genere omiserit; et parum diligens, immo plane arbitraria, si ea definierit aliter, quam a sacris scriptoribus materia suppeditata est. Cum constet, vt exemplo utat in-

indubitato, quia nos beatitas sempiterna maneat, siue contineatur detractione incommodorum, siue adiunctione bonorum, eam in vniuersam σωτηρίαν ψυχῶν (1 Petr. 1, 9.) et ζωὴν αἰώνιον dici, ὅλεθρον vero (2 Thess. 1, 9.) et ἀπόλεσμα, quae improbos miseria maneat, siue fuerit in vacuitate a bonis, siue in sensu malorum; et cum haec verba propria sint in hac parte doctrinæ christianæ: quiuis concedit, non modo iis in religionis doctrina in primis vtendum esse, sed ad haec quoque alia omnia referenda, quae vel breuiter illam beatitudinem miseriamque designant (Rom. 2, 8. 9. 10.), vel pluribus per imagines fere adumbrant. Idem fas est ibi agnoscere, ubi baptisimus dicitur suscipi ab hominibus εἰς ἀφεσίν ἀμαρτιῶν (Act. 2, 38. 22, 16.), aut sanguis Christi susus εἰς ἀφεσίν ἀμαρτιῶν (Matth. 26, 28.), aut fide accipi πάρεστις τῶν ἀμαρτημάτων (Rom. 3, 25.). Nam haec quoque notio veniae peccatorum propria est et certa in religionis doctrina, et ita vniuersa, ut, cui peccata condonata sint, is non modo incommodis quibusdam peccato nexis liber, sed etiam spe aut possessione commodorum felix existimandus sit (κεχαριτωμένος Ephes. 1, 6.), ut nec ἀφέσει sine his, quae sequuntur, nec haec, quae sequuntur, sine ἀφέσει cogitari possint. Vnde si quid instituitur aut fit εἰς ἀφεσίν ἀμαρτιῶν, fit aut instituitur ideo, ut liberatus miseria homo reddatur redditus possit felix (Rom. 4, 6. 7. 8. 5, 1. 2. Ioan. 3, 16. Ebr. 9, 15.). Quae quidem vniuersa notio tam latet patet, ut etiam aegroto (Matth. 9, 2. 5. 6. Iac. 5, 15.), impuro ex formula Mosaiicarum legum, aut nationi, cladibus publicis afflictæ, data peccato-

rum *venia* hanc vim habeat: et si miseria haec et salus longe alius generis sunt, quam vbi Christi causa contingere omnibus *venia* peccati dicitur. Sed de huiusmodi exemplis posterioris generis *ἀφέσεως* nunc non loquor. Ad illam igitur *ἀφέσεως* notionem reuocamus alias, praesertim cum a sacris scriptoribus diserte explicentur de hac *venia*, vt *ἀπολύτρωσιν ἔχειν* (Ephes. 1, 7.), aut cum *ἀφέσεως* verbo permutentur, vt *δικαιωθῆναι* (Act. 13, 38. 39.), et huius rursus synonymum *καταλλαγῆναι* (Rom. 5, 9. 10.), et si haec singula non singulis in locis, vbi occurunt, hanc propriam vim habent: nam *λυτροῦσθαι*, *δικαιώσθαι*, *καταλλάσσεσθαι*, patent etiam latius.

Satis videor vim et naturam vniuersarum notionum descripsisse: unde iam de modo earum constituendarum differam; sed paucis, cum ipsa rei natura hunc modum sic prescribat: *Collige species in generis notione, partes in totius nomen.* Est vero pro diuersitate rei, quam quaeque notio vniuersa exprimit, hic modus eius constituenda diuersus. Quae enim omnino indicant illud opus, quod Deus Christum nostra causa exsequi voluit (p. 247.), nobisque peculiari modo patefecit, vt *domini, regni, debellatorum hostium* notiones, eae ita fere mixtae sunt e dogmatis et historia, vt, quemadmodum historia notat tempora, personas, res gestas, earumque gerendarum seriei ac modum, sic dogmata de horum omnium causis, consiliis et effectibus nos edoceant. Necessarium igitur est, vt historiam audiamus, et quascumque huiusmodi notionis partes historicas, per sacros libros praedicendo, euentu demonstrando, narrandum, doque

doque sparsas, colligamus omnino omnes in unam summam: aliter enim, nisi coagmentatis partibus omnibus, per rei naturam totum intelligi nequit: ut eiusdem historiae adiumento seriem, qua res deinceps decurrerunt, cogitando persequamur: aliter enim, irruendo in medias res, periculum erroris et molestiam obscuritatis suscipimus: ut, quibus potissimum verbis quoque tempore illae res praedictae adpellari soleant, circumspiciamus: aliter enim causas detegere non possumus, quare in noui testamenti libris his potissimum verbis loquendique modis, ut propriis, nuncupentur: ut observemus, quo nominatum sensu a scriptoribus noui testamenti haec verba explicentur: aliter enim nesciimus, quoad illa distent a vulgaris sermonis consuetudine, aut pro arbitrio ea interpretamur: ut denique omnium eorum, quae historiae et dictio-  
nis obseruatio nobis suppeditauit, causas, consilia, effectus, a sacris scriptoribus aut docentibus simpliciter, aut vberius explicantibus, diserte traditos notemus, et hoc modo cum historiae et dictio-  
nis obseruatione dogmata coniungamus. Ita fiet harum notionum, religioni propriarum, vel pressa definitio, vel (quod interduin ad perspicuitatem fructuosius, et propter rerum coniunctiarum dissimilitudinem ad diligentiam certius est) partium omnium, quibus totum continetur, accurata enumeratio, eruntque nobis eae notiones vniuersae. Ita inter nostros Crusius, inter Helvetos Hessus, in libris notissimis ambitum regni Dei descripserunt; Koppius \*) autem et Kei-  
lius

\*) Edit. Nov. Test. vol. I. p. 212.

lius \*) accommodate ad noui testamenti interpretationem rem illustrarunt.

Hac via didicimus, ut in uno subsistam, *adversarios Christi, nunc regnantis, communi nomine in sacris libris dici, quidquid impedit cognitionem, conditionem (πίστιν et σέργεα πάλαι), spem possessionemque felicitatis vniuersae, ad quam adducere nos Christus e consilio patris sui debuit atque voluit.* Qui enim aut singulatum singuli nominantur eius adversarii, aut coniunctum ita dicuntur, hi omnes, suo quisque modo, impediunt illam felicitatis modo dictae cognitionem, conditionem, spem atque possessionem. Nominantur autem singularium falsi doctores (1 Io. 2, 18.), praesertim Mosaicae institutionis tenacissima defensione iugulim imponentes christianis tempore apostolorum (Coloss. 2. Act. 15. Gal. 5, 2—3.), aut doctrina de libertate christiana ad licentiae patrocinium abutentes (epist. Iud.); rursus omnino homines flagitosi (1 Io. 3, 6—12.); tuum reuidentes utique Christum eiusque doctrinam, ut Iudaica natione; obicienes item eius propagationi obstatu vello modo, maximie vexandis Christi legatis et sectatoribus; addicti paganae superstitioni (2 Cor. 6, 14 seqq. 1 Io. 5, 20. 21.); Satanas etiam (Matth. 13, 39. et alibi, praesertim in apocal. Ioannaea); denique mors (1 Cor. 15, 26.). Coniunctum vero dicuntur εξόσια τῷ σκοτώσει, ut regnum, Christi regno contrarium (Coloss. 1, 13.), et saepissime κόσμος. Iam cum eorum, qui singuli nominan-

\*\*) Historia dogmatis de Regno Messiae, Christi et Apostolorum aetate.

minantur, nonnulli diserte adpellentur aduersarii  
 (ἐχθροί, ἀντίχειστοι, ἀντικείμενοι, ἀντιδιάτιθέ-  
 μενοι 2 Tim. 2, 25); hi vero impedian p̄aefidia,  
 spem ac possessionem felicitatis paulo ante dictae;  
 iure concludimus; cetera earumdem rerum impe-  
 dimenta ad idem genus referenda esse. Nec ob-  
 scurum est, quomodo quodlibet horum impedimen-  
 torum, quae primo loco nominaui, felicitati-  
 tem illam impedit: de Satana vero res sic descri-  
 bitur, ut vitia et scelera cum morte dicantur eius  
 opus, vel quod conferat ad illud (Ephes. 2, 2.),  
 (incertum de reliquo, quomodo in vniuersum, et  
 quando in singulis causis), vel quod illud consiliis  
 eius optatisque respondeat (Io. 8, 44.), vel quod  
 mali adpetant et faciant eadem, quae ille facit et  
 adpetit (ibid. et 1 Io. 3, 8.), sitque horum et illius  
 societas, contraria Christo, et expers felicitatis.  
 De morte sic intelligo, quoniam quemque natura  
 metus mortis constringit (2 Cor. 5, 2. 3. 4.); con-  
 spinxitque seruili metu terrarum orbe in ante Chri-  
 sti aduentum (Ebr. 2, 14. 15.); id quod abhorret  
 a felicitatis perfectione, et eius doctrina, qui suos  
 laetissima et beatissima quaeque prospicere vult:  
 tum quoniam, parta quidem per Christum venia  
 peccatorum, sublatisque horum incommodis, tan-  
 men mors, quam peccati poena proponiat scri-  
 ptura, adhuc residua est, cogiturque vel integer-  
 imus Christi sectator, certissimumque veniae,  
 illud incommodum peccati ferre atque sentire: id  
 quod ipsum a felicitate cultorum Christi alienum  
 est; rursus, quod mors saepē numero omnēm  
 miseriam, quae peccata sequitur, etiam futuram,  
 simul significat (Rom. 6, 21. 23. Iac. 1, 15.). Sic  
 parsim

partium singularum, earumque nexarum aliqua similitudine, congeries effecit vniuersam aduersariorum Christi regnantis notionem, supra propositam.

Hac via didicimus, hos aduersarios *Christo nunc regnanti subiici* eo sensu, vt impedimentorum illorum vis coerceatur, numerus minuatur, vel ipsa omnino cessent. Errorum quidem, inficietiae, idolatriae et *ἀπιστίας* vis deuicta est docendo per terrarum orbem meliora, paganisque nationibus ad vnius veri Dei cognitionem traducendis, Iudeis autem monendis, vt in persona Iesu Nazareni Messiam agnoscerent. Flagitorum vis etiam imminuta est docendo, dentonstrandis officiis, eoruinque necessitate, causis, adiumentis et fructibus, explicando nominatim consilio mortis Christi, ad hominum sanctitatem spectantis et impellantis. Iudeorum renisus coercitus est, sumto propter hunc renisum, vt praedictum erat, ab eorum ciuitate supplicio, obliterata sensim inter christianos, exstirpata deinde penitus per doctrinam christianam (Ephes. 2, 17.) opinione de vi et necessitate (obligationem dicunt) Mosaicae institutionis, quam necessitate iam mors Christi irritam reddiderat (Ephes. 2, 13 — 17. Rom. 7, 4.), et sublato sic Iudeorum atque paganorum discidio, vt iam non ibi modo sit cultus Dei, vbi antea non fuit; sed communitas quoque, vnum Deum, vnum Dominum venerantium. Impedimentum vero, propagandae doctrinae per calamitates vexationesque christianorum oblatum, immunitum est ita, vt alia post aliam cessaret, neque, & recrudiissent, opus ipsum omnino irritum redederetur.

deretur. Atque his ipsis modis a Christo regnante Satanás etiam devictus est, et ἐξεστία τῆς σκότους destructa, diserte docente Paulo, factum esse εἰ τῷ Φωτὶ, cognitione (Coloss. 1, 12.) \*), et διὰ τῆς αὐτούγεν τῆς ὁφθαλμοῦ, institutione (Act. 26, 18.). Mortis denique vis frangitur, abigendo quolibet mortis terriculamento. Quemadmodum enim Christus moriendo efficerat, ne peccando contractam mortem sequeretur alia, eaque grauior peccati miseries (Ebr. 9, 15. Rom. 5, 21.), neue adeo mors, peccati miseries, haberetur initium duraturae peccatorum miseriei, siue, ut alibi dicitur (Ebr. 2, 15. 16.), ne mortis nostrae cogitatio esset exspectatio foeda foedae commorationis sub crudeli tyranno; quemadmodum suo in vitam redditu praebuerat exemplum atque pignus nostri reditus in vitam (quibus quidem modis et mors Christi et resuscitatio ademerat morti virēs): ita Christus nunc regnans abegit, pergitque abigeret mortis terriculamenta, docendo, vitam continuari post mortem (Matth. 22, 32.), felicitatem olim successuram esse morti (2 Tim. 1, 10.), ipsa quoque corpora in vitam reuersura esse. Quamquam autem hi aduersarii vincuntur deinceps, (semper enim illa res, ut longa multorum euenterum series, describitur, cum dicatur Christus regnare, donec aduersarii omnes subacti fuerint) per vices item, (saepe enim de imminenti errore, scelere, calamitate, exoptatum operis illius successum interturbante et retardante, sermo est, et monemur pluribus in locis de vicissitudine rerum in

\*) Chrysost. ad h. l. εἰ τῷ φωτὶ, τυτέσι, τῇ φωτοῖ.

in doctrinae propagatione): tamen nondum abso-  
lutum est hoc negotium (Ebr. 10, 13.); sed conti-  
nuabitur, quamdiu haec humanarum rerum series,  
cuius pars est ecclesia, decurret, (quamdiu enim  
eadem harum rerum conditio est, eadem animi  
humani indoles, tamdiu etiam religioni, virtuti,  
consequendaeque felicitati impedimenta obiciuntur)  
post cuius decursum mors nominatim illu-  
strissimo modo frangetur, cum, omni genere hu-  
mano vitae restituto, res a Christo eo dedueta  
erit, ut nullus amplius sit et esse possit locus  
mortalitati (1 Cor. 15, 25. 26. 54). Huic singu-  
larum partium explicationi, ab ipsis scriptoribus  
sacris exhibitae, si historiae testimonium adiun-  
gatur: facile cognoscitur vniuersus modus illius  
victoriae de aduersariis, qualis supra vniuerse de-  
scriptus est, et ponenda est illa debellatio aduersa-  
riorum Christi in coercitione, imminutione, et  
cessatione omnium eorum, quae impediunt cogni-  
tionem, conditionem, spem, possessionemque  
felicitatis, quam Christo debemus. Quae partes  
illius victoriae restant, has non minus certo ex-  
spectamus, quam scimus, multa iam ex hoc gene-  
re euenissemus, et euene in dies.

Hac via didicimus omnem rem ab apostolis  
ideo his potissimum verbis expressam esse, vt cum  
votero testamenti scriptoribus, nominatim cum  
psalmo decimo atque centesimo, loquerentur.

Quae vero notiones vniuersae nostrae mise-  
siam, emolumentum nostrum, aut officium, con-  
ditionemque felicem, ad quam peruenire possu-  
mus, describunt, ut *peccati*, *fidei*, *πίστος* et  
*sanctitatis* notiones, earum constituendarum mo-  
dus

dus, cum sint mere dogmaticae, a superiore genere paululum differt, quod mixtum erat e dogmaticis et historicis. Nam ideo, quod haec quas nunc tracto, nihil accessionis ab historia habent, sed indolem conditionemque animi et morum, qualis sit aut esse debeat, cum bonis malisue illi mentis indoli adiunctis, adumbrant, vna ad conficiendas eas via patet, ducens illa per definitiones, aut observationem omnium, quae rei attribuuntur. Iam in sacris quidem libris definitiones iustae et exactae non facile reperiuntur; sed verbis illis, quae religioni proprias res exprimunt, et quorum notiones vniuersas quaerimus, alia atque alia passim tribuuntur. Faciendum igitur est, ut haec rerum illarum attributa, notas, causas, effectus, consilia, fructus, adminicula, impedimenta, opposita, similia, cum ipsis rebus permutata, colligamus, et remotis oppositis, similibusque comparatis, a causis progredientes ad effectus, ab his regredientes ad illas, adminiculis et impedimentis cum re, cuius adminicula vel impedimenta sunt, compositis, consiliis et natura rei inuicem aestimatis, tandem notas rei et communia constituamus \*): in quibus erit vniuersa notio. Sic intellectum est, ἐπιστολὴν esse vniuersam hominum mutationem in melius; ἀπειθεῖν tribui his, qui non vitiis modo alendis sceleribusque perpetrantis refragarentur præscriptae legi; sed animu[m] quoque a

R 2

vero

\*) Ernesti in instit. interpr. N. T. p. 31. §. 10.  
*Cum, inquit, notiones verborum complexas et pluribus partibus conflatas quaerimus, plura sunt notanda et comparanda loca, donec plene ac perfecte, quod quaerimus, repertum sentiamus.*

vero amplectendo ab alienatum haberent, nec, cum docerentur, persuaderi sibi paterentur (Io. 3, 36.), *πίστιν* ibi esse, ubi ullum aliquod dictum Dei pro vero habetur.

Ceterum in hoc etiam omni studio, ut in vniuersa theologia, initium ab interpretatione legitima fieri debere; non seorsim admonendum videtur, cum, illa neglecta, satis constet, nimium in verbis quaeri, scriptoribus plus, quam dicendi consuetudo fert, tribui, tropis inhaereri, et ex etymologia, vel similitudinis, quae in tropo est, arbitraria inuestigatione rem erui.

Sed hae notiones, de quibus haec tenus dixi, non ubiuis iisdem verbis expressae leguntur. Quis enim popularis scriptor, quales sacri scriptores fuerunt, eamdem rem constant, et sineulla varietate, eodem nomine insigniat? Et potest soletque res eadema, ut diuersis partibus spectari, ita diuersis appellari nominibus, ut cum *χάρις τῷ Θεῷ*, qualem religionis doctrina nobis innotescere voluit, omnino et benevolentia Dei erga homines (consilio aut decreto beneuolo de salute), et ipsis beneficiis exhibitis comprehensam, ibi, ubi benevolentia nominatim intelligenda est, dicitur *ἀλεξ,* *χρησότης,* *Φιλανθρωπία,* *Θέλημα,* *Βγλή,* *πρόθεσις,* *εὐδοκία,* *Θέλημα τῆς εὐδοκίας,* *ἐκλογή,* *προορισμός:* cuius in dicendo varietatis causa et in promptu est, et pluribus in locis theologicae bibliothecae ab Ernestio nominatim explicata. Posunt et solent similium et coniunctarum significacionum verba in eadem re permutari, et *γεγενημένος ἐκ Θεῷ* dici *ποίημα Θεῷ,* *τέκνον Θεῷ,* *ῶν ἐκ Θεῷ,* *καὶ ἡ κτίσις,* aut *ἐπιτρέψας* idem nominari

*μετανοήσας.* Fieri non potest, quin scriptores, hebraeum et graecum sermonem miscentes, easdem res modo cum Hebraeis, modo cum Graecis eloquantur, et πίσιν δικαιόσταν, quae diuinam probationem et præmia fert (Ebr. 11, 7.), nominent πίσιν, διναμένην σῶσαι, ἡς ἐστιν ὁ Φελος (Iac. 2, 14—26.), aut λατρείαν et δικαιόσταν τῷ Θεῷ dicant θεοποιεῖσαν (Iac. 1, 26. 27). Secundum naturam est, ut suae gentis moribus et sacris innutritus multas res, accommodate ad illos mores et sacra, exprimat, et verum Dei cultorem dicat ἔγγιζοντα τῷ Θεῷ (Iac. 4, 8.), eum, qui fauorem diuinum expiando quaerit, nominet προσερχόμενον τῷ Θεῷ (Ebr. 4, 16. 7, 25.), tamquam in templo Hierosolymitano preces aut victimas offerentem, oinnaque suae nationis cognomina, eius cum Deo necessitudinem exprimentia, ad alios, quibus eadem aut similis cum Deo necessitudo intercedit, transferat (1 Petr. 2, 9). Mitto dicere, si multi de eadem re scribant, non cūtari posse in modo eius describendae et eloquendae discrepantiā; aliud esse aliorum consilium; et propter hos, quibus scribitur, scriptorem interdum cogi, sic potissimum loqui.

Si tot sunt diuersitatis huius causae, quibus facile plures addi poterant: aequum est, non singula verba et singulos loquendi modos, ubique occurrant, arripere, non omnes ab se inuicem discernere, et ex singulis singulos disciplinae theologicae locos \*) constituere, omnium minime

\*) V. c. locum peculiarem de inscriptione in librum vitae. cf. Baieri theol. posit. p. 864.

per arbitarium, et grammatica obseruatione destitutum etymologiae studium \*), aut metaphorarum cum puluisculo excutiendarum sedilitatem \*\*). Quærendum potius est partim, quid postulent certus loquendi usus, illorum temporum historia, (veluti, quibus in rebus, ritibusque homines verba quaedam usurparint, quas iis opiniones admiscuerint) et orationis series; partim comparatione plurium locorum utendum, quae ibi, in multa nominum diuersitate, tamen eamdem rem intelligendam esse docet, ubi his diuersis nominibus, tamquam propositionum subiectis, attribuuntur eadem partes, quibus constant, eadem causae, iidem effectus, eadem consilia, eadem adminicula et impedimenta. Quod si natura rei omniumque scriptorum nos adinonuerit, ut eodem modo, quo quinque scriptorem in uniuersum tractandum putamus, sacros scriptores in uniuersum legendos explicandosque censeamus; si loquendi usus, et illius, qua vixerunt, aetatis historia, nos edocuerit, quae sint certae verborum significationes; si plurium comparatio manifestam rerum ipsarum similitudinem arguat: tres habemus idoneas causas, quare in nominum legitime intellectorum diversitate tamen rerum similitudinem agnoscamus. Cum vero hoc ita facimus, reuocamus et redigimus singula verba, et singulos loquendi modos, ad uniuersas notiones.

Iam

\*) V. c. in verbo ἐφιαμψας, quasi sit, quod fuit antea bonum, deinde factum sit malum: cum simpliciter significet *tale;* quale non deber esse, *prauum.*

\*\*) V. c. in verbis *coecus,* *moriuus,* *illuminatus,* *viuificatus.*

Iam in exemplis huius rei ita versabor, ut plures loquendi modos, *de hominum cum Deo coniunctione* agentes, colligam, et, quidnam ad interpretandum praesidii in locis singulis offeratur, ostendam; deinde ex omnium similitudine notionem vniuersam constituam; paslim vero de nonnullorum versione inoneam. Simul adparebit, nihil in efficienda hac coniunctione et conseruanda fieri a Deo, nisi per constitutam semel nobisque traditam doctrinam; neque homines christianos hac coniunctione cum Deo ita numero ceterorum hominum exiunt, ut in aliam plane naturam abeant, aut ulli honesto vitae communis negotio renuncient; sed sic cum Deo coniunctos esse, ut suam sententiam, sua consilia, dicta et facta conforment ad voluntatem et exemplum Dei, et quoniam ita ei se addixerunt, de ipsius vicissim amore certi, eiusque auxilium in omni re, ad religionem potissimum pertinente, experti, laetam placidamque vitam exigant. Ceteras de hac re quaestiones \*), de modo coniunctionis explicandae, hac disputatione seclusas volo.

Incipiam a capite quinto decimo euangelii Ioannei, quod, quantum' equidem opinor \*\*), proprio non de omnibus christianis agit, sed de apostolis eorumque munere: in quo quidem loco horum cum Christo coniunctio sic describitur, ut ipsi manere in Christo dicantur, Christus in ipsis.

R 4

Hac

\*) Cf. Walchs Einleitung in die Religionsstreitigkeiten. T. 3. p. 130.

\*\*) Idem visum est in vniuersum Semlero in paraphasi euang. Ioan.

Hac autem particula pertractata, vt exemplo coniunctionis apostolorum cum Christo, concludere licebit ad alios de christianorum cum Christo coniunctione locos. In quibus omnibus quidquid necessarium, et exemplis omnibus commune erit, id notionem vniuersam continebit. Sed ante omnia causae sunt commemorandae, quare hic proprie et tantum de apostolis, muneri decendi destinatis, sermonem esse opiner. Ad singulas quidem huius loci partes non deflectam, cum quod a consilio meo alienum est, tum quod Noesseltus nuper integrum locum per partes accurate illustrauit \*).

Videò igitur, in hoc capite quaedam, futuris Christi legatis eorumque muneri haud dubie propria, contineri, vt de Spiritu sancto adiutore, quem Christus iis munericus causa missurus fit (v. 26.), de disertis mandatis fungendi munere (v. 16. 27.), de causa mandatorum, quoqiam hos duodecim ab eo inde tempore, quo Christus in Palaestina in publicum prodiit, testes habuerat et spectatores (v. 27.), de Christi iudicio, quo hos potissimum viros legendos sibi comites et ministros censuerat (v. 16.). Mitto alia, omnino in his extremis Christi sermonibus his legatis proprie dicta. Foret ergo cuiusdam inconstantiae, alium versum de christianis eorumque vita et officiis omnibus, alium de legatis Christi eorumque munere interpretari. Quae quidem inconstantia ita demum haberet iustam excusationem, si quaedam in hoc capite

\*) In interpret. grammatic. cap. 15. ev. Ioan. a. 1780.

pite occurrerent, quae nullo pacto possent de solis apostolis intelligi; sed essent necessario cum christianis omnibus communicanda, quale est alibi in his Christi sermonibus (c. 17, 20.); alias illa varietas interpretandi in personis notandis mere arbitria foret. Immo vero ab his, quibus haec dicuntur, et quatenus dicuntur, concludendum est ad consilium dicentis, et sensum orationis.

His ita positis statuerim, apostolos Christi hoc loco moneri, ut operam dent, ne coniunctio ipsorum, legatorum et discipulorum, cum Christo, a quo docti institutique mittuntur, unquam dissocietur, hoc est, ne desinant esse veri eius ministri, legati et discipuli: qua quidem coniunctio soluta, nihil in illa parte muneric gerendi praestare queant. Simul adparet, iis hac conditione, si salua coniunctio manserit, et bona promitti, gerendo nominatio muneri necessaria (v. 2. 7. 26.), et fauorem Christi atque adprobacionem constantem. Quid autem sit, Christum manere in ipsis, ipso in Christo, (his enim verbis ab initio capitum describitur illa coniunctio) perspicue docemur (v. 7). Nam ex eo, quod dixerat, μείνατε ἐν ἐμοι, καὶ γὼν ἐν ὑμῖν, nunc haec concludit: si manseritis in me, et doctrina mea in vobis manserit. — — Repetitur eadem res diuersis verbis, et nunc doctrina Christi in iis manere dicitur, cum antea Christus dictus esset in iis manere \*). Efficitur inde, in quo doctrina Christi

R 5

ma-

\*) Simili ratione (1 Io. 2, 14.) dicuntur Christiani satis fortes ad vincendos errores et flagitia, quia doctrina Dei in iis maneat: mox (4, 4.) dicuntur haec for-

maneat, siue, qui eam constanter teneat, in hoc Christum manere: neque adeo discipulum legatumque Christi aliter in Christo manere, quam in doctrina eius perseverantem. Quid erit ergo (v. 5.), legatos Christi sine Christo nihil efficere et praestare posse? Nempe, nisi ab eo edociti sint, et in hae doctrinavnicē persistent, eos non posse munere legatorum et interpretum Christi ad homines recte fungi, nec discipulos eius ministrosque dici. Consequitur enim sponte, si quis, quem alter edocuit, sibiique legit testimoniū et legatum aliorum rursum decendorum causa, si quis ergo talis negetur quidquam praestare posse, ubi illam acceptam doctrinam neglexerit, hunc eatenus negari praestare posse aliquid, quatenus praestare, hoc est, quatenus docere alios ei fungi munere legati debet. Eodem modo Paulus (2 Cor. 3, 5.) pronunciauit, apostolos ipsos non idoneos esse muneri docendi, siue, non ipsos sponte scire, excogitare et inuenire posse, quae docenda essent: docebant enim res, quae, non nisi patefactae hominibus, aliqui in mentem ventre poterant (1 Cor. 2, 9—16.): quod autem idonei essent, id se Deo debere et revelationi, quae eos ad harum rerum scientiam adduxisset.

Haec

fortitudine pollere, quia Deus in iis maneat. Atqui ita saepe *χριστὸς ἐν ὑμῖν* in epistolis Paulinis est, *doctrina Christi inter (non, in) vos, in vestra vibet et coetu vestro*. In quibus locis valde perspicuus est hic (Coloss. 1, 25—29.), ubi Paulus doctrinam suam, τὸν λόγον, τὸ μυστήριον, diserte dicit esse *Christum inter Colossenses*, et se dicit docere τὸν χριστὸν τοὺς. Que ergo sensu Paulus Christum docet, eo sensu Christus inter Christians est.

Haec, ab ipso Christo, adspersis passim ver-  
 bis propriis, (*τὰ ἐγκατα μένοντα, μαθηταί,  
 ποιεῖν δύνασαι*) sic explicata, et e consilio dicentis  
 personarumque notatione ad legatos Christi pro-  
 prie relata, monent, cum locus idem allegoriae  
 suavitate illustratus sit, Christum *vitem esse ducem*  
*doctoremque eorum*, quos omnino *sectatores*, et  
 ab hoc tempore *ministros legatosque habere* vult,  
 per quem accipiunt veluti succum et vim crescendi,  
 h. e. idonei redduntur muneri; apostolos *palmites*  
 esse illius ducis doctorisque *sectatores*, et in do-  
 cendo ministros: hos palmites *fructum ferre*, si  
 officiis *sectatorum ministrorumque* satisfecerint.  
*Maneat* igitur necesse est *vitis et palmitum*, ducis  
 et *sectatorum*, doctoris et *ministrorum coniunctio*:  
*tenenda* est in omni munere doctrina, a duce et  
 magistro accepta. Sic Deus Pater, ad quem fructus  
 vitis et palmitum, et iudicium de palmitibus perti-  
 net (v. 2. 8.), in cuius honorem totum hoc vergit,  
 quod Christus dux et doctor habet *sectatores et*  
*ministros*, Deus ergo, ut *vinitor*, *premium* iis statuet,  
 fideliter munere docendi fungentes, non *amputabit*  
 palmites, non improbabit et repudiabit hos ministros  
 filii sui, sed iam *deputatos*, iam edocetos a Christo  
 (v. 2.), erroribus liberatos, munericque praeparatos,  
 porro *deputabit*, augebit scientia, magisque in dies  
 erroribus liberabit, et idoneos officiis praestandis  
 reddet. Cetera, quae de legatorum amore erga  
 magistrum omnesque homines adiungit (v. 9. 10.),  
 nunc non separatim tracto: est enim perspicuum,  
 legatum Christi, e cuius animo ille amor exsulet,  
 non tenere acceptam a Christo doctrinam, nec  
 sine illo amore expletam in animo eius et vita vir-  
 tutem

autem esse, quantumuis ceteroqui negotio docendi propagandaeque doctrinae perfungatur (1 Cor. 13, 1. 2). Est igitur apostolorum cum Christo coniunctio in necessitudine (relatione) mutua, per quam illi veri sunt et genuini eius legati, ministri, discipuli (v. 8.), hic vero se et patrem suum iis in munere gerendo sauentes praefstat (v. 7. 11. 14).

Sed commode possunt haec, ita proprie hoc in loco de munere legatorum Christi dicta, transferri ad alios omnino Christianos, eorumque scientiam et vitam omniem: et praeiuit ipse Ioannes in prima epistola exemplum, vbi non hostantur loquendi modos, aliosque similes, de coniunctione cum Christo agentes, sed ipsam quoque rem, ceteris christianis accommodat. Poterit ergo ac debebit ille locus euangelii Ioannis norma huius, qui in epistola exstat, intelligendi et ad uniuersam notionem reuocandi esse, ut omnino sermones Christi in illo euangelio veluti fundamentum sunt, cui epistolæ huius interpretatione innitatur.

Nimirum ita loquitur Ioannes in illa epistola de christianorum cum Deo Patre et Christo coniunctione, ut diligenter et consonanter enumeret rationes, propter quas aliquis cum Deo coniunctus dici possit. Quae rationes, cum, alio modo spectatae, signa illius coniunctionis esse possint, et conditiones, quae vbi fuerint, ibi locum habent, et tribui hominibus queat eadem illa coniunctio, facile lectores ad ipsam viam et notionem coniunctionis ducunt, et sunt hoc modo praesidia sensus inueniendi. Modo igitur hominem *in Deo Patre*

*Patre eiusque filio manere, et vicissim Deum in eo,* dicit (2, 24. 4, 15.), si quis acceptam ab apostolis doctrinam integrā ab errore teneat, et amōri operam det (4, 16.): modo eūm *in Deo esse* dicit, qui doctrinae conuenienter viuat (2, 5.): modo dicitur homō *Deum habere*, qui doctrinam cognoverit, eamque cum credendo tum agendo teneat (2, 23. 2. ep. Ioa. v. 9). Ac ne semper quidein his singularibus loquendi modis scriptor vtitur; sed multo planius dicit (1, 6. 7.), qui vitam ad exemplum Dei et Christi conformem; peccatisque abstineant; hos *tum Deo coniunctos esse*; se vero doctrinam Christi, liquido sibi cognitam, ideo tradere christianis, vt ea discenda ad eandem *cum Deo et Christo coniunctionem* perueniant, ad quam peruererat ipse (1, 3). Describit rursus hanc coniunctionem ita; vt eius agnoscendae hoc signum tradat, quoniam Deus spiritum suum nobis dederit (3, 24. 4, 13.); hoc est, quoniam nos scientia religionis huius instruxerit, et per eam emendarit. Nam eos, qui spiritum Dei habent, cum doctores (4, 6.), tum ceteros christianos (4, 4.), dicit esse ex Deo; hoc autem bis perspicue explicat: semel, dum ex Deo esse, et Deum cognitum habere, permutat (3. ep. Io. v. 11.); iterum, dum ex Deo esse (5, 19.), et a Deo genitum esse (5, 18.), paria facit, a Deo autem genitum intelligit imbutum doctrina eique assentientem (5, 1.), et huic conuenienter viuentem (3, 8 seqq.). Si is, qui scientia religionis instructus et in melius mutatus est, dicitur accepisse Dei spiritum; si, quoniam eum accepit, habet signum et pignus coniunctionis cum Deo: dicitur in

in hoc loco idem illud coniunctum, quod in superioribus singulis singulatim dictum erat. Satis hinc elucet constantia Ioannis in eausis, et adminiculis, et signis huius coniunctionis commemorandis.

Obseruet etiam aliquis hunc rerum nexum. Qui vita et factis doctrinam christianam exprimit, is hoc documento sibi persuadere potest, se cognoscere Deum (2, 3.), eumque amare (2, 5.), ideoque *in eo manere* (ibid.). Qui peccatis indulget, is alienus est a cognitione Dei (3, 6.): contra vero is *in Deo manet*, qui peccatis non indulget (ibid.). Cognitio vitam et facta gignit: vita cum factis sunt documenta cognitionis acceptae: vbi haec vita cum factis, ibi cognitionis, ibi coniunctio cum Deo, coniunctionisque perseverantia. Semper ergo scriptorem sibi constare deprehendimus.

Denique per omnes in hanc coniunctionem efficitur tranquillitas animi cum certa spe, et vacuitate a metu futuri (1, 4. 7. 4, 17.), atque peruenit ad sempiternae felicitatis possessionem (5, 11. 12. cf. Io. 6, 56. 58).

Ex his interpretationis causa concludi potest, esse hos omnes loquendi modos, *manere in Deo*, *esse in Deo*, *habere Deum*, *coniunctum cum Deo esse*, eiusdem sensus, cum, siue hoc, siue illo modo res dicatur, eadem sint eius adminicula, eadem antecedant, eadem sequantur, iisdem signis res agnoscatur. Sequitur item, non esse alterutram dicendi rationem solam, non nexam cum altera, spectandam, veluti, *manere Deum in homine*; sed utramque coniunctam et nexam, *manere Deum in homine et vicissim*, ut simpliciter mutuam coniunctionem.

iunctionem indicent \*): nam et in eadem re modo vna harum locutionum (4, 12.), modo ambae coniunctae ponuntur (4, 16.), et ipsa coniunctionis natura hoc arguit. Efficitur porro, verba huiusmodi, *esse et manere hominem in Deo et vicissim*, non modum et rationem coniunctionis exprimere, sed coniunctionem ipsam, formula eiusdem potestatis descriptam: permutantur enim illa omnia cum altero, *esse cum Deo coniunctum*, quod in se modum non describit. Licet etiam colligere, cum illae loquendi formulae, *esse et manere hominem in Deo*, abhorreant omnino a recentiorum linguarum consuetudine, atque a deo sint plane singulares et nouae; his autem substituatur facilior, nobisque familiarior, *cum Deo coniunctum esse hominem*; licet ergo colligere, facilitorem hanc et planiorem dicendi formam in vertendo iuprimis usurpandam esse.

Ex his ipsis rursus rei causa disci et concludi potest, non esse aliam viam ad hanc coniunctionem, quam cognoscendi et discendi: unde nihil hic a Deo, agente in hominem nullius rei interventu,

\*) In euangelio Ioanneo haec ipsa lequendi ratio, satis frequentata, tamen ubique *in uniuersum coniunctionem mutuam* indicat, quamquam aliis in locis aliud eius genus, quod in quoquis loco e serie orationis definiendum est: atque alicubi (17, 21. 22.), ubi de coniunctione siue unanimi consensu in confabulis et doctrina sermo est, haec verba, *patrem in filio, filium in patre esse*, mox sic reperiuntur, *patrem et filium esse*. Quae verba *non* *erant*, cum grammaticae et in se spectata nihil aliud significare possint, quam coniunctionem: intelligitur, quid scriptor in *uniuersum* velit, si quando *vnuum* in altero *esse* dicat.

ventū; fit: nulla alia coniunctionis signa esse, quam,, didicisse doctrinam, eique accomodate viuere, et his de causis bene de se sperare: vnde nullus acrior sensus animi, dolore obtusi, et post dolorem gāudio mersi, illabente Deum percipientis, exterarum rerum sibi non consciī, aut adeo (cum Deo coalescentis et colliquescentis, postulatur: hanc coniunctionem tam diu integrā maniere, quādīu doctrinā teneatur, et factis consentaneis exprimātur: vnde ex laetioribus et tristioribus animi interuallis nihil tuto colligi pot est. Et omnino nūmī est statuere, ad integrātatem christianissimi necessarios esse hos aciores sensus: quos qui non expertus sit, hunc non videt in numero verorum christianorum esse. Sed hos sensus examinare, iisque iūstum pretium statuere docuit erudite, modeste et utiliter, Spaldingius \*), cui adiungendus est Iunkhemius \*\*), scriptor non minus consideratus.

Iam quaenam tandem in uniuersum erit illa coniunctio? Hic igitur aut omnia negligenda sunt, quae de signis eius, adminiculis, rationibusque, cur locum habeat, Ioannes exposuit, et pro arbitrio fingenda est notio coniunctionis; aut accommodate ad ea, quae scriptor ipse dixit, efforanda est. Ergo, ne scriptorem deseram, quem admodum supra de apostolorum, doctorum et ministrorum Christi, cum eo coniunctione dictum est, ita haec christianorum cum Christo coniunctio erit,

\*) *Über den Wert der Gefühle in dem Christenthume.*

*Lipstiae, 1769.*

\*\*) *Von dem Uebernatürlichen in den Gnadenwirkungen, p. 428. Erlang. 1773.*

erit, effecta per doctrinam christianam necessitudo mutua, per quam illi sunt et manent Christi sectatores et cultores veri atque genuini, hic vero iis, quibus sibi caris, bona omnia propria religioni tribuere pergit. Quapropter cum Ioannes per doctrinam suam adducere homines vult ad coniunctionem cum Deo: vult efficere, ut sit inter eos et Deum isthaec necessitudo, per quam dici haberi que genuini christiani, et Deo dilecti, et participes ab eo reddi illorum bonorum possint. Cum e contrario negat, deditos sceleribus cum Deo coniunctos esse: negat, inter eos et Deum intercedere necessitudinem, modo descriptam, et expertes eos illorum bonorum relinqui iudicat \*). Sic facta est haec notio vniuersa, quae totum ita exprimit, ut huiusmodi necessitudinis partes, causas, signa, adminicula et emolumenta coniunctionem animo conciperé, et nexa ex se per ipsam rem, cogitando etiam necesse possimus. Quin eadem notio sit propria, in libris praesertim Ioanneis, dubitari nequit, cum ea Ioannes toties, et tam constanter vtatur, atque religionis omne consilium omnemque fructum ad hanc coniunctionem hominum cum Deo referat \*\*).

Atqui

\*) Commode igitur *οἱ εἰς χριστὸν intelligentur, qui vere sunt christiani.* Rom. 8, 1. 2 Cor. 5, 17. 12, 2.

\*\*) Inuoluit autem vsu, ut unio cum Deo *καὶ εἰς οὐρανὸν* diceretur ibi esse, ubi Deus regenitus adest gratiosa operatione varia, conferendis vberioribus gratiae donis; utque mystica appellaretur unio, quia modus, quo sit praefens et agens haec Deus, explicari nequeat.

Atqui si haec est res, non potest verbum eius in vniuersum significandae aptius reperiri, quam coniunctionis s. κοινωνίας, quod per omnem vitam communem, in omnibus linguis, per omnes libros sacros, omnis generis necessitudines et mutua vincula indicat. Vnde denuo efficitur, hoc potissimum in vertendo et docendo ceteris preferendum esse. Atque adeo, si nullum alium locum haberemus, ubi haec res aliis verbis dicere-tur: tamen vel hoc κοινωνίας nomen, intellectum accommodate ad naturam Dei (ne sedulo indagata et anxie explicata propinquior eius accessio ad homines \*) existimaretur,) et nostram (ne ἀποθέωσις hominum excogitaretur), et ad consilium religionis, (quae nos edocere, emendare, beatos reddere vult) nullam aliam nobis offerret notionem, quam quae hic proposita est.

Sed non synonymum modo κοινωνίας occurrit, verum etiam, quibus verbis eam definui, his ipsis verbis passim in sacris libris definitur. Synonymūn

\*) Accurate exposuit Musaeus (*Ausführliche Erklärung der Ienischen Theologen* p. 600—644.), quomodo et quando haec ratio loquendi de approximatione divinae substantiae ad homines (hoc enim nouo nomine rem insignire non nullis placuit) orta sit, quibus argumentis defensa, quibus de causis vitari debeat, et quare tota haec res in eo potius ponenda sit, ut statuamus, Deum, qui ἀδιατάτως adsit cum omnibus rebus, quae sunt, tum vero etiam cultoribus suis, efficientia salutari (operatione gratiofa) declarare, se adesse. Ibidem (p. 633. 636.) tractatur locus in libris symbolicis (p. 698. ed. Rechenb.) obuius. Imitatione digna est Gerhardi modetia in Loc. theol. T. I. exeges. p. 295.

nymum quidem est in epistola ad Ebraeos (3, 14.), vbi ille denum, qui suscep tam Christi religionem constanter teneat, neque ad Iudaicam redeat, dicitur censendus μέτοχος τῆς χριστῆς γεγονέως, hoc est, genuinus Christi sectator, probatus Christo, ad quem christiana e religionis bona pertineant. Nam paulo ante (v. 6.) iidem illi constantes christiani dicuntur οἶκος τῆς Θεᾶς, populus Dei, cui praefest Christus, ut Iudei nuper fuerant οῖκος τῆς Θεᾶς, cui prae fuerat Moses. Iam nemo neficit, quid sibi velit, esse coetum aliquem coetum Dei. Nempe illi constantes christiani, quia sunt populus Dei, sunt cultores Dei et Christi, ideoque dilecti et probati Deo et Christo, qui ab illo bonis ornantur. Haec vero nonne illa κοινωνία et mutua necessitudo est, quam antea definiui? Atqui homines iidem, eadem de causa, eadem conditione dicuntur οῖκος τῆς Θεᾶς et μέτοχοι χριστῶν. Proinde etiam μέτοχοι τῆς χριστῆς γεγονότες erunt, annumerandi populo, cui Deus Christum praefecit, Christum Dominum profitentes, genuini eius cultores, qui ab eo bona exspectare possunt, uno verbo κοινωνοὶ τῆς χριστῆς. Et haec sunt ex se inuicem nexa, in societatem cum Christo venisse, et iam in coetu aut populo Dei accesseri. Potuisset etiam in hac epistola; ut in Ioannea, dici, constantes christianos esse et manere in Christo, et Christum in ipsis; et verbis quidem aliis eadem tamen res expressa esset, quae nunc in illo μέτοχοι τῆς χριστῆς intelligitur.

Quot autem sunt loci, vbi illis ipsis, quos coniunctos cum Deo eiusque filio Ioannes dixit, ca tribuuntur, quae in coniunctionis notione in-

esse supra monui. Dixerat Ioannes eos, qui amori erga alios, beneficentiae nominatim, operam darent, cum Christo coniunctos: dixit Iacobus (1, 26. 27.), hos ipsos beneficos esse veros et iudice Deo genuinos *Dei cultores*; dixit Christus (Io. 13, 35.), hos ipsos esse suos *señatores*, et notam sectatorum suorum impressam gerere. Dixerat Ioannes eos, qui religionis a Deo traditae cognitionem adepti essent, eique consentaneam vitam agerent, coniunctos cum Deo: dixit Christus (Io. 8, 32.), hos ipsos (*πεπισευκότας καὶ ἐμψένοντας τῷ λόγῳ*) vere *discipulos* suos esse, et, ut Deum amarent, sic vicissim *ab eo redamari* (Io. 14, 21). Dixerat Ioannes, coniunctos cum filio Dei (5, 12. cf. 2, 23.) certam felicitatem paratam habere: at quoties alibi, qui credunt et sancte vivunt, hanc *felicitatem certo sperare* iubentur. Et quis ignorat, quae alibi de natura, indole, bonis et adprobatione diuina eorum leguntur, qui cognoverunt religionem, adsensu probarunt, et onani vita exprimunt? Fierine potest, ut aliquis, in hac subiectorum (*τῶν γνόντων τὸν Θεὸν καὶ αὐγαπώντων*) et attributorum (*τῶν αὐγαπωμένων ὑπὸ Θεοῦ, τῶν ὄντως μαθητῶν, τῶν κοινωνῶν τῷ Θεῷ*) similitudine insigni, propter verborum dissimilitudinem rem ipsam neget similem esse, aut serio dubitet agnoscere, cum ii, qui Deum cognitum habent, suumque erga eum amorem factis comprehendant, coniuncti cum Deo appellentur, hos, cum eo coniunctos, esse nullos alios, quam eius cultores genuinos, veros, eique probatos, et ab eo bonis cultorum Dei ornatos ornandosque? Saltem non video, quid illa distent, nisi quod *κοινωνοὶ τῷ Θεῷ* vniuersa

vniuersa totius notio est, cetera, per singulos locos sparsa, partes singulas singulatim indicant. Quas partes quidni in vnum colligamus?

Quod autem comparandis ita similibus locis intelligi potest, idem ipfius rei natura diiudicanda confirmatur. Nimurum qui per doctrinam religionis eō peruenit, vt sit verus Dei cultor, hoc est, animo erga Deum recte affectus (*Φρονῶν τὰ τὰς θεᾶς, φοβόμενος τὸν Θεόν*), et factis, doctrinae congruis, ac propter hanc animi affectionem necessariis, operam nauans, Deique similem se gerens, is, vt natura rei facile indicat, de consiliis Dei statuit, vti Deus statuit, felicitatem misericordie in iis rebus ponit, in quibus Deus eam ponit, probat et improbat res, quas Deus probat aut improbat, tendit eodem, quo Deus, eadem via, qua Deus, vterque beneficis est, vterque misericors. Atque hoc sensu dixerat Paulus (1 Cor. 6, 17.), ἐκολλώμενος τῷ κυρίῳ ἐν πνεύματι ἐστι. Quae quidem confessio in statuendo, volendo, agendo, non potest nullos fructus homini adferre: et sunt diserte proraissi, vt adprobatio diuina, auxilium in scientiae virtutisque progressu, aliique plures. Est ergo hic, quod haud dubie coniunctionis nomine insigniri, et quare huiusmodi homini necessitudo cum Deo tribui possit. Parata sunt hic indubitate emolumenta. Et tamen haec coniunctio, haec necessitudo, alia nulla re censetur, quam vero Dei cultu. Vbi ergo cultus, ibi coniunctio, et viceversa. Vbi cultus et coniunctio, ibi propria bona. Breui, si Ioannes vere dixit, doctrinae cognitione coniunctionem cum Deo Ieffici; si coniunctionis huius vera signa tradidit: non potest

alia esse, praeter illum cultum cum propriis sibi fructibus.

Beatos vero nos, quibus ea cum Deo necessitudo monstrata est, quam Deus non e sensuum aciorum mutabilitate et fallacia suspensam esse voluit; sed aptam et nexam ex animi conscientia, an religionis doctrinam didicerimus, et cognitam teneamus, an ad huius praescripta vitam conformatim, an hinc solatia, hinc causas et agendi praefidia repetamus, hinc diiudicemus, quid, quare, qua mente, quo studio agamus. Haec quilibet scire et examinare potest. Per haec quilibet experiri potest, an cum Deo coniunctus sit. Per haec alter alterum monere potest, quid faciendum ipsis sit, ut consors Dei reddatur. Si horum, quae hic postulantur, sibi conscientia est, idoneas causas habet, cur Deum sibi favere credat, sibique adfuturum semper speret.

Restat, ut paucissimis admoneam, alios etiam locos quosdam ad hanc eamdem yniuersam notionem, quam simplicissima via, referri et reuocari posse. Qui enim intelligantur *κοινωνοὶ Θείας Φύσεως* (2 Petr. 1, 4.), id non videtur difficile cognitu, si modo, quando locum habere haec *Θείας Φύσεως κοινωνία* dicatur, attendamus: et fas est attendere cum scriptor ipse dilecte addiderit. Nempe *Θείας Φύσεως κοινωνὸς* redditur, qui prauis cupiditatibus sceleribusque renunciauit, ὁ ἀποΦυγῶν — — *Φθορᾶς*. Sed quid usitatus in sacris libris est, quam eos dici *Dei similes* reditos, qui sceleribus renunciauerint, δικαιοὶ, καθὼς ἐκεῖνος δικαιός ἐστι (1 Io. 3, 7.), ἀγνῶς, καθὼς ἐκεῖνος ἀγνῶς ἐστι (ibid. v. 3.), τελείως, ὥσπερ ὁ πατὴρ τέλεος

*τέλειός ἐσι* (Matth. 5, 48.), *ἄγιος, κατὰ τὸν ἄγιον* (ad exemplum Dei i Petr. 1, 15). Si hoc non est, *venire in societatem naturae diuinae, cum ea similitudinis vinculo coniungi*: quid tandem erit? Et si per vniuersos libros sacros studiosis virtutis similitudo cum Deo adscribitur: num Petrus hoc loco, ad virtutis studium cohortans, et per hoc, per discessionem a flagitiis, ad *κοινωνίαν θεώς* adducere cupiens, aliam coniunctionem, quam similitudinis, aliud cum Deo consortium, quam imitationis, intelligere potest? Cum autem cogito, Petrum antea nos non modo praesidiis recte agendi omnibus instructos (v. 3.), sed exquisitae felicitatis promissione exhilaratos (v. 4.) dixisse, ut his de causis, διὰ τρόπων, his praefidiis instructi, his promissis adlecti, in societatem diuinae naturae veniremus: video, hanc societatem esse aliquid debere, quod per illa praesidia teneri, et ad quod quaerendum animus per illa promissa inflammari possit. Sed per praesidia virtutis tenetur virtus; per promissiones sempiternae felicitatis inflammatur animus studio virtutis. Virtes autem est similitudo cum Deo. Quidquid ergo ad virtutem dicit, idem dicit ad similitudinem cum Deo, et reddit nos *κοινωνίας θεῶν Φύσεως*. Iam vbi adest haec similitudo, num ibi negabimus verum Dei cultum, et spem benevolentiae auxiliique diuini, siue uno verbo, illam mutuam necessitudinem esse? Audiamus Joanneum (1 Io. 1, 7.): *ἐάν εὐ τῷ Φωτὶ περιπατῶμεν, ὡς αὐτός ἐσιν εὐ τῷ Φωτὶ, κοινωνίαν ἔχομεν μετ' ἄλληλων*. Sic imitatio Dei, de qua Petrus loquitur, est adminiculum iungendae necessitudinis mutuae Deum inter et homines, de qua Ioannes scribit.

Sic Petrinus locus non *αποθέωσιν*, et peculiarem modum coniunctionis, sed causam et adminiculum necessitudinis cum Deo continet.

Non multa dicam de sermone Christi (Io. 14, 23.), ubi illi, qui doctrinam Christi suscepit, tenet, eique se accommodate gerit, ideoque declarat, ab se Deum eiusque filium amari, mutuus Dei et filii amor promittitur, adiecta huius amoris descriptione, quae verbis, ex communi vita petitis, et in V. T. libris de inutuo Dei hominumque commercio frequentissimis (*πρὸς αὐτὸν ἔλευσόμεθα; καὶ μονὴν ποὺς αὐτῷ ποιήσομεν*) consuetudinem Dei cum homine amicam et familiarem exprimit, hoc est, remotis iis, quae humana sunt, indicat, Deum eiusmodi homini adesse benevolē et perpetuo velle, hominem illum a Deo numquam desertum iri \*). A quo *μονὴν ποιεῖσθαι* profecto non differt, quod alibi in hominibus habitare Deus dicitur. Nonne vero apostoli, integri a nostris super hoc loco quaestionibus, qui noscent, quoties Deus diceretur tentorium in Iudea fixisse, aedem sibi strui passus esse. venturus ad Iudeos habitatum inter eos, sed idem eos derelicturus, si indignos se numine sic praesente gesissent, qui probe scirent, cum experientia et historia maiorum, tum ipsis prophetarum explicationibus (Leuit. 26, 11. 12. Ezech. 37, 26.) edociti, quoties haec dicerentur, toties numen, in primis

\*) Non absimili modo in Apocal. 3, 20. formulis ex humana vita petitis, promittitur homini, eum cum Christo laetam societatem transacturum, sive, consociata beatitate fruiturum.

primis beneuolum et beneficium cultoribus suis genuinis, describi, nonne, inquam, apostoli his verbis Christi auditis necessario debebant statuere, promitti genuinis Dei et Filii cultoribus summam utriusque benevolentiam et beneficentiam \*)? Tum Iohannes nominatim, qui de coniunctione Dei cum christianis tam multa scripsit, et his ipsis verbis usus est, quibus Christus usus erat, nonne hos coniunctionis fructus indicauit, ut manentem in homine Deum cogeremur intelligere in primis beneuolum et beneficium? Quod si locus hic, quem nunc tantum attigi, partem illius mutuae necessitudinis continet, siue eam describit, qualis ex parte Dei est: pertinet ad illam uniuersam notionem, et indicat simpliciter Deum, cultores suos omnibus religioni propriis bonis ornantem.

Nec separatim tractabo locos, vbi christiani, rursus ex V. T. libris, aedes Dei ita interdum nominantur, ut *coetus illi sacer* intelligatur, qui pro-

S 5 sanari

\*) In alio genere Spiritus sanctus, apostolorum opitulator (Io. 14, 17.), παὶ αὐτοῖς μένων, καὶ ἐν αὐτοῖς οὐ, (quae membra parallela esse, obiter intelligitur), quis est, nisi ὁμοῦ αὐτὸς εἰς πᾶσαν ἀληθείαν (Io. 16, 13.), aut διδάσκων αὐτὸς πάντα (Io. 14, 26). Ergo cum iis manens, eos non deserens, est beneuolus, beneficus, ornans bonis, muneri doctorum propriis et necessariis. Et cum illi doctores aetatis primae acceperint a Deo spiritum (2 Tim. 1, 7.), ideoque spiritus in iis habitat (ibid. v. 14.): quid habent, (quoad res hoc loco tractatur) nisi fortem et impavidum animum, benevolentiam erga auditores cum prudenti moderatione, quae omnia debent illi spiritui. Ergo Spiritus acceptus, in iis habitans, est beneuolus, beneficus, ornans bonis, doctori propriis et necessariis.

fanari non debeat, hoc est, coetus, in quo vera religio sit, et propterea idololatriae (1 Cor. 6, 14—18.), vitiis sceleribusque (2 Cor. 6, 19.), aut erroribus et arbitrariae mutationi apostolicae doctrinae (1 Cor. 3, 17.), locus esse non debeat. Si vero in his notio vniuersa coetus Dei inest: non difficile erit, ab hac ad illam alteram coniunctionis Dei cum hominibus concludendo progressi. Interdum vero (Rom. 8.) aedes Dei hos indicabit, quibus ille beneuolus adest et beneficuſ, de quo iam monui.

Quodſi varii loquendi modi, hac de re paſſim obuii, ſenſum hactenus indicatum non admittunt modo, ſed poſtulant; ſi vnuſ alterum ſic illuſtrat, vt omnes ſimilem rem exprimant; ſi iſpſius quoque rei conditio, comparatione plurium locorum reperta et constituta, eodem ducit, quo iam verba duxerant; ſi cuim hiſ, ita poſitis, vniuersa literarum ſacraruim doctrina conſentit: videtur haec coniunctionis Dei cum hominibus explicatio non temeraria. Quodſi rem ita intellectam quilibet christianus, qui ſerio operam dare velit, experiri potest; ſi ita conſtituta res norma eſſe potest certa, ad quam ſe quisque examinet; ſi ei fontem tranquillitatis non opinatae, ſed certae aperit; ſi ſperare iſpſum iubet, fore, vt auxilio eius, quem colit, fruatur; utilis etiam eſt haec explicatio. Quodſi eadem explicatio verbis Ioannis ſenſum tribuit, per quem omnes temporum omnium et locorum christiani utiliter instruuntur et reguntur: reſpondet conſilio ſcriptoris, qui haud dubie quevis christianorum hiſ ita ſcribendis edocere voluit. Haec coniunctio hominis eum Deo cauebit, ne quis

quis se et paucos praeferat ceteris; sed quemcumque viderit conuenienter doctrinae christianaæ agentem, ab hoc amari Deum agnoscat. Huius coniunctionis studium neminem e ciuitate in solitudinem euocabit; sed laetabitur societate, vbi amori erga alios, hoc est, signo discipuloru*m* Christi, et pignori similitudinis cum Deo et filio eius, locus est, adferetque ad omnes vitae partes illud: Omnia conuenienter doctrinae et exemplo Domini nostri! Πάντα ἐν κυρίῳ. Huius coniunctionis augmenta non aestimabuntur numero diierum, quibus certo quodam sensu in primis commotus fuit animus; sed quibus sibi de parte religionis certius persuasit, aut aliis eam gratiorem et ad sensu digniorem reddidit, sibi aliquid negavit, ut alteri daret, se aliis postposuit, quoniam Christus in hac re veram christiani dignitatem esse censoruerat, sua placabilitate graues inimicitias vitauit, suo suauitu hortatuque minuit, negotiis promptius et libentius fungi coepit, quoniam religio suaferat, uno verbo, ullum aliquem recti sensum religioni duce summis, auxit, animo infixit, ullum aliquid officium ad religionem accommodate praestitit.

Si videar hac disputatione leuiter defunctus, quoniam neque omnes de hac re quaestiones attigi, neque dubitationes in utramque partem motas excusci: at illud a consilio meo alienum fuit. Volui tantummodo sacris scriptoribus consultis ostendere literarum studiosis, qua ratione viuis rei partes, sparsae per sacros libros, agnita similitudine, et nexu earum deprehenso, possent in unum colligi. His enim constitutis, facile discerni potest, vbi sub-

subsistant libri sacri, quid, quando, per quos additum sit, quae verba fuerint introducta, qui maxime loci quaestioni cuique occasionem praebuerint, utrum dubitationes ipsas literas sacras petant, an modum explicandae rei, in literis sacris simpliciter traditae, quantum in docendis omnibus christianis ad eorum intelligentiam, persuasionem, vitam et animi tranquillitatem necessarium sit, quantum subtiliori doctiorum examini relinquendum. Nemo eos iure improbare potest, qui, aliqua exercitatione roborati, etiam suis oculis, disfensionum securi, videre cupiunt; deinde vero, quoniam ipsis coecutire possunt, alios etiam, secus adeo sentientes, libenter et modeste audiunt, nec, quidquid ipsis non repererint, aut probare primo adspectu nequeant, id inutile aut falsum iudicant; sed adsidue cogitant, sero demum omnem rem nobis cognitam dici posse, sero demum integrum de vniuersa re iudicium esse.

Suntama disputationis huc usque propositae haec fuit: esse in theologia et notiones vniuersas, quae necessarias religionis doctrinas ambitu suo continent, et verba, ad eas proprie significandas constituta: multos sacerorum librorum locos non has ipsas notiones, his ipsis verbis, sed aliter expressas, exhibere; comparandis tamen rebus et verbis intelligi posse, etiam in locis, rem aliter exprimentibus, ipsas illas necessarias religionis doctrinas et vniuersas notiones reperiri: ita vero multis locos ad eamdem notiōnēm et rem referri, et velut reuocari.

Quae cum ita sint, liceat de harum notiōnum utilitate quaedam addere. Ac prima quidem  
et

et certissima carum utilitas haec est, vt animus mature iis adsuetus discat, ambitum doctrinarum, et singularum, et nexarum mutuo, perspicere: id quod ne verbis quidem eget. Habent enim illae religionis vniuersae notiones hoc, vt vel *integrum* opus aliquod, a Deo decretum effectumque, veluti *βασιλείαν τῆς Θεοῦ*, aut *Ιησοῦ κύριον*, animis nostris cogitandum offerant; (in quo est *doctrinarum plurium nexus*:) vel *omnis* miseriae nostrae, *omnis* mutationis, quae fieri debet, *omnis* felicitatis, ad quam tenditur, coniunctim nos admoneant; (in quo cernitur *doctrinarum singularum ambitus*). Iam vero in qualibet disciplina consentaneum iudicatur, eos, qui discunt, ab initio in singulis contemplandis non diu detinere, sed rem ipsam notis certis insignire, ne commisceatur cum similibus, et, quibus partibus necessariis absoluatur, monstrare, ne vnam tantum arripiant; tum vero pari cum breuitate et diligentia discentes ad aliam rem deducere, vt non modo subinde cumulus rerum accurate notatarum fiat, sed ipso etiam progressu intelligatur, cur prima didicerint, cur postrema sine primis intelligi nequeant, quae perspicuitas ab ipso nexu accedat. Ita enim non memoriae singula mandare, sed iudicare consuescunt; nec sparsis membris diu intuendis fatigantur, sed corpore ex omnibus mox composito laetantur. Cuius quidem corporis forma ubi se mel animo impressa fuerit, vt locum et usum cuiusque membra teneamus: tum demum singula membra, quae iam in vniuersum nouimus, rursus examinare possumus, atque adeo ad amplitudinem scientiae debemus. Eodein igitur iure huc se parabit animus in

in studio religionis, cuius non modo doctrinae omnes arcte cohaerent, vt nulla, ceteris auulsa, recte cognosci possit; sed singulae quoque ita late patent, vt plurium notionum et partium complexus sint.

Ac de cohaerentia quidem omnium doctrinarum dicere, quid attinet? De singularum partium ambitu, si exemplis nuper tractatis alia quae-dam addere licet, res sic intelligenda est, esse, vt hoc utar, in eo *fidem*, qui aliquid, quod Deus in ullo aliquo genere declarauerit, ratum atque verum habeat; deinde hoc verum esse credat, quoniam adsensus hic consentaneus sit attributis eius, qui rem declarauerit, deceatque hominem, Deo inferiorem, ab eoque pendentem; rursus si cuius adsensus diuinis attributis firmus immotusque innatur; denique si quis tali adsensu animum etiam ad sperandum, exspectandum, adquiescendum, agendum, inclinari patiatur. Talem demum adsensum eum facta congrua sequi possint, et necessario sequantur, genuinam censemus fidem hac animi conformatio, perspicue docente auctore epistola<sup>e</sup> ad Ebraeos: nec quisquam ibi fidem esse putat, vbi aliqua rerum in religione obuiarum notitia est, aut socors de una et altera propositione, quam intelligere nequeas, persuasio, aut cupide et secure arrepta fiducia ex aliqua, omnibus ceteris auulsa, propositione. Pari ambitu est *salutis* notio, in qua inest melior cognitio, fugata inscienza; melior animi conformatio, victa vitiositate; melior vita, abiectis sceleribus; certior spes, exuto metu: post quae omnia demum operi coronis imponetur, tribuenda sempiterna felicitate: quae

, vt est salutis pars grauissima, ita non vna et sola intelligi potest, vbi salus dicitur. Si vererer, vt aliquis hoc concederet, hunc prouocarem ad Pauli verba (Tit. 3, 5.), vbi flagitiosos homines (v. 3.) Deus dicitur σωτηριον, h. e. abductos ab ignoratione veri et flagitiis traduxisse ad meliorem sentiendi viuendique rationem, per aditum ad christianam religionem in baptismo, et adiumentum sui spiritus: deinde denum, postquam iis haec σωτηρια contigit, mentio fit (v. 7.) sempiternae felicitatis. Quoties ergo horum aliquid fit, veluti discere, recte sentire et agere, toties confertur ad salutem, eaque agetur: et quot sunt horum adminicula, totidem sunt salutis adiumenta.

Quodsi religionis doctrina, praeterquam quod ipsa inuicem cohaeret, singulas partes habet tam late patentes, vt quaeque postulet perspicientiam et exercitium multorum coniunctorum: quam necessarium tandem erit, mature intendere animum, non modo ad nexum omnium, sed hunc etiam singulorum ambitum cognoscendum, ne fidem, salutem, pietatem, ibi esse omnem putemus, vbi tantum pars est. Consequemur autem huius ambitus perspicientiam beneficio notionum vniuersarum, quae nos abducunt ab illa peruvul-gata consuetudine, audito aliquo verbo, quod est magni ambitus, tamen cogitandi nihil, nisi unam aliquam partem ex illis pluribus, quibus tota res continetur, siue audito verbo *salutis*, *gratiae*, *miseriae*, *conuer-sionis*, *poenitentiae* (*μετανοιας*), nihil nisi harum rerum particulam animo concipiendi.

Sed hae notiones vniuersae ita quoque profundunt, ut simplicitatem doctrinae religionis in primis conspicuam reddant. Quae quidem simplicitas, ut omnium disciplinarum, quae ad agendum referuntur, in eo cernitur, quod pauca, sed idonea, certa, et omnibus temporibus locisque accommodata exhibet adiumenta consilii, quod spectat, consequendi. Atqui religio per cognitionem certarum rerum manuducere nos conatur ad certam animi conformatiōnēm, agendique certam rationem, ut ex animi hac potissimum conformatiōne, et vitae hac inprimis ratione, necatur haud dubia tranquillitas animi, cum sempiterna olim beatitate, reddaturque homini felicitas, cui destinatus fuerat. Igitur dum nos edocet, quid Deus nostra peccatorum adiuuandorum causa decreuerit, et per Christum fecerit, exponit etiam, quid nobis faciendum sit, ut nos dignos illis beneficiis praestemus, vultque huius rei notitiam a nobis admitti et adprobari, suscipi sensus, quos illa notitia necessario gignit, et sic vitam illi ipsi notitiae consentaneam viui: quo facto nos a Deo bene sperare iubet, et immortalitatem beatitatis plenam ostendit. Quae quam pauca cognitu sint, quis non videt? non, quo his paucis verbis omnia omnino, quae in religione disci possunt et debent, expressa sint, aut non longo et diffili cognitariū rerum usu et exercitatione, in primisque auxilio Dei, opus sit; sed quod omnis de religione cogitatio est peruestigatio vberior horum singulorum, et ab his ipsis incipit, et in his ipsis desinit; nihil item potest ad religionem, ne in agendo quidem et exercendo, referri,

referri, quod non aliquam harum partium cognatione et nexu attingat. Sed haec ipsa continentur illis notionibus vniuersis, et propriis religioni, χάριτι θεῷ διὰ χεισῆς τῆς κυρίας ἡμῶν, ἀμαρτίᾳ, γνώσει, πίστει, εὐσεβείᾳ, εἰρήνῃ, ζωῇ, σωτηρίᾳ. Quas qui colligit, colligit necessarias religionis partes; sed colligit paucas. Harum etsi non multarum ambitum qui cogitando emetitur, percurrit tamen religionis vniuersae ambitum. His quamquam paucis qui vtitur, videt, se tamen omni religione vti. His paucis qui serio operam dat, tamen experitur, se penitus immutari et tranquillari, sibique horum paucorum usu religioneim factam eise felicitatis disciplinam. Ergo illi manifestum sit, se ad perfectionem scientiae religionis non plurimum disciplinarum adparatu indigere, cui elaborando nec vita, nec vires hominis sufficient: sibi non iniungi, vt inueniat ipse et excogitet multa; sed vt paratis et iam expositis vstatu: se non iuberi discere, quae futurae obli- vioni permittenda, aut laudi, consuetudini, aetati, acuminis, facundiae, lucro dauda videantur; sed quae, vt primum discuntur, si modo recte discantur, sensum amoris, grati animi fiduciaeque erga Deum et Christum, odii aduersus virtutatis turpitudinem et damina, studii virtutis, probatae Deo et fructuosa, animis ingenerent; neque tantum diserte exercitium postulent, sed per hos ippos sensus illud exercitium inchoent, atque adeo ad agendum urgeant, et, quamdiu tenentur, usum facilem reddant: se non mille artibus ad felicitatem indigere, sed una: non variari huius felicitatis administricula locis, temporibus, occupa-

tionibus, aetatisbus, societate et necessitudinibus, sed vbiique esse vnuin idemque eius praesidium. Hoc vero quid aliud est, quam simplicitatem doctrinae religionis eo animaduertere et experiri, quod ad beneficium diuinum, ad tuum officium, ad tuam miseriam, ad tuam felicitatem, quorum formam semper animo obuersantem vides, cogitationem omnem, omne studium, omnemque vitam refers? Ad quam simplicitatem si facilitas discendi accesserit, vt in doctrina religionis accedit, tanto erit exoptatior. Quid autem est facilius cognitu, quam id ipsum, quod discendum est, vbiuis, et tantum alia atque alia parte exhibitum spectare posse; vt, si illud minus perspicuum fuerit, hoc tamen sit; et agnoscere, te semper ad eadem illa necessaria in discendo pariter atque agendo redire, nec tibi, quot verba audieris, tot officia plane diuersa iniungi, sed promitti tibi vbiique eamdem salutem, abs te postulari vbiique eamdem illam vniuersam mutationem in melius, causas utriusque rei vbiique tradi easdem, eadem adminicula.

Commemorare possum, hac vniuersarum notionum animaduersione viam discendi patefieri et breuem, et certam. Ac natura quidem rei docet, breuitatem ab ea discendi docendique ratione exspectandam esse, quae notionibus vniuersis multa comprehendit, et ex his necessario nexa reliqua concludendo eruit, locos notatos habet, quo quidque statim referatur, signa exhibet, quibus quidque statim agnoscatur: cum e contrario ibi, ubi singula singulatim ut diuersa spectantur, et suis definitionibus explicantur, suis argumentis

muniuntur, quasi cum aliis nihil commune habeant, rerum multitudo haud dubie augeatur. Ita quidem, cum Christus, *dexter Deo sedens*, sine in societatem regni cum Deo receptus, aequatum cum Deo imperium habens, quoad reī ipsam, idem sit, qui Βασιλεὺς <sup>\*)</sup>: non videtur opus esse, ut de illa scissione, tamquam parte regni, differatur; est enim regimen ipsum. Cum καὶ ἡ κτίσις (Gal. 6, 15.), eadem sit, quae πίσις et ἀγάπη (Gal. 5, 6.), et τῆρσις ἐντολῶν Θεοῦ (1 Cor. 7, 19.): non attinet, eam ut partem salutaris mutationis hominum describere; est enim mutatio ipsa integra. Cum Deus, *vngens* christianos, idem sit, qui doctrinae suae notitiam iis impertiens, non describendus est seorsim christianus *vñctus*, ut in primis intelligens, in primis sensu aciore valens; est enim Θεοδιδακτος <sup>\*\*)</sup>.

## T 2

Alte-

<sup>\*)</sup> 1 Cor. 15,25. cf. Viringae Obs. S. Lib. 2. cap. 4.

<sup>\*\*) Si, quidquid vngitur, id inauguratur et consecratur, ideoque propterunctionis et inaugurations coniunctionem, moribus Orientis nixam, haec notio illi alteri adiuncta est: sequitur, ut et ibi, vbi christiani dicuntur vngi (1 Io. 2, 20-28. 2 Cor. 1, 21.), aut omnis usus loquendi negligendus, aut concedendum sit, si, qui non proprio oleo vnguentoue vngantur, hi tamen vngi dicantur, illam adiunctam notiōnēm inaugurationis respiciendam esse. Reddatur ergo tropus, nobis familiaris, tropo, hominibus Orientis visitato, dicaturque vñctus-christianus, *inauguratus*. Sed quid hoc est? Quo modo, quo sensu est inauguratus? Fieri enim potest multis modis. Audiatur ergo scriptor ipse. Ille vero dicit, christianos acceptam unctionem tenere (1 Io. 2, 27.); at paulo ante dixerat (v. 24.), eos tenere id, quod ab initio didicerint. Nonne ergo unctione est illa prima insti-</sup>

Alterum erat, veniri hac via etiam ad certam cognitionem, quae immotum defigat in aliqua re animum, ne fluctuet semper, neque in cognoscendo, (an satis intelligat, et teneat, an aliquid alicubi,

institutio? Effectum et fructum illius vñctiōnis idem ille scriptor dicit esse scientiam verae religionis (v. 20. 21. 27.), quae Deum patrem eiusque filium agnoscat, et ad felicitatem sempiternam ducat (v. 22-25.), neque additamentis falsorum doctotum egeat. At haec verae religionis scientia nonne est effectus et fructus institutionis? Ergo Deus vngēns proprie est, impertiens aliquem scientia religionis per doctrinam: tropice, inaugurans christianos religioni. Discenda enim doctrina alicuius inauguramur huius doctrinae et coetui, reddimur eius sectatores et discipuli, consecramur illi. Cum ergo verbum, per adjunctam notionem, rei, res verbo respondeat; cum res a scriptore satis explicetur: recte faciam vñctiōnem diuersam ab institutione? Quare haec vñctio pertinet ad vniuersam notionem doctrinae, ut vñctus a Deo sit θεοδιάκονος. Ita facilissimo negotio illi altero loco (2 Cor. 1, 21.), sensus perspicuus et verus tribui poterit: *Qui nostram de religione christiana persuasōnem confirmat, animos nostros in ea constantes reduit, est idem ille, qui nos ei inaugurauit, institutione nos ad eam adduxit, hoc est, Deus.* ὁ ἐναρξάμενος αὐτὸς ὁ τελειῶν. De reliquo noui sententias aliorum, quibus vñctio videtur esse spiritus sanctus (v. Calov. in bibl. illustr. ad locum Ioann. et Spenerus de regeneratione p. 835.), vel baptinus, vel inhabitatio sancti spiritus (v. Gerhard. Loc. T. 4. p. 117.), vel sapientia (Harduini commentar. in N. T.), vel insiprimit vehemens sensus, quem preces et cantica et dicta hominis vñcti spirent, cum insigni intelligentia et immersione in Deum. Tres priores sententiae ferri poslunt in se; ultima est a loco Ioanneo profus aliena, et ne speciem quidem veri per contextum orationis habet, sed est mere arbitria.

alicubi, vbi tropi sunt, addendum sit, an sic expressum differat ab aliis, aliter expressis, et maxime per tropos plus et efficacius dicatur,) neque in agendo (an ab hoc, quod aliter expressum est, plus exspectet, an hoc uti possit debeatque sic, ut altero). Haec autem firmitas animi, quomodo ex illa vniuersarum notionum cognitione oriatur, id non magis videtur egere oratione. Nam consociata per naturam, et disertam scriptoris explicationem, etiam in discendo constantibus et certis signis consociare, vt nuper de coniunctione hominum cum Deo demonstratum est; disiuncta certis notis disiungere, vt Christi morituri preces (Ioann. 17.) ab ἐντεύξει elus, qui Deo dexter sedet; partes omnes unius rei ita colligere, vt ne desit aliqua, vel redundet, veluti cum Christi Domini aut salutis notio formatur; constitueri genera, quibus quidque et cur subdit; tenere suum cuiusque rei locum; nosse consilium, quo discatur, quaeratur, agatur, (quae quidem omnia per notiones vniuersas efficiuntur): haec reddunt animum certum, vt ab eo se demoveri non patiatur, quod eundo per singula ubique comprehendit, ac propterea singulis necessario communie iudicat, et quo redire denique singula intelligit. Dicatur ergo Christus sacerdos, victimam, ἀμαρτία ποιηθεὶς, punitus (Ies. 53.), foederis noui μεσίτης (Ebr. 9, 15). In his propriis neque plus, neque minus inest, quam in illa simplicissima doctrina, quae vniuerse nobis exhibet Christum ἀποθανόντα ὑπὲρ ἀμαρτιῶν (1 Cor. 15, 3.), aut εἰς ἀφεσιν ἀμαρτιῶν (Matth. 26, 28. Ephes. 1, 7.), aut ἡνα μὴ ἀπολώμεθα (Io. 3, 16). Scriptores enim sacri sic explicant, vt hoc inesse dicant; ver-

ba postulant, vt hoc inesse statuamus; et est in promtu, cur hoc interduin illis potissimum verbis expressum sit. Hoc igitur teneo, huic reliqua accommodo: video etiam, me, quoties reliqua legam, ad hoc ipsum reuolui: intelligo rursus, reliquis discendis et legendis me idem solatium, eamdem spem concipere, vt si Christum mortuum esse εἰς ἀφεσιν ἀμαρτιῶν legereim, offerturque his ita dictis idem pignus amoris diuini, quod morte filii pro nobis peccatoribus Deus exhibere voluisse simplicissime dicitur (Rom. 5, 8).

Haec ipsa constantia et firmitas, huiusmodi notionibus vniuersis innixa, reddit etiam interpretationem certum animi, vt sequatur semel intellectam consuetudinem sacerorum scriptorum, talia in vniuersum dicendi, aut, si quando partem tantum significant, non eamdem ubique, sed hanc modo, modo illam accommodare ad orationis seriem intelligenti, utque adeo collectas studiose, examinatasque haud leuiter notiones vniuersas confidenter transferat ad locos singulos, quos interpretatur, aut, quia non integris semper notionibus locus est, eas partes, quas orationis series flagitat, in quolibet loco agnoscat. Etiam si ergo quidam dogmatici libri multis verbis angustiorem significacionem tribuerunt, quae in iisdem libris docendi causa esse propria coepit, et cui fere in elementis discendis adsuefimus, vt de πίσει, μετανοίᾳ, δικαιώσει, ἐκλογῇ, προορισμῷ, aliisque constat: sentit tamen aliquis facilis negotio, hanc angustiorem viam non ubique valere posse, sed ampliorem postulari, (quae et ipsa in dogmaticis libris, vbi ampliorem et angustiorem significatum discernunt, indicatur,

indicatur, quamquam obiter, quasi non magnopere attendenda; cum sit tamen primaria, et fons omnium locorum interpretandorum) et hanc ampliorem significacionem esse ipsam notionem vniuersam. Quare huic, tamquam certo fundamento, firmo gradu insistit, neque inde deiicitur: etiamsi fatendum sibi esse videt, non reperiri in uno et altero loco vim verbi integrum, aut alteram illam, propemodum ratam scholae atque consuetudinis vi, et sanctitatem. Nempe memor vniuersae illius notionis, eaque fretus, feligit inde, quod huius nominatim loci est, tantum inde deriuat, quantum hoc nominatim loco series consiliumque orationis postulat. Ergo quoniam tandem modo potest μετάνοιαν ibi (2 Cor. 7, 9. 10. 11.) interpretari contritionem et fidem, ubi scriptor ipse dicit, μετάνοιαν esse effectum τῆς λύπης, et hanc effectum doloris, μετάνοιαν, ita per partes describit, ut *sensibus melioribus et factis*, quae contraria sint superioribus, constet? Rursus, ubi καρποὶ τῆς μετάνοιας dicuntur, potestne μετάνοιαν accipere de melioribus sensibus et factis? Atqui hi ipsi sunt καρποί. Ergo μετάνοια est iudicium animi de peccatis immutatum, improbatio peccatorum, quae probaras antea. Potestne hoc ipsum μετάνοιαν de illo dolore e peccatis et fide intelligere, ubi haud dubie significat, *aliam viam religionis ingredi*, siue, derelicto idolorum cultu cultum vnius veri Dei amplecti (Act. 17, 30.)? Nam (si modo verbis opus est, ubi res loquitur) cum Paulus Athenienses de vanitate idolatriae admoneret, Deumque diceret hactenus quidem passum esse, ut magna hominum pars ignara esset vnius veri

Dei, nunc vero per terrarum orbem omnes ad *μεταγνωσκειν* cohortandos curare: poterantne Athenienses, aut omnino, aut ex orationis Paulinae argumento, illud *μετανοειν* de contritione et fide intelligere, Athenienses, inquam, qui h̄orum rerum ne notitiam quidem tum habebant? Poteratne Paulus eo sensu auditores hortari, quem hi verbis ne subiicere quidem poterant? Rursus cum hoc ipso tempore falsae religionis arguerentur: propter orationis argumentum necesse erat, vt, si verbum *μετανοειν*, conuenienter orationi Paulinae et linguae sibi vernaculae, intelligere vellent, de mutanda opinione falsa, ipsis hactenus familiari, de erroribus descendendis, cogitarent: id quod etiam est *μεταγνωσκειν* et *μετανοειν*. Ergo interpres, si verbum explicet, vti nec Paulus dicere, nec ullus Atheniensis intelligere potuit, vere illud et plane ad rem interpretabitur? Nonne proponendum cogetur, hic agnoscere idei illud, quod in simillima oratione ad paganos (Act. 14, 15.16.) est, *απὸ τῶν ματαίων ἐπιτρέφειν ἐπὶ τὸν Θεὸν ζῶντα*, hoc est, aliam religionis viam ingredi, et quoad sententiam de multitudine Deorum aliter statuere, *μεταγνωσκειν*. Temerarium foret, propter hujusmodi exempla negare, in partibus *μετανοίας* aliis in locis esse dolorem e peccatis, fidem, meliorem vitam. Et quis hoc neget? Illud nunc dispiuto, vtrum interpres certus animi reddatur, si unam angustam verbi significationem ad interpretandum adferat, et ab ea saepe numero sibi recendendum esse videat, aliamque quaerendam; an, si universam notionem paratam habeat, et in uno quolibet loco certissime aliquid reperiat, quod huius ambitu

bitu comprehensum sit, et ex hac, ut e toto pars, e genere species, concludi facillime possit. Si posterius verum est, ut experientia loquitur, confat de hac vniuersarum notionum utilitate.

Haud paulo maior utilitas earum est, quod ita intelligimus, interdum, vbi graues controvrsiae agantur, aut magna saltem sententiarum diuersitas sit, non tam de re, quam quidem omnes constanter teneant, quam de modo, quo res fiat, aut fieri existimetur, dissensionem esse. Atque res, quam omnes tenent, est vniuersa notio et propositio, et vna certa doctrina de hae re: de modo, quem sacrae literae non definierunt, merae hominum sententiae profertuntur, quibus cognoscendis et examinandis nihil, nisi studia hominum, qui in hac re elaborarunt, contemplamur. Qui ergo rem ipsam, siue vniuersam notiolem tenet, is et habet, quod sacri scriptores tradiderunt, et adquiescit eorum disciplina, neque cupit rem, in vniuersam traditam, aliter quam in vniuersum nosse. In quo videtur officio satisfacere, et intra signatos limites subsistere, sibique persuadet, si aliis id ipsum tradat, se tantum tradere, quantum a sacris scriptoribus acceperit\*), de reliqua bene memor, si plura tradiderit, se suam hominis, aut aliorum opinionem de modo intelligen- dae rei, verisimilem illam, sed opinionem tamen humanam, tradidisse. Quod ne quis, contra quam intelligi volo, interpretetur, aut a me adi-

T 5

tuin

\*) Eadem ratione de opere Spiritus sancti salutari iudicat Tittmannus, in peculiari programmate de hoc opere. Viteb. 1781. p. 16.

tum ad *αδιαφορίαν* sentiendi muniri putet, quae, si modo in vniuersum rem veram esse concedat, ut possit arbitrio probandi aut improbandi quaecumque, nullisque se finibus coerceri patiatur, aut abscondat adeo omnis generis errores simulatione persuasionis de re in vniuersum, age, rem exemplo tractando illustremus.

Omnis tempore quaesitum est, quid esset, quod duobus in locis N. T. (Rom. 8, 34. Ebr. 7, 25.) Christus pro nobis dicitur ἐντυγχάνειν, et fuit, quantum equidem noui, cuius liberum, sententiam suam, cum vertendo, tum re describenda et explicanda, proferre. Nimis auctoritate versionum latinarum antiquiorum inter patres latinos inualerat, ut hoc ἐντυγχάνειν verbis *interpellandi* et *postulandi* exprimeretur, illo, ut opinor, vim ipsam verbi significante, *alicuius negotia adeundo interpellare*, hoc indicaute consilium interpellandi, ut aliquid *postularetur*. Cooperat etiam usurpari verbum *exorandi* \*) et *intercedendi*, quo posteriore Erasmus quoque usus est, quem Beza \*\*) rursus latinitatis causa reprehendit. Subinde alia verba ab aliis substituta sunt, ut a Castellione, *supplicare*, a Grotio, *res hominum Deo commendare*, (quo iam Erasmus in notis inclinarat,) ab aliis, *interuenire* \*\*\*) , *causam nostram agere*, *nos tueri*, quo sensu indigos, obscuros, timidos, patrocinio tuemur: et Beza interpretatus est de patro-

\*) In lat. vers. cod. Sangerman. et Claromont. Ebr. 7, 25: apud Sabatierium.

\*\*) Ad Rom. 8, 26.

\*\*\*) Bengel. in *Gnomone*.

patrocinio. Quae quidem diuersitas versionum ut declarat, neininem adstrictum hic fuisse certae rationi loquendi: sic non inopinata erit iis, qui cogitauerint, per indolem et usum linguae omnino eum dici ἐντυγχάνειν τινί, qui praefens, absens, vlla de causa, cum altero agat et tractet aliquid, et quot de causis, quot item modis cum altero agat, tot significationibus variari vim huius verbi, ideoque de deprecante, commendante, se alterius causa interponente, accusante, defendantे, paciente, dici: quae sunt tralaticia. Non ergo potest in iis locis, ubi Christus dicitur ὑπὲρ ἡμῶν ἐντυγχάνειν, una precandi, deprecandi, intercedendi significatio, tamquam necessaria, exclusis ceteris omnibus, constitui, et, quasi nullus alias sensus locum habeat, illud unum disputari, quomodo, quid, et pro quibus deprecetur: etiam si rursus haec versio repudiari nequit, sed speciem adeo habet magnam, praesertim in epistola ad Ebraeos, ubi is, qui ἐντυγχάνει, hoc facit, qui est sacerdos aeternus. Iam sacerdoti, in sacris piacularibus adytum templi Hierosolymitani ingresso, non Moses quidem disertis verbis prescripsit officium faciendaruim precum; sed partim non est absolum, eum ibi pro populo preces et vota fecisse, partim Philo \*) adscribit ei munus illo die precandi pro hominibus, nominatim pro agrorum uberrimo prouentu, ut non inexpectatum sit, Christum sacerdotem, iam in adyto, hoc est, coelo versantem, intelligere, precantem pro homi-

\*) Legat. ad Cai. c. 77. Tom. 2. pag. 591. ed. Mang.

hominibus. Verum, vt dixi, non est haec una aut necessaria verbi vis.

Iam praeter hanc discrepaniam in vertendo, non minor fuit in ipsa re explicanda et describenda diversitas opinionum \*), aliis existimantibus, verbis fieri deprecationem \*\*), remota tamen omni humilitatis suspicione; aliis etiam constituentibus, quidnam Christus ac pro quibus precaretur \*\*\*); aliis describentibus, quidnam intercessione sua impetraret †); aliis statuentibus, non verba quidem proferti; sed aliquid actu geri, quod nobis proficeret ‡); velut exhiberi et sisti Deo patri a Christo meritum suum, ut hoc hominibus adplicaretur; aliis neque orationem, neque actum intelligentibus, sed referentibus rem ad perpetuam Christi erga nos benevolentiam ††); aliis simpli- citer

\*) Plures enumerauit Musaeus, (*Ausführliche Erklärung der Jenischen Theologen*, p. 535 seqq.) et ostendit, ne recentiore quidem aefate omnium consensum in re describenda fuisse. Quid Melanchthon senserit, ex eius interpretatione ep. ad Rom. cognosci potest, unde locum etiam Calouius bibliis illustratis intalit. Conferri etiam potest Chemnitii Examen conc. Trident. p. 615.

\*\*) Vid. ibid.

\*\*\*) Tellers Lehrbuch, p. 180.

†) Witsii miscellan. sacr. lib. 2. diss. 2. §. 96. p. 516. Ipsam vero intercessionem dicit (§. 95.) esse gloriosam illius voluntatis Christi, qua sanctificamur, repraesentationem.

††) Limborchii theol. christ. 3, 19, 8 seqq.

†††) In hac sententia multus est Chrysostomus ad Rom. 8, 34. Τὴν ἀγάπην μένει διατηρῶν δὲ χριστὸς. — — — οὐ Παῦλος, ἀνθρωπινώτερον γάλι συγκαταβατικώτερον διαλεχεῖται, διὰ τὴν ἐντυγχάνειν τὴν ἀγάπην ἐνδείκνυται: — — — Τὸ Εὐ-

citer explicantibus de vi et fructibus meriti Christi aeternis. Quibusdam non satis fuit, ἐντεύξιν Christi sic describere, ut ei tempori adstricta sit, quo maiestas Christi post eius reditum in vitam omnibus conspicua facta est; sed amplificatis finibus vocabuli, hoc est, comprehensis pluribus exemplis precum Christi pro nobis, (nam infederat semel animo, ἐντεύξιν esse preces, nec aliud quidquam cogitari hic aut quaeri posse) et ad idem genus ἐντεύξεως relatim, eas quoque preces, quas non multo ante mortem fudit (Io. 17.), hue retulerunt \*). Id quod facere non debebant. Nam libri sacri, facta ἐντεύξεως mentione, quae ἐντεύξις dicitur κατ' ἔξοχήν, referunt eam ad illud tempus, quo Christus Deo dexter sedet; non ad illud, quo his in terris humilius vixit. Satis profectio in una re dissensionum! Nonne vero pleraque ad modum explicandae rei, a scriptoribus sacris non definitum, pertinent? Qui quantumvis varietur per has sententias, omnes tamen Christiani, docti et indocti, agnoscunt, hic describi, Christum

τυγχάνειν είρηκεν, Τιὰ τὸ θερμὸν νῦν ἀκμάζον τῆς περὶ ἡμᾶς ἀγάπης ἐνδέκουνται — — Pari modo Theodoretus appellat quidem αὐτῶν εἰς ἕκτείνειν, sed omnino inesse dicit τὴν τῆς κηδεμονίας ὑπερβολήν. Nescio an hoc quoque referam sententiam Bengelii in Gnom. ἐστιν ἐν δεξιᾷ Σεβ., seruare potest, ἐντυγχάνει, seruare vult: quam et alii passim protulerunt, ut e Mylii verbis (in Calou. bibl. illustr. ad Rom. 8, 34) adpareret.

\*) Hanc sententiam nuper examinavit Doederlinius, *Ueber die christliche Fürbitte.* p. 17—28. ubi Walchii, theologi nuper Goettingensis, disputatio de intercessione Christi sacerdotali iam indicata est, quae Gottingae, a. 1774. prodierit.

stum regnante nobis adhuc esse eundem, qui tunc fuit, cum pro nobis passus et mortuus est, benevolum, beneficium, seruatorem peccatorum, euinque adeo nos porro tueri et curare, ut peccatores, abiecto omni metu, freti et tranquilli hac eius perpetua benevolentia, cura et beneficentia, a Deo de se optime sperare possint, hoc est breviter, *Christum adhuc esse et manere causam salutis nostrae et datorem*, et qui saluteam quaerant, hos propter hunc et per hunc eam certo accipere. Neque vero aliud quid ex hac descriptione quispiam ad solatium et tranquillitatem animi deriuare potest. Ita ergo ὁ ὥν ἐν δεξιᾷ τῷ Θεῷ καὶ ἐντυγχάνων, et πάντοτε γῶν εἰς τὸ ἐντυγχάνειν, idem est, qui alibi (Ebr. 5, 9.), vniuersa propositione dicitur τελειωθεὶς αἵτιος σωτηρίας αἰωνίων γεγονέναι, hoc est, iam constitutus Dominus \*) etiamnuin esse causa et dator salutis aeternae. Sic curat et tuetur nos in perpetuum.

Quid vero, si in epistola ad Ebraeos ab ipso scriptore ad hanc vniuersam notionem veluti manuducamus? An tum quoque eam pótissimum amplecti, eaque vnicē adquiescere dubitabimus? Ille vero

\*) Hanc vim verbo τελειωθῆς tribuo, quoniam Ebr. 2, 9. 10. manifeste permutantur, διὰ τὸ πάθημα τῆς θανάτου (ob toleratas miseras) δόξῃ τῷ τιμῇ τεφανωθῆναι, et, quia toleratae sunt miseriae, τελειωθῆναι. Atque, ut nos ἀγόμεθα ἡς δόξαν, sic is, qui viam ad felicitatem traxit, dicitur debere τελειωθῆναι. Quid hoc est, nisi ἀκριβῶν ἡς δόξαν, ad felicitatis metam perductum, dominum summum constitutum esse. Deus loquendi in verb. τελειωθῆναι, ad finem, mesam pervenisse, consummati laboris praemio frui, cf. Intt. ad Phil. 3, 12. Ebr. 12, 23.

vero ponit hoc, Christum esse aeternum sacerdotem, quia in aeternum vivat. Inde concludit, Christum propterea in aeternum esse posse salutiferum (*δυνάμενον σώζειν*) et euergetam iis, qui Deum per ipsum adeant. (Intelligitur simul, id quod pluribus nunc non traxi, haec tenus eum dici aeternum sacerdotem, quatenus nunc, postquam in coelum abiit, nobis salutifer est). Repetit hoc sic: nam ideo viuit in perpetuum, ut horum hominum causa medium se interponat, eos tueatur, *εἰς τὸ ἐντυγχάνειν*. Denuo texamus hanc orationis feriem: Christus viuit in aeternum, hinc potest in aeternum salutifer esse: quippe ideo viuit in aeternum, ut — Quidnam? Nonne, ut nobis salutifer sit? Sed scriptor dixit: ut nostra causa medium se interponat. Hoc ergo erit illud, ut nobis salutifer sit. Modo immortalitas Christi spectatur, ut causa, cur aliquid praestare possit: modo id, quod praestat, spectatur ut effectus, fructus, consilium eiusdem immortalitatis. Id, quod praestare potest, dicitur *σώζειν*. Id, quod praestat, dicitur *ἐντυγχάνειν*. Sequare ergo hanc manu inductionem scriptoris, et τὸν *ἐντυγχάνοντα* in uniuersum agnoscam eundem, quem esse scio τὸν *σώζοντα*. Si est in *ἐντυγχάνειν* peculiare quid, species certa tribuendae salutis, id ex verbo intelligi nequit: nam verbum in se multiplicem significatum habet: scriptor autem de eo nihil definiit. Vnde cum nemine contendeo, sed rem in uniuersum intelligo, ut ii, qui perpetuam benevolentiam, aut sempiternos meriti eius fructus intellexerunt.

Sumamus, aliquem in vita communis hac oratione vti: „Fuit ille, quoniam Deus ei longam vitae usuram concesserat, vere innumerorum parens, ac proinde miseris, eum implorantibus, per longam annorum seriem exhibere beneficia potuit: quippe ideo Deus eum diu viuere voluerat, vt eos sustentaret:“ si quis ergo ita loquatur, agnoscam primo, quatenus aliorum parens dicatur: describitur enim diserte, beneficiorum mentione factum vero, si quis quaeasierit, quo sensu ille miseros sustentare videatur, quis non respondeat, per naturam linguae omnino eum intelligendum esse, qui ope in aliis ferat, eosque vlo modo tueatur; hoc vero nominatim loco per orationis seriem intelligi, qui beneficia exhibeat: id enim praecesserat. Simillima est ratio loci in epistola ad Ebraeos, de quo nunc dispiro, et qua naturam linguae, et qua verborum contextum. Ut ibi parens, ita hic sacerdos. Ut ibi, propter longam vitae usuram per multis beneficia exhibere posse, ita hic, propter aeternitatem vitae in perpetuum esse salutiferum posse. Ut ibi sustentare, verbum multiplicis significatus, ita hic ἐντυγχάνειν, profecto non unius significationis vocabulum. Ut ibi illud sustentare per orationis seriem facile et certo definitur, ita hic ἐντυγχάνειν. Ut ergo illun e communis vita deponitum locum quilibet intelligit, sine disputatione de modo sustentandi, (incurrit enim per seriem orationis in oculos, pertinere eodem, quo beneficia exhibere pertinet) ita hunc sacri scriptoris locum ad eandem normam, altero ex altero explicando, interpreter, sine examine modi, quo ἐντενξις fiat, cum hic quo-

quoque per seriem orationis patefiat, referendum esse eodem, quo σώζειν pertineat.

Magnificam vero sententiam de Christo, cum adhuc esse, et manere perpetuo causam datoremque sempiternae felicitatis. Quid enim intelligi potest excellentius eo, qui non imperium modo in omnes homines a patre suo accepit ideo, ut eos perpetuo felices reddat (Io. 17, 2.); sed etiam, utens iam imperio illo, unumquemque ullius nationis, ullius aetatis, modo quaerat illam felicitatem, eius re ipsa participem reddere vult et reddit? Ad quem ergo vniuersitas generis humani respicere debet, et innumeris respexerunt, et, quam diu res humanae erunt, in tam graui causa, qualis est futurae felicitatis exspectatio et possesio, respicient, is nonne unus omnium sit celissimus et venerandus?

Huius tantae rei magnificentiae et grauitati tantae nihil detrahitur eo, quod multi, iam inde ab antiquissimis temporibus, hunc loquendi modum translatum dixerunt ab humanis rebus ad divina \*), et propterea remotis iis, quae in diuinis locum non habent, id unum, quod loquendi modo adiunctum (connotatum) est, intellexerunt, alius alia ratione. Atque adeo haec ratio dicendi, sic adumbranda re ad huminam imbecillitatem sedemittens, timidis animis confirmandis mire accommodata est. Scilicet homo, peccatorum sibi con-

\*) Praeter Chrysostomi et Theodoreti locos, modo indicatos, conterantur apud Musaeum I. I. verba Brochmandi: *In hac locutione, Christum ἐρευγάσας προνοισ, αὐτεπωπάθειαν agnoscimus.*

conscius sibi que metuens a Deo, quid mirum, si non ipse ipsum veniam rogaturus adire sustineat, a quo omnino sit immenso interuallo seiuetus, tum vero nihil fauoris sibi sperandum eise audiat? Cognito igitur aliquo, qui se medium interponat, ipsumque patroni nomine tueatur, nonne multo tranquillior et confidentior ad Deum se conuertet? Hoc solatum ex hoc rei cogitandae modo quis ereptum eat timidis? Quis vituperet sacros scriptores, si, quam rem alibi planissime exhibuerunt intelligentiae nostrae, eamdem alio loco sensibus quoque admoueant, et velut adspectabilem reddant? Vtrolibet modo dicatur, valere debet ad solatum: vtrolibet modo cogitetur, valet etiam ad tranquillitatem. Moneri tamen possunt homines, ne modo cogitandae rei nimis inhaereant, ne de modo, quo fit, nimis depugnant; sed ipsam rem concipient ita, ut ne Christo regnante, aut Deo patre longe clementissimo indigna sit, hoc est, illum humilem reddat, hunc tamquam sine fine denuo placandum, et inclinandum ad voluntatem, et exorandum describat.

Quae haec tenus de ἐντεύξει dixi, eadem ibi valent, ubi Christus παράκλητος dicitur (I Io. 2, 1). Nam nemo nescit, Graece παράκλητον dici aduocatum, quem in auxilium vocauimus, ut nobis adsit adiutor, opitulator \*). Constat item, Iudeos hoc verbum παράκλητος simili suae linguae verbo פָּרָקְלִיט expressisse, quod vindicem, defensorem, adiutorem significat \*\*), quo ipso

verbo

\*) Cf. Reiskii index Gr. Demosth. in παρακλήτην et παράκλητος.

\*\*) Cf. Buxtorf. Lex. Talm. p. 1843. Cameronis Myrethecium ad Io. 14, 16.

verbo Syrus interpres *παράκλητον* in libris N. T. vbique expressit. Ergo propter hanc Graecorum et Iudeorum confessionem in scriptore Iudaico illius aetatis *παράκλητος opitulatorem* significat \*). Iana is, qui delinquit, et de suis sollicitus est peccatis, a Ioanne hoc solatio erigitur; quod habeat homo talis Iesum, qui ipsi opeū ferat apud Patrem suum. Quo modo ferat opeū, id e verbo per se non intelligitur; sed, remotis a notione aduocati et opitulatoris omnibus humanis, relinquitur, quemadmodum homo in communī vita, si habeat adiutorem, eo fretus tanto confidentius aliquid exspectet, sic hominem, de venia peccati sollicitum, Iesu fretum tanto confidentius veniam exspectare, Iesu, inquam, fretum, qui est Ἰλάσ-μὸς περὶ τῶν ἀμαρτιῶν. Hoc Χριστὸς Ἰλάσκοντι, qui nunc est apud patrem, δεξιὸς Θεῷ καθίμενος, freti speramus veniam, praeferunt cum ille δίκαιος, insous, sit, ut sibi non opus sit venia, sed ut eam aliis praestet. Insontis ergo illius ἐξιλασμένος, apud Patrem versantis, fiducia hominem erigit. Ita in *παράκλητῳ* Iesu eadem plane intelliguntur, quae antea in notione Iesu ἐντυγχάνοντος inesse demonstrare conatus sum.

\*) Pariter Io. 14, 16. 26. et 15, 13. Spiritum sanctum intelligo apostolorum *adiutorem*, qui apostolos in munere gerendo adiuit, non docendo tantum (Io. 14, 26.), sed aliis etiam modis: ut iis ad munus gerendum opus fuit non scientia tantum doctrinae, sed et alio multiplici auxilio.





## IX

*Differitur*

*De Christo, demandatum sibi a Patre duplex negotium exsequente cum virtute, et hancenit Patri obediens.*

**Q**uae Christus, a suo Patre ad homines missus, inter eos versans e consilio atque institutione diuina p̄eregit ac percessus est, et quae ille *opus sui Patris*, negotiumque ab eo sibi demandatum, saepius adpellauit, his perficiendis preferendisque cum ipse dicit, in euangelio Ioannis in primis, se *exsequi, quae Pater velit*, tum ab apostolis *κατ' ἔξοχην* et nominatim *obedire Patri* dicitur. De qua quidem re ita differam, vt partim eos locos praemittam, in quibus ipse Iesus, se facere id, quod ab eo fieri Pater velit, declarat, vtque observem, quidnam *hancenit* fecerit, et qua mente; partim in locis aliis, in quibus obediendi verbum de eadem re diserte usurpatum occurrit, animadvertam scriptorum explicationem, admonentium, quid fuerit, in quo Iesus, negotium sibi demandatum peragens, Patri obediuerit, et qua mente peregerit. Nam vero haec duo, *Ἐποίησε τὸ Θέλημα τῶν πατρῶν, et ὑπήκοος πατέρι ἐγένετο*, quae citra dubitationem iam per usum loquendi eiusdem significationis sunt, comparabuntur: non modo adparebit, ipsa etiam re haec duo conuenire, et illud *ποιεῖν τὸ Θέλημα τῶν πατρῶν* iisdem factis eademque mentis indole censi, quibus et hoc

hoc ὑπακύειν τῷ πατρὶ continetur; sed consequetur etiam, siue hoc, siue illo modo adpelletur, ut plurimum intelligi negotium docendi mortisquæ subeundæ, vel integrum, vel ex parte, idque volente sic Patre a Filio inter homines humanae salutis felicitatiisque causa exsequendum, a Filio autem cum absoluta expleataque virtute suscepimus et peractum. Quodsi, vbi de hac re sermo est, vel factis commemorandis, vel describenda indole animi, qua Christus in exsequenda re fuit, ibi haec duo ad se inuicem constanter referuntur: *Pater voluit Filium exsequi singulare quoddam negotium, et Filius hoc peregit:* dubitari nequit, vnum ex altero iudicandum esse, hoc est, in peragendo negotio nec plus, nec minus, quam in volendo mandandoque intelligi debere; nec ad notionem peragentis hoc singulare negotium adsumendum aliquid, quod alter, mandans et postulans hoc singulare negotium, non dici possit hactenus voluisse et postulasse; nec detrahendum esse, quod ab altero mandatum, ab altero ideo, quia sibi mandatum erat, peractum est.

Ergo disputationem hanc alio consilio adgredior, quam solet doctrina ea tractari, quae in dogmaticis, coniuncta cum loco de satisfactione, proprie doctrina de obedientia Christi dicitur. Nam nunc non quaero, an Christus, expers ille omnis vitiositatis, per omnem vitam, puer, adultus, filius, amicus, in omni genere virtutum officiorumque, legi diuinae (moralis) conuenienter senserit egeritque, et similis hominum fuerit, illi legi obedientium, seque Deo submittentium. Quis enim neget? Nec indago, an hactenus *per se posse*

dici ὑπὸ νόμον γεγονώς, τὸν νόμον aut πᾶσαν τὴν δικαιοσύνην πληρώσας, aliisque loquendi modis similibus describi. Quis enim dubitet? Nec disputo de hoc, an homines, ob illam perfectam expletamque in Christo conspicuam confessionem sensuum vitaeque cum lege (moralis), censeantur a Deo δίκαιοι: siue, ut scholae loquuntur, an illa aliena eaque perfecta et positiva δικαιοσύνη (virtus) iis imputetur; et an λογισθέσας αὐθεώπῳ δικαιοσύνη (Rom. 4, 6.), item δικαιοσύνη ἐκ Θεοῦ (Phil. 3, 9.) sit illa aliena homini imputata iustitia positiva. Nec respicio ad usitatam obedientiae Christi divisionem: quam vt non carpo, quoniam historia et doctrina Christi eum vt agentem et patientem describit, ita noui, potissimum de definitione obedientiae actiuae passiuaeque, et vi ad salutem hominum, controversiam esse. Nec rationes vindicandae actiuae obedientiae, quoad in (moralis) legis observatione ponitur, examino, ductas illas e iustificationis notione ita, vt, si iustificatio continetur non modo venia peccati, sed et imputatione iustitiae Christi, vt ergo inde concludatur, necessario debuisse Seruatorem non poenas tantum luere, quae vt ab aliis soluta censerentur; sed legem quoque (moralem) plene perfecteque observare, vt et hoc velut ab aliis praestitum spectaret Deus, possetque adeo cum propter solutas poenas dare veniam, tum propter posituam iustitiam imputatam tribuere felicitatem: sic demum duabus illis iustificationis partibus esse locum \*). Equi-  
quidem

\*) Omnino hunc locum amplexus est Io. Gerhardus in Loc. Theol. T. 3. p. 431 seqq. Contra pontifi-

quidem nihil respicio nunc, nisi opus et negotium singularē, Christo a Patre demandatum, et a Filio cum virtute gestum, hoc est, quatenus continetur certis actionibus et perpessionibus, et indole mentis in agendo perpetiendoque. His ita simpliciter proponendis, seclusa omni reliqua disputatione, noncere conor literarum studiosos, vt in legendis sacris libris attendant, obedientem Christum interdum esse administrum operis illius singularis, vel vniuersi, docendo subeundaque morte constantis, vel alterutra ex parte: et vt, quoties hoc legunt, toties cogitent simul de virtute insigni perfectaque Christi, cum negotii ipsius administratione, cum ipsis rebus in facto positis, coniuncta: per quam quidem virtutem ea, quae in facto posita sunt, intus obedientis esse censentur, et sine qua nihil sunt, nisi externa facta. Ita videtur aequos lectores nancisci posse libellus, in quo res longe notissima docetur, *Iesum, docentem ac mārientem summa cum virtute, et sic mandatum Patris sui exsequenter, Patri obediuisse.* Continet ergo haec scriptiuncula exemplum vniuersae notionis, e pluribus sacrarum literarum locis, rem eamdem

V 4

ex-

tificios tractauit eum Chemnit, in Exam. conc. Trid. p. 139. Breuius exposuit, sed perspicue, Io. Müllaeus (*Erklärung der Ien. Theol.* p. 585). Etiam Francisci Turretini disputationes de Satisfactione huic loco destinatae sunt. Recentiores disputationes, occasione libri Toellneriani de actiua Christi obedientia ortas, in his Ernestii sententiam, T. 9. bibl. theol. nouae propositam, enumerat hic liber: *Neueste Religionsgeschichte;* qui, moderante C. Gu. Franc. Walchio, a. 1773 prodiit. Cf. Döederleinii Institut. Theol. Christ. P. 2. p. 346 seqq.

exprimentibus, eruenda. Quod argumentum cum alio tempore inchoarim: continuandum nunc putaui.

Iam, ut ab ipsis Iesu Christi sermonibus ordinar, saepenumero de Patris sui opere loquitur (Io. 4, 34.), seque dicit ποιεῖν τὸ ἔργον τῆς πατρὸς. Opus vero Patis significare opus illud, quod Pater per eum perficere voluit et exsequi, dubitari propterea nequit, quod, de vna eademque re loquens Iesus alibi ἔργον τῆς πατρὸς, alibi (Io. 17, 4.) opus sea negotium, a Patre sibi demandatum (δεδομένον), nuncupat, seque hactenus, quod illud peragit, legatum diuinum, ministerio Dei consecratum, nominat (Io. 10, 36.). Quod opus dum Iesus, Patre sic instituente ac volente, peregit, sine dubio censendus dicendusque est. Patri obediisse: nam ipse declarat (Io. 4, 34. 6, 38.), haec re se ποιεῖν τὸ θέλημα τῆς πατρὸς, τῆς πέμψαντος αὐτόν. Quod quidnam quaeſo est alio verbo, niſi obediare?

Eamdem obedientiae vim ac notionem exprimunt hi modi loquendi, qui resi describunt, ut ἐντολὴν πατρὸς, quam Iesus acceperit (Io. 10, 18. 14, 31.): aut Iesum faciunt declarantem, quidquid dicat agatque, id a Patre sibi praescriptum traditumque, secum communicatum esse esse (Io. 8, 26. 28. 40): aut negantem, se sponte venisse, sed missu Patris adesse aientem (Io. 7, 28.): negantem rursus, se suo arbitratu docere et agere, sed ut acceperit instructusque sit (Io. 12, 49.): aut confirmantem, se τηρεῖν τὸν λόγον τῆς πατρὸς (Io. 8, 55). Quod τηρεῖν τὸν λόγον τῆς θεᾶς cum in sacris libris centies sit, obſeruare a Deo præscripta,

scripta, obedire doctrinae legibusque diuinis: etiam hoc loco mihi quidem videtur describere obedientiem; sed eo sensu et in ea re, quo sensu et qua in re postulat series orationis, agentis manifeste de officio profitendi consilia Dei de hominum salute, quae consilia Iesus, quippe ideo etiam missus, et exacte illa atque accurate sciens, profiteri debebat. Ergo faciens, quod facere debebat, agens, quod praescriptum sibi erat, est τηρῶντὸν λόγον τὴς πατρὸς, est Patri obediens. Quod si quis τηρεῖντα τὸν λόγον τὴς Θεᾶς non tam hoc sensu obedientem, officioque sibi praescripto fungentem, quam tenacem ac memorem vbiuis verae doctrinae, nihil eius immutantem aut deferentem, interpretari malit: non repugno. Ceterum si in his loquendi modis similitudinem cum obediendi notione inesse ostenderem: mala foret illa sedulitas, in re plana iniuriam potius faciens intelligentiae lectorum, quam studium utiliter aliquid aut necessario explanandi prodens.

Neque vero, si hoc nunc adspergere licet, magnopere errauerit, qui Iesum a Paulo (Phil. 2, 7.) propterea ministrum ( $\delta\delta\lambdaον$ ) adpellatum statuat, quod eo sensu, quem modo declaraueram, Patris mandata in se suscepit, iniunctumque sibi negotium gessit. Nam, si illustratione uti licet, etiam prophetae hoc sensu ministri Dei dicti sunt. Si origo sic de Iesu loquendi quaeritur, ipse iam a Iesia (c. 53.) nominatus est minister Dei. Rursus speciem huic significationi verbi  $\delta\delta\lambdaος$  in Paulino hoc loco illud conciliat, quod hoc modo duo membra orationis, Ἐκένωσεν ἑαυτὸν, μορφὴν δέλλα λαβών, et, Ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν, ὑπῆκοος

*γενόμενος*, ita sibi respondent, ut unum, ὑπήκοον  
*γενέσθαι*, explicando alteri, δέλας μορφὴν λαβεῖκ,  
 inferuiat. Denique hoc attendendum est, Iesum  
 eiusdem δέλων censendum esse, cui fuit ὑπήκοος.  
 Atqui constat, eum fuisse πατέρι ὑπήκοον. Effici-  
 tur igitur, eum hic ut δέλων πατρὸς describi, hoc  
 est, ministrum Patri obedientem, Patris mandata  
 exsequenter: idque tanto magis, cum hoc modo,  
 ut δέλος eius, cui par tamen et aequalis (*ἴσος*)  
 erat, vere se eidem submiserit, perficiendo nego-  
 tio, sibi a Patre tradito. Ita, si δέλος est mini-  
 ster, continet obedientis notionem. Sed nec hie  
 repugno, si qui δέλας nomine omnino tenuem  
 humilemque conditionem expressam existimant.

Postquam modos loquendi varios percurri,  
 qui omnes ad notionem viuversam, *negotio ge-  
 rendo et peragendo obediendi, seque consilio et vo-  
 luntati alterius accommodandi*, reuocari possunt:  
 videndum est, quid hic talis Iesus, ποιῶν τὸ ἔργον  
 et τὸ θέλημα τῷ πατρὶ, et λαβῶν τὴν ἐντολὴν  
 παρὰ τῷ πατρὶ, et τηρῶν τὸν λόγον τῷ πατρὶ,  
 et δέλος γενόμενος, quid, inquam, maxime ha-  
 ctemus egerit tuleritue, et quo animo. Ac prius  
 quidem, quidnam egerit tuleritue, et quibus hoc  
 factis contineatur, propterea exponendum est,  
 quod sine actione et factis intelligi obedientia cu-  
 iusdam non potest, sed mera voluntas, eaque in-  
 terdum legnis, et voto similior, quam voluntati  
 atque studio, merumque propositum, saepe illud  
 irritum et inane, relinquitur. Posterius autem,  
 quo animo egerit aut tulerit, ideo cogitando ad-  
 sumendum est, (ut supra iam monui, et ipsa res  
 loquitur) quoniam facta et actiones, non spectato  
 simul

simul agentis animo, vim virtutis verae habere liquido dici non possunt; sed indoles demum ex conformatio animi accedens efficit, ut sint recte facta, e virtutum genere censenda.

Iam, si singula facta quaeramus, primo repemus, vbi mentio fiat Iesu Christi, exsequentis opus et voluntatem et mandatum Patris, ibi saepius intelligi et diserte commemorari *docendi negotium*, quo fuit aliquamdiu occupatus, siue spectetur argumentum doctrinae; siue locus, Iudea, et tempus triennii fere, intra cuius loci temporis que fines fungi munere doctoris debuit; siue successus in utramque partem, reipentibus ei Iudeis nobilioribus interea, dum promissa multitudine cupidius discebat. Quae quidem talia potissimum fuisse ex institutione Patris, et ex huius voluntate sic facta esse a Iesu, vincunt hi loci: primo de doctrinae arguento: 'Ο πέμψας με πατήρ ἐντάλμιν μοι δέδωκε, τί εἶπω, καὶ τί λαλήσω (Io. 12, 49). Τὴν ἀληθειῶν ἡμῶν λελάληκα, ἦν ἡκώσα παρὰ τῷ πατρός (Io. 8, 40). Secunde de loco, vbi docere debuit: Οὐκ ἀπεσάλην, εἰ μὴ εἰς τὰ πρέβατα ἀπωλολότα οἴκε Ἰσραήλ (Matth. 15, 24). Tertio de tempore: 'Ελήλυθεν η ὥρα, ἵνα μεταβῇ ἐκ τῆς κόσμου τάχτα πρὸς τὸν πατέρα (Io. 13, 1). Quarto de vario successu doctrinae: 'Ἐξομολογύμαι - - - εὐδοκίᾳ ἐμπροσθέν σε (Matth. 11, 26). Illustris porro in eamdem rem uniuersam locus est, in quo Iesus, Ego, inquit, patefeci in his terris tuam, Pater, maiestatem, mandatumque mihi abs te opus peregi (Io. 17, 4). Sed opus, Filio a Patre iniunctum, idque iam ad finem perductum, et ad Patris δεξαμένη peractum, nullum

nullum aliud intelligi potest, quam docendi negotium. Nam primo pertinuit hoc ad Patris δόξαν patefaciendam, hoc est, ad describendum amorem Patris aeternum erga homines, ad explicandum benignissimum sapientissimumque consilium Dei de genere humano, propter peccata misero et ipse destituto, per Christum ad felicitatem ducendo, ad confirmandam eius, qui promiserat, veritatem, et in efficiendo potentiam. ‘Οὐδὲς ἔχει γάρ σατο χάριν καὶ αληθείαν (Io. 1, 17. 18. Matth. 11, 27). Deinde cum Iesus, finitis precibus, in quibus hic locus noster exstat, morti obuiam iuerit, nec posthaec palam docuerit: reuera hoc docendi negotium peractum erat. Referendus est ad ipsum hoc negotium ille sermo, quo Iesus ποιεῖν τὸ θέλημα τῆς πέμψαντος αὐτὸν, καὶ τελειών τὸ ἔργον αὐτῷ, cibum suum atque panbum animi adpellat (Io. 4, 34). Esse autem hoc de Iesu, mandata patris *docendo* peragente, capiendum, sic intelligi potest. Rogatus nimis a discipulis, ut cibum caperet, recusabat nunc quidem, ne cum aduenturis mox Samaritanis, quos mulier quaedam arcessitum iuerat, colloqui, eosque docere impediretur, postponebatque occupationem, quippe τῆς πατρὸς ἔργον, curae ac recreationi corporis. At, quam occupationem? Scilicet docendi Samaritanos eadem, quae antea mulierem iudidem oriundam docuerat. Dum ergo docet, facit, ut ipse loquitur, quae ab eo fieri Pater voluit, impositumque sibi negotium gerit. Proinde Christus, doctoris personam gerens, Patris voluntati obtemperat, eiusque consilium exsequitur.

Alterum, quod in facto positum est, et a sa-  
eris scriptoribus obedientiae nomine ac notione  
diserte comprehenditur, illud est, *Iesum grauif-  
simis cruciatibus et ignominiosae morti se obtulisse.*  
Tractatur autem hoc ut obedientia, et sic adpella-  
tur, in notissimo Pauli loco (Phil. 2, 8.), qui Ie-  
sum nobis exemplum animi demissi, nihil sibi  
adrogantis, ac ne veram quidem excellentiam di-  
vinamque maiestatem volentis vbique usurpare, ita  
proponit, vt partim factum, vnde illa demissio  
animi eluxerit, describat, hoc est, doceat, Iesum  
ne mortem quidein, atque adeo foedissimum mor-  
tis genus, crucis supplicium, recusasse, partim  
hoc factum nominet diserte obedientis Iesu fa-  
ctum. Sed ita ipse Iesus hac de re locutus fuerat.  
Quo ènìm tempore, Iudeorum manibus mox se  
permissurus, discipulis instantem discessum nun-  
ciabat, ac, velut impatiens morae, medios inter  
sermones surgebat, occursurus ipse aduersariis,  
Abeamus hinc, inquit, (abibat autem recta in hor-  
tos, in quibus paulo post captus est), ut adpareat  
hominibus, me, Patris amore ductum, eius man-  
data exsequi (Io. 14, 31). Cruciatibus ergo et  
morti se offerens, et haec perferens, consilio Pa-  
tris obsecundavit, eius voluntati se accommoda-  
vit, ei obediuit. Iisdem fere verbis vtitur alibi  
(Io. 10, 18.), vbi de se, pastore bono, vitam  
amanter et sponte deponente, eaque re Patri pla-  
cente, exponit; et tamen in fine addit, haec ut  
faceret, se in mandatis a Patre accepisse. Ergo  
voluerat Pater hoc a Filio fieri, consiliumque suum,  
hominibus benignissimum saluberrimumque (Io. 6,  
39. 40.), per eum exsequi decreuerat. Ut autem  
Filius

Filius in operis partem et societatem veniret, Patrisque administer fieret, in opere peragendo, et amore erga homines declarando, id in arbitrio ac potestate Filii possum erat. Ille vero nihil recusans fecit, et lubens ei se administrum praebuit, siue, ut literae sacrae loqui solent, ei hac re obediuit. Nam per quemcumque hominem, aut per quacumque rem Deus consilium suum exsequitur, is homo et ea res dicitur facere, quod Deus vult. Si facit insciens, (ut cum naturam rerum legimus consilia et iussa Dei exequi) est, proprie et accurate aestimanda re, instrumentum Dei: si sciens, est admirister Dei. Si, praeterquam quod scit, idem etiam vult, et lubens et ex animo et ita agit, ut Deus vult, huiusque consilia postulant, in doctrina religionis obedire Deo; et in virtute versari, dicitur. Sed de hoc infra.

Est alius hic non praeterundus locus, in quo apostolus (Ebr. 5, 8.) Iudeis, suscepiae religionis christiana causâ graues perferre calamitates coactis, ac, si Leuitico carerent ἡλασμῷ, sollicitis, et ad illum ritualem ἡλασμὸν reclinantibus, solatum admouet constantiamque commendat eo, quod et Iesus obrutus mersusque calamitatibus fuerit, expertusque sciat, quid sit, miseriis affligi, adeoque hominibus, eas perferentibus, libenter auxilium ferat, sollicitis nominatiū de pietate et salute piamen et salutem exhibeat. Sed illud, Iesum haec expertum scire, scriptor ita expressit: "Εμαθε, φῶν ἐπαθε, τὴν ὑπακοήν hoc est, e miseriis, quas tulit, didicit, expertus miseries ipse nouit, quid sit obedire, quam durum, molestum, graue sit, alterius voluntati se accommodare, durissimis qui-

quibusque altero postulante se exponere. Quod quidem in loco eamdem obedientiam, quae in commemoratis modo locis descripta est, intelligi, hoc est, obedientiam suscipientis ideo cruciatum morte inque, ut fiat, quod alter fieri voluerat, ex eo planum fit, quod Iesus hic eatenus spectatur, quatenus inter lacrimas et supplices preces tempus extremarum miseriariarum transegit, mortique se obtulit. Vnde dubitari nequit, scriptorem docere, in his miseriis morteque toleranda inesse ὑπακοήν.

Vt autem hoc negotium docendi subeundae que mortis peragi posset, necesse erat, ut Iesus homo esset, humanoque more ac ritu viueret \*). Vnde Paulus, postquam Iesum esse voluisse δῆλον Θεόν dixerat, hoc ipsum, eum hominem factum esse, diserte commemorat (Phil. 2, 7. 8. Ebr. 2, 14). Eadem de causa fieri non poterat, quin tenuiter (κενωθεὶς Phil. 2, 7.) et pluribus molestiis pressus adflictusque (πειρασθεὶς Ebr. 2, 18) viueret ac moreretur. Eadem de causa decebat, ut Iudeus natione esset, nec ulli legis Mosaicae praescripto se subtraheret (Gal. 4, 4.): id enim non modo ita decretum fuerat, ut Seruator e Iudaica gente prodiret (Io. 4, 22.); sed et praedictum saepe uno velut ore omnium prophetarum. Ad eamdem rem pertinebat, ut, quamquam Iesus

non

\*) In Io. Gerhardi Confessione cathol. p. 516. obedientia Christi in eo posita dicitur, quod Christus dignatus est (ἢ ἐπησχώθη, Ebr. 2, 11. non indignum se iudicavit) adsumere humanam naturam, et mandatum Patris de redemptione generis humani utrum exsequi.

non egebat baptismino, cum in eum nec caderet ἀμαρτιῶν ἔξομολόγησις, coniuncta cum baptismino, nec ὁ Φεσις ἀμαρτιῶν, de qua μετανοήσαντες baptizati certi esse poterant, ut ergo tamen pateretur se a Ioanne baptizari, quia per hanc occasionem innoscere populo Iudaico (Io. 1, 31.), et partim missa voelitus voce Filius Dei, partim adspectabili signo instructus Spiritu declarari debebat, quem Spiritum, ut haberet ipse, ita posset eumdem velletque aliis tribuere (Io. 1, 33). Hoc enim, quod baptismum non recusauit, ipse ideo se facere dicit (Matth. 3, 15.), ἵνα πᾶσαν δίκαιοσύνην πληρώσῃ, ut cumulate satisfaceret officio, plene ac perfecte facheret, quod esset ius, fas, δίκαιον, nihil officii inulla parte vitae munerisque reliquum facheret, adeoque, et si ad eum baptismus proprie non pertineret, tamen eum ut occasionem Φανερώσεως susciperet \*). Tam late patent, quae cum illo duplici negotio docendi subeundaeque mortis, per omnem decursum vitae Christi in his terris, coniuncta fuerunt, et singula cum mandatorum Patris peractione cohaerent. Quare in singulis his subeundis, admittendis, praestandis, cernitur illud ποιεῖν τὰ ἐντεταλμένα.

Vidimus de rebus in facto positis, cum duabus palmariis, tum ceteris, ad has accendentibus, quibus ambitus huius operis, de quo loquiunur, continetur. Iam seorsim, quo animo haec a Christo ita facta sint et tolerata, et de interiori vera que deum animi obedientia dicamus, per quam illa

\*) Cf. Danzius de inauguratione Christi ad docendum, haud obscuriore Mosaica: in Meuschenii N. T. Talmude illustrato p. ,II.

illa facta cum virtute facta iudicari possunt, et proprie obedientiae naturam accipiunt. Vbi ergo aliquis mandata Dei exsequitur aliquo negotio gerendo, eius minister in eo est, (de hac vna enim re nunc dicimus) ibi conformatio mentis, virtutem ipsam continuens, spectatur partim negotio *sustipiendo* pronte, lubenter, sine tergiuersationis suspitione, immo vero animo ex ea re laeto; quod possit suscipere; partim eo sic *gerendo*, ut, plane deditus Deo, eius normae, praescripto et voluntati obsecundes, nihil tibi sumens vel imminutando, vel einolliendo, vel omittendo, vel impatientius optando, nihil respiciens te, tua commoda, lucrum, honorem, aut incommoda odii, ignominiae, doloris, molestiae, sed in id unum intentus, ut memori menti obuergetur res, tibi iniuncta, tamquam norma, fiatque penitus, utique, recte, quod fieri gerique vult Deus. Quod si haec omnia cum hac mentis conformatioe fiunt ideo, quamam amore erga eum, qui postulat, et erga hos, quorum causa et einolumento fit, duceris: adeo id quod omnem virtutem perficit, quam omnem ab amore erga Deum oriri, et amore erga alios regi seruarique debere, centies tradit doctrina christiana. Quae si est obedientia, qualis in religionis doctrina describitur: nec iniuriam habet ab opinione durius cogentis, et pro arbitrio iubentis domini, hoc est, non potest isti, qui postulat; videri durius cogendo iniuriam facere alteri, et ut iniurias describi; nec humilitatem vel indignitatem a coactione mera aut coecitate subditi. Obedire Deo, est, scientem volente inque consiliis eius et institutioni se accommodare.

Hanc talem animi conformatiōem in negotio, quod Iesus volente Patre peregit, constanter fuisse, loquuntur eius sermones, et crebra huius rei professio; loquitur oīnis eius historia, narrans modum, quo se et in docendo, et in patiendo moriendoque gessit; confirmat denique locus ex epistola ad Ebraeos, nisi fallor, euidens.

In sermonibus quidem quoties mentionem facit Christus animi, nihil sibi in munere suo adrogantis, nihil pro arbitrio docentis, et in quacumque re nitentis vel iussu, vel auxilio Patris (Io. 8, 29.), id unum agentis, ut Patris amor, sapientia, benignitas, iustitia in capiendo et exsequendo consilio; quod summam doctrinae Iesu continet, cognoscatur ab hominibus colaturque, nullo respectu ad gloriam insignemque hominum opinionem de docente et exsequente illud consilium. Impressa sunt iisdem sermonibus signa animi, nihil cedentis odio, insidiis; nihil inclinantis ad errores excusandos; sed memoris, cuius veri pandendi causa missus sit. Inest significatio voluptatis, ex occupatione, ut ex animi pabulo (Io. 4, 34.), captae pascit enim animum, officio praestando probari Deo. Inest professio promtae voluntatis in suscipiendo sponte negotio: nec palam, nec teste indicat, se vel tantillum sibi videri coactum, se nimium sibi imponi, durius se aut iniquius tractatum existimare (Io. 10, 18). Adeo lubens omnia suscipit et peragit, ut haec praeoptet aliis bonis (Ebr. 12, 2. 2 Cor. 8, 9). Mauult ipse talis esse, talia gerere, talia perpeti, quam homines esse miseros, quos redi felices Deus volebat (Rom. 15, 3. Io. 6, 38. 39). Ad has significaciones de-

missi animi, studii paratissimi, propositi sponte capti, ad hos fiduciae ac reuerentiae sensus, accedit debat amor erga Deum peculiaris (Io. 14, 31.) et erga homines (Io. 10, 4.), quos ab se ad cognitionem Dei et Messiae salutarem adductos esse, in fine muneris docendi veluti triumphans, et sui sibi studii conscientius, profitebatur (Io. 17, 3.), et quorum redemptorem promtum se moriendo quoque esse laetabatur (Io. 10, 11 seqq.), praebiturus simul patiendo moriendoque adspectabile exemplum cum virtute se gerendi in exsequendis mandatis. Ab hac enim conformatio[n]e ducebatur facultas se mox colligendi, sicubi metueret (Io. 12, 27.): ducebantur inaudita placabilitas et tolerantia. Hanc animi indolem denique comitabatur tamquam chorus quidam omnium illorum recte factorum, quae ut plurimum intelliguntur, ubi homines, morali legi officiis varie praestandis obedientes, describimus.

Supereft locus epistolae ad Ebraeos (10, 5.), interioris huius obedientiae confirmandae causa tractandus. Eo in loco docemur, Messiam, qui alicubi (Psalms. 40.) in terras adueniens, et opus illud suum inchoans, describatur, de mente sua erga Deum et proposito ita loqui, se scire, rituali cultum Dei proprie ac per se non verum cultum a Deo censeri, sed ab eo animum respici: itaque se malle voluntati Dei, cuius, bene memor sit, omnino obedire, et nominatum, quae ille postulet, facere. Hic vero tradi illam vniuersam sententiam: Obedientiam externis ritibus sacris praestantiores esse: tam perspicuum est, quam illud ad intelligendum procline, causam huius-

modi iudicij de obedientiae pretio in natura Dei hominisque, et necessitudine huius hominis cum Deo, positam esse, spiritumque a spiritu animo et mente colendum, si hic illum conuenienter suae illiusque naturae colere velit. Ergo non de factis, qua sunt facta, non de externis, sub sensu cadentibus; sed de interiori mentis sensu, prompto paratoque ad satisfaciendum alterius voluntati, hoc loco sermo est. Hic enim sensus, dominans velut in animo tum, cum per facta satisfit alteri postulanti, transfert facta ad virtutis decus, eaque iudicio Dei probata reddit. Hic sensus est in mente, et a spiritu erga spiritum sumitur atque exercetur, efficitque cogitata et studia unius congrua cogitatis studiisque alterius. Hic sensus est, qui antecellere facta et externa dicitur. Hic sensus vnicce intelligi debet tum, cum a factis discernitur obedientia, ut causa, e qua facta proficiantur, ut indoles, quacum coniuncta facta patrantur, ut aliquid, addens factis pretium ac dignitatem.

Quidnam autem ex iis omnibus, quae Iesu, post aduentum in has terras, fecit, ut Patri obtemperando placeret, hoc huius epistolae loco potissimum respiciatur, intelligi ex illo additamento potest, ἡμᾶς εν Θελήματι τάτῳ (quia Deus a Iesu hoc fieri voluit, et Iesu illud Θέλημα ἐποίησε) ζηγιασμένας εἶναι, et quidem διὰ τῆς προφορᾶς τῆς σώματος Χριστοῦ. Ergo Patri tribuitur, eum fieri aliquid a Iesu voluisse, ut homines puri redderentur. Iesu tribuitur, eum, sic volente Patre, mortem suscepisse, ut puri redderentur homines. Praecesserat, Θέλημα ποιεῖν esse, obedire proinde ac lubenter, et hoc longe ante-

antecellere omnia, quae fiant Dei causa. Proinde Iesus, dum iubens, promptus, non recusans id, cuius causa venerat, mortem suscepit, et hoc animi sui sensu placere Patri voluit, Patri obediuit: estque Filius obediens, hoc in loco, iubentissime suscipiens et promptissime peragens consilii diuini, quod exequi debebat, hanc partem, ut mortem subiret hominum causa \*).

Illud autem, homines morte Christi puros redditos esse, nunc indicat, eos hac morte naestos esse veniam peccati, et post hanc mortem certos esse de venia: quem ad modum ii, quorum causa olim victimarum certa genera offerebantur, oblationes tali veniam nanciscebantur, et post oblatio-

## X 3

nem

\*) Io Gerhard. Loc. Theol. T. 3. p. 307. fieri non posse contendit, ut actiua obedientia separetur a passiua, quia in ipsa Christi morte concurrent *voluntaria* illa obedientia et ardentissima dilectio, quarum prior Patrem eius, posterior homines respiciat. Idem in Exeges. T. I p. 536. §. 323. monet, actiuan et passiuan obedientiam accuratissime nexas esse, cum passio fuerit actiua, et actio passiua. Cf. Zachariae biblische Theologie P. 3. p. 381. 414. Atqui hoc est aliis verbis: *cum virtute morem suscepit*. Quod si alio transferatur, est in alia re, *cum virtute docuit*. Jam, docendo morteque subeunda ἐποιησε τὸ ἔργον τῆς πατρός. Ergo negotium duplex, a Patre sibi demandatum, cum virtute exsecutus est. Crusius, cum in libro *de decoro divino* p. 139—142. (quem Pezoldus sic inscriptum, von dem, was Gott geziemet, vertit) eadem de re disservisset, Christum sponte voluisse suscipere calamitates, ταζειων, mortem, et haec omnia praeoptasse, cum fieri etiam non potuerit, ita pergit: Sehet da einen freywilligen Gehorsam, den er leistete, ohne Verbindlichkeit, Drohung, Zwang, nur weil er wuste, dass der Gehorsam seinem Vater wohl gefallen würde.

nem certi de venia erant. Scriptor enim, versans in comparatione Leuiticarum victimarum cum victimis Christo, negat, illis posse homines eos perfici (*τελεισθαι*), qui aram victimas oblaturi adeant. Idein his verbis repetit, caesas victimas proprie non posse tollere peccata, sed quamquam de die in diem caedantur, tamen non puros reddi homines, non liberari conscientia peccati, metuque ac sollicitudine, necessario inde fluente. Quae synonymorum permutatio aut nihil valet in interpretando; aut (v. 10,) homines, oblatione puri redditi, (*άγιασθαι* enim, cui *καθαίρειν* substitutur, est, purum reddere) dicuntur, qui oblatione liberati sunt conscientia peccati sollicita et perpetua, siue *veriam nasci*. Continet igitur hie locus, mea quidem sententia, haec dogmata: primo, Operis Illius, quod peragi Pater a Filio voluit, partem fuisse, suscipere mortem: secundo, Filium animo lubenti ac prono hanc rem suscepisse atque perficisse, eaque etiam re exsequenter consilium paternum obediuisse Patri: tertio, Captum esse hoc consilium, institutumque hoc opus, ut homines eo, quem dixi, sensu puri redderentur.

Hi sunt ergo loci, in quibus mentio fit obedientiae, quatenus hoc dupli negotio continetur, enuinerandis partibus eius, et animo Christi in ea re describendo. Sed interdum etiam simpliciter ponitur verbum, sine tali additamento, quod factum ipsum monstrat, quo Iesus obedierit. Vnum hujusmodi locum (Matth. 3, 15.) supra exponere studiunus, fecuti seriem orationis. Alter est Pauli locus (Rom. 5, 19.), comparans Adamum, qui omnibus hominibus nocuit, cum Christo, qui omnibus

omnibus profuit; et commodum, quod Christus nobis attulit, ponens in iustificatione. Quae iustificatio cum constanter repetatur a morte Christi, eam adferente, seu a morte, quæ in mors *εἰς ἀφέσιν ἀμαρτιῶν* dicitur; nunc vero ab eius obedientia repetatur, et propter hanc contingere dicatur: consequitur, in obedientia, cui haec vis et hic fructus adscribatur, nullo modo nunc docendi negotium, quo Christus functus est, intelligi, cui *μυστικά* adscribitur vis ad iustificandum; sed mortem eius. Ut autem in notione *παρακοῆς* Adamitiae, omnibus noxiae, intelligitur, praeter male factum, renitens Deo sensus, et praescripto contraria mortalio (quod utrumque, Adami historia docente, constitit cedendo cupiditati, et huius dictaminis potius, quam legis voci, obtemperando): sic in notione *ὑπακοῆς* Christi, quam ad mortem referri vidimus, intelligi praeter mortem debet animus, qui, quod singulari de causa certoque consilio ab eo postulatum fuerat, ut moreretur, id lubenter ac promte suscepit subiitque: sic enim morti se offerens alterius voluntati se accommodauit, nec aut sensu, aut facto renisus est, nec suum potius habitu, quam dictamen alterius, secutus: sic uno verbo, saeris literis in ea re visitato, obediuit.

---

## X

*Differitur**De Deo, Spiritu, ad popularem intelligentiam accommodate describendo.*

**Q**uoties in sacris literis verba occurunt, quae ex usu vitae communis, quo satis trita fuerunt, a viris doctis in disciplinas literarum et scholas translata, et artium vocabula facta sunt, ibique propriam sedem et certam vim habere coeperunt, quippe docendi causa subtilius definita: toties existimandum est, ea in sacris literis e communis vitae usu potius capienda, quam ad disciplinarem scholarumque consuetudinem aestimanda esse. Hoc nemo promemodum in dubitationem ibi vocat, ubi *elementa religionis*, quibus aliquamdiu uti voluit Deus *humanum genus*, quae inter Iudeos nominatiū fuerunt, ritus potissimum et adstrictior legis externarumque rerum disciplina, dicuntur a Paulo \*) *σοιχεῖα τῆς κόσμου*. Conceditur et ibi aperteisque, ubi hominis *πνεῦμα* et *ψυχὴ*, coniunctim nominata, potius in uniuersum cogitata sensa et

\*) Gal. 4, 3. Coloss. 2, 8. Hoc cum iam viderit Tertullianus (c. Marc. 5, 4.), et causam sic loquendi veram animaduerterit, quia *primae literae* sic adpellantur: mirum est, alios veterum, quorum locos Suiceti thesaurus continet, alias causa, quae siuisse, et in elementi et in mundi notione, atque maluisse hoc verbum e philosophorum veterum consuetudine interpretari.

*et studia* \*), ipsamque adeo *mentem* \*\*), exprimunt, ut populariter de his loqui solemus; quam eo sensu dicuntur, quo scholae subtilitas rationem et adpetitionem, ut facultates, aut modos exercendae facultatis, distinguit. Agnoscendum etiam est tum, cum ὄρεσμὸς et προορισμὸς Dei \*\*\*), et humanae fortis externae destinatio \*\*\*\*), magis indicant *confilia* Dei, secundum quae sapienter moderatur res, ut vult; aut fortem, quae, ut sunt res, vix alia esse exspectarique potest: quam in priore lubitum, sic utique agendi, non aliter; aut in posteriore immotam necessitatem. Ac profecto, cum sacrorum librorum scriptores neque ad scholarum modum eruditi fuerint, neque disciplinam religionis doctis hominibus docte exponere debuerint et voluerint; sed, ita gubernante Deo, rectas de Deo, Deique saluberrimo quodam consilio et opere, sententias hac de causa proposuerint, ut harum rerum scientia disciplinam pietatis in Deum omnisque virtutis contineret: non videntur, ubi verba, scholis pariter ac vitae communia, usurpant, ex illis potius, quam ex hac, interpretandi; nec debet notio, quae tantum ad cognoscendum et contemplandum valet, ei anteferri, quae ad agendum spectat.

## X 5

Quam

\*) I Thess. 5, 23. Cogitata, sensa, facta, a vitiis *integra*.

\*\*) Ebr. 4, 12. *Ad animum usque vulnus penetrat, ipsum animum scindit.* Est, qua modum loquendi, nihil aliud, quam Luc. 2, 35, ἡμφατικὸν διερχόμενον ψυχήν, *acutissimus dolor mentis.*

\*\*\*) Act. 2, 23. I Cor. 2, 7.

\*\*\*\*) I Thess. 2, 3. καὶ μεῖζον εἰς τέτο, hoc est in fatis nostris.

Quam quidem cautionem obseruandaē diuersitatis quis non videt, non in contentum disciplinarum trahendam esse, quasi hae pugnent cum religione, aut discidio sint ab ea sciungendae: vnum illud dicitur, sermonem, vni proprium, alteri non immiscendum esse.

Huiusmodi diuersitatis obseruatio locum habere tum quoque debet, eum Deus spiritus dicitur, et spirituale, quidquid diuinum Deique simile est, aut ad Deum vlo modo refertur. Nam *simplicitas*, omnem materiae concretionem et dissolutiōnem excludens, quae hodie in metaphysicis dicitur, et spiritui proprie vindicatur, et si potest intelligi, vbi Deus spiritus appellatur: nam res est per se vera: tamen an ab ipsis scriptoribus sacris intellecta, et in sacris libris, per illorum temporum historiam et consuetudinem loquendi, intelligenda sit, dubium est, aut iure potius negatur. Neque enim haec notio subtilior (*de populari*<sup>\*)</sup> nobis non est sermo; nec de notione τὸς ἀρχῆς, τὸς ἀσωμάτῳ) cadit in homines indoctos et intelligentiam vulgi: neque videtur fundamenti loco ponи posse in religionis doctrina, quae omnia tradit, vt inde sensus et facta deriuentur. At illa simplicitatis notio, quo tandem modo fiet πεπλακτική<sup>\*\*)?</sup> Ipsi adeo veteres et πνεῦμα et simplicitatem aliter in scholis dixerunt, ac hodie designuntur:

\*) Luc. 24, 37. 38. 39.

\*\*) Nam hinc concludere velle ad officium simplicitatis et integratatis morum et animi, vt Buddeus in instit. theol. dogmat. p. 285. fecit, id magis est, vocabulum simile arripere, quam e rei natura concludere.

tur: erat enim in eorum libris id simplex, quod partibus eiusdem generis (homogeneis) constat: quod cum aliunde notum est, tum ad Cudworthum Mosherius saepenumero admonavit. Potest rursus ac debet in locis, de Deo spiritu agentibus, interdum cogitari Deus, qui et *intelligit*, et *vult*: quae duo nos fere cum notione spiritus coniungimus: sed primo non semper et ubique; deinde non simpliciter, quoniam adiungitur fere notio summae perfectionis intelligendi volendique; deinde non sic, ut intelligendi vis spectetur, quoad est prima in natura spiritus, qua dignoscatur a ceteris rebus: quae philosophiae propria disputatio est. Sed haec vix egent verbis, et sumi propemodum potest, spiritum et spirituale, si in sacris literis de Deo legatur, non subtiliter dicis; sed *variis modis naturam perfectionemque divinam* exprimere: nec poni contemplandi quae rendique causa; sed ut aliquis erga Deum spiritum sensus hominis excitetur, aliquod studium propositumque agendi commoueatur et confirmetur, uno verbo, ut hoc, Deum esse spiritum, sit *περιγματικόν*.

Ergo ille Deum spiritum ad popularem intelligentiam accommodate describit, qui docet, quomodo ad agendum transferenda sint, quae de Deo spiritu, hoc est, de naturae Dei perfectione admiranda, quoad effectis cognosci potest, in sacris libris ita dicuntur, ut huius admirandae perfectionis cogitatio sensus et facta gignat. Id nunc in quibusdam exemplis experiri, nobis proposatum

tum est \*). Proinde non est haec nostra disputatio dogmatica de spiritualitate Dei, ut dici solet; nec de tertia nominati<sup>m</sup> persona diuinitatis \*\*); non item significaciones huius verbi omnes grammaticē colliguntur \*\*\*), aut quo se ordine exceperint, aliaque aliam genuerit, ostenditur †): sed *obuias et certae quaedam* significaciones sic tractabuntur, ut inesse materialm πρακτικὴν, et quænam, et quomodo insit, facile ac sponte adpareat.

In primis perspicuum est, notionem spiritus, in Deo cogitando, *in signi potentiam* indicare, quae a celeritate et nouitate ††) efficiendi, effectae que rei magnitudine, plurimum admirabilitatis habeat, auocetque hominem ad ea mente complectenda, quae naturae vniuersae hominisque conditionem longe superent. Nam primo πνεῦμα et δύναμις coniunctim se exserere dicuntur, cum homo vel facit, vel habet, quae ipse nec facere, nec habere potest, sed Deus per eum agit, eique dat †††): et est in talibus πνεῦμα καὶ δύναμις, diuina vis. Permutantur etiam notiones spiritus et potentiae, vt, quod uno in loco dictum sit fieri spi-

\*) Fecit idem Gerhardus in Locis theol. in exegesi T. I. p. 271. n. 122. 123.

\*\*) Haec Koernerus noster accurate pertractauit, diligenter sc̄o argumentorum dilectu, in programmate Pentecostali a 1779.

\*\*\*) Hoc Flacius fecit in Clav. S. S.

†) Cf. Doederleinii institut. theol. P. I. p. 248. 335. vbi plures laudantur, quibus addi potest Repertor. Eichhorn. P. 2. init.

††) Intelligo τὸ παράδοξον, *in usitatum et nouum*, Luc. 5, 26. cf. Marc. 2, 12.

†††) Luc. 1, 17. Act. 10, 38. 1 Cor. 2, 4.

spiritu, id in altero potentiae diuinæ tribuantur \*). Tum non imbecillitati tantum, nominibus ἀσθενίας et σφράγεις expressae \*\*), saepe contrarium ponitur πνεῦμα; sed et robori atque viribus permagnis, vfitatis tamen et humanis, vt adeo πνεῦμα exprimat summam diuinamque vim, quam nihil aequet: veluti cum Iudeorum templum post exsilium instaurari dicitur \*\*\* ) non viribus et opibus (vfitatis humanisque), sed spiritu Dei, hoc est, vi atque moderatione diuina. In quibusdam vero locis etiam halitu \*\*\*\*), halitu oris †), dicto Dei ‡), fieri res dicuntur, vt explicetur illustreturque notio spiritus: sed his tribus loquendi modis saepe vim potentiamque diuinam describi, quae sola sufficiat efficiendo, absque molitione, dilatione, impedimento, dubitari nequit. Ut autem alibi omnia condita dicuntur spiritu, halitu, iussu: sic in apocalypsi Ioannea ††) omnia legimus sic *volente creatore* condita. Ita vero res ad proprietatem loquendi reuocatur, est que adeo hic locus Ioanneus exemplum talia proprie intelligendi, et interpretationis propriae defensio. Si ergo credibile est, cum Iudei semel consueuerint, exprimendae potentiae causa Deum describere iubendo efficientem, iussu vero

\*) Matth. 12, 28. cf. Luc. 11; 20. 1 Petr. 3, 18.  
cf. 2 Cor. 13, 4.

\*\*) Clasicum in hac re locum esse Ies. 31, 3. multi monuerint.

\*\*\*) Zachar. 4, 6.

\*\*\*\*) Job. 33, 4.

†) 2 Thessal. 2, 8. Ies. 11, 4.

‡) Psalm. 33, 6.

††) Apocal. 4, 11.

vero adpellarint etiam halitum et spiritum; sed si eredibile est, eos ideo diuinam *omnino* potentiam spiritum nominare coepisse, obliterata vocabuli origine: consequitur, in rebus effectio[n]is celerissimae et nouae, (vt in miraculis) et admiranda[m] magnitudinis, Deum spiritum et Dei spiritum indicare eum, qui halando, iubendo, *volendo*, efficit, uno verbo *potentissimum*: cuius summa potentia eo ipso a nobis aestimatur, quod sola voluntas eius ad efficiendum sufficit. Quidquid ergo fit a Deo potenter, eo quod vult, id interdum per spiritum fieri dicitur. Sic evanescit animus humanus ab his, quae sub sensu cadunt, ab halando, spirando, iubendo, ad dignam Deo, informatque sibi praelatam diuinae perfectionis notionem. Non minus ergo interdum valebit ad sensus admirationis, venerationis et laudis, audire et legere spiritum, quam audire et legere omnipotentiam diuinam; nec minus illud, quam hoc, ad popularem intelligentiam accommodare describi poterit, adiutum praesertim sensu celeritatis in efficiendo, et potentatis, omnem aliam potentiam exsuperantis.

Nec dubitari potest, ubi spiritus dicatur, ibi interdum, ipso vocabulo monente, intelligi eam Dei perfectionem, qua *habet* ipse in se *vitam, vim, motum*, quam vitam non aliunde accipit, qua privari nequit, quam ipse aliis dat, subtrahit, restituit. Ut alia exempla mittam \*), comparat Paulus \*\*) Adamum et Dominum coelestem ita, vt illi tribuat, ζωτας ψυχην, vitam, quae est ab aere, halitu, respiratione, quam aliunde accepit,

quae

\*) Vid. in primis Psalm. 104. 29. 30.

\*\*) 1 Cor. 15. 45.

quae, aliunde conseruatur, quae cessare potest, uno verbo, vitam et motum corporis, sub sensus cadentem. Sed coelestem Dominum dicit πνεῦμα, qui non corporeo modo viuat, perennetque halitu, aere, respiratione; sed et habeat ipse in se motum, vitam, perennitatem, quam adeo amittere nequeat, ut aliis potius amissam corporis vitam restituat. Ut ergo sacrae literae vitam Dei et sempiternitatem tractant saepe ad nostrae humili-tatis et fragilitatis sensum excitandum, diuinamque perfectionem admirandam, cui debetur, quod omnia sunt, intereunt, restituuntur: ita his ipsis cogitandis locus erit interdum in spiritus notione. Et quam magnificum est de Deo illud, μόνος αὐτοστολεύ ἔχω \*), tam splendida est interdum spiritus notio.

Est etiam, vbi spiritus *omnibus praesentem* et *omnia scientem* Deum indicat, veluti cum in notissimo loco Dauides, negans, quempiam effugere posse spiritum Dei, hoc multis verbis ita explicat \*\*), ut neminem latere posse dicat Dei adipicatum, Deum vero ubique adesse, et quidquid vispiam sit lateatue, planissime scire, et tamquam deprehendere. Ergo spiritum cogitare, habet debetque habere idem pietatis in Deum et verecundiae incitamentum, eamdemque virtutis cautelae sectandae disciplinam, ad quam nos inuitat, quidquid ullo in loco de omniscio et omnipraelente Deo aliis perspicuis verbis dicitur.

Est

\*) I Tim. 6, 16.

\*\*) Psalm. 139, 7.

Est item, vbi *scientia Dei summa*, et *confilia*, *Deo soli nota et propria*, ad quae intelligentia humana penetrare nequit, nomine spiritus significantur \*): ut adeo versio veteris testamenti graeca, quam Paulus fecutus est \*\*), in loco prophetico spiritum Dei simpliciter interpretata sit *intelligentiam et confilia*. Quae cum et in se habeant admirationem, atque Deum humana exiguitate longe maiorem describant: cum praeterea conuertantur a Iesaiā in Iudeorum solatium, a Paulo ad praestantiam diuinamque originem christianaē religonis declarandam: cognoscitur, quo modo haec possunt fieri *πρακτικα*, et dici ad intelligentiam popularēm accommodate, si non subsistatur in notione scientiae; sed pergitur ad scientiae magnitudinem, quae sola iam in promptu habet omnia, et ex qua quid sit in nos redundaturum, expetandum est, nec, si quid inde profluxerit, carpendum. In Paulino quidem loco idem est, quod in Ioaniteo \*\*\*), et aliquo Christi sermone †), vbi haec dicuntur ad sensum insignis beneficii (*χάριτος*) et felicitatis excitandum, et declarandam scientiae diuinitus acceptae *ασφάλειαν*. Euehitur ergo animus spiritu cogitando eodem, quo attollitur per illud, *μένος σεφός θεός* ‡).

Licebit

\*) Ies. 40, 13.

\*\*) Rom. 11, 34. I Cor. 2, 16.

\*\*\*) Io. 1, 18. *Nemini cognita confilia Dei de via salutis filius*, qui apud patrem fuit, nos edocuit

†) Matth. 16, 17. *Hoc non tuum debile ingenium, sed Deus (per doctrinam) tibi dedit*.

‡) Rom. 16, 27.

Licebit etiam hue referre, futuras res, vni Deo cognitas, per spiritum praedictas dici. In quo, siue quis omnino Deum, siue personam nominatim tertiam intelligat, de quo nunc non quaerimus, tamen necessario cogitandum est de *omniscientia*, cui etiam futura patent: vt tum, cum simpliciter Deus dicitur per ministros suos futura denunciaisse, id quod facimus omnes argumentum omniscientiae.

Adeo impressa sunt vocabulo spiritus, in Deo cogitando, vestigia non intelligentiae modo, sed intelligentiae quoque perfectissimae.

Cum ergo Iudei solerent, ad declarandam intelligentiae diuinae perfectionem, dicere spiritum, siue ambitum scientiae diuinae immensum describere vellent, siue sapientiam, siue propria Deo consilia, et recondita penitus homini, nisi patefacta fuerint: mirum non erat, si eo vsque progrederentur, vt aut propter excellentiae similitudinem, aut quoniam omnia praeclara debentur Deo, vt ergo etiam hominum in humanis rebus eximia intelligentia ad spiritum referretur, et artifex, ingenii eximiis dotibus artisque egregia scientia instructus, adpellaretur edocitus Dei spiritum \*), praeditus *scientia* aut tali, qualis est Dei, *eximia* et inusitata, aut quam Deo debet. Videtur enim in hoc loco de artifice nihil aliud intelligentum, quam quod et nos dicimus, aliquem egregia rerum humanarum scientia a Deo instructum esse, adeste alicui Deum ita, vt excellat scientia.

Sed

\*) Exod. 31, 3. cf. Dathius ad Glass. philol. l. p. §19. et Ies. 4, 4.

Sed alia sunt, multo luculentiora, et visitationes, et propriam causam habentia, quae cum notione Spiritus, quem homo habere dicitur, coniungere iubent notionem scientiae diuinitus datae, certissimae, ad felicitatem utilissimae, et propter Deum auctorem, ultra omnem humanam cognitionem eiusclae: ut et in his *praeflantissimae scientiae virtute* et notionem mente concipiat, qui Spiritum cogitet. Nam, ut tantum communia christianis omnibus dicimus, cui Deus Spiritum dedit \*), qui Spiritum habet, qui *πνευματικὸς* est \*\*), is gaudet rerum reuelatarum scientia, nouit certa Dei consilia et beneficia, quae non nossemus homines, nisi essent nobis detecta \*\*\*), ideoque se dicit teneare σοφίαν, ῥῆγν κυρίαν †), omnemque suam cognitionem adpellat *πνεῦμα* ‡). Non addimus hic, quae nonnullis tantum, qui Spiritum habere dicuntur, contigerunt sub initia christiana religiosis, et fere nuncupantur *χαρισματα* singularia ††), et si in his quoque sunt documenta eximiae rerum diuinarum intelligentiae, qua illi *πνευματικοὶ* gaudebant: sed nolumus in omnis generis exemplis

ver-

\*) 1 Io. 3, 24.

\*\*) 1 Cor. 2, 15.

\*\*\*) Ibid. v. 9. 16.

†) Ibid. v. 6. 12.

††) 2 Cor. 3, 17. Cum, inquit Paulus, *dominum dico, intelligo illam diuinissimam datam religionis scientiam*. Ergo ad dominum accedunt Iudei, qui hanc scientiam religionis amplectuntur. Etiā Galat. 3, 2. 3: 5. *πνεῦμα* est scientia religionis, interna spectantis, cum effectis et commodis suis, ideoque praestantior religione Iudaica, ad externa tantum pertinente.

†††) 1 Cor. 12, 1—10.

versari. In his autem, communibus aequa ac singularibus, propria causa sic loquendi est, quod Christus apostolis promiserat adiutorem aliquem, ipsis suo loco ad futurum \*), omnibusque christianis ostenderat \*\*) contingere Spiritum Dei, per quem ipse suusque Pater efficierent, quidquid ad religionem christianam propagandam reddendamque efficacem pertineret, quidquid in cognoscenda ea esset veri, et in ea sequenda sensibusque et factis exprimenda boni, cui Spiritui diuina efficienti hos, qui per baptismum inaugurate sunt religioni, vellet ita obstringi, ut hunc Spiritum, aequa ac Patrem et Filium, profiterentur, colerent, ab eoque nominatum moralis boni omnis efficientiam et adiumenta, diuinum beneficium, exspectarent. Qui Spiritus sic describitur ab apostolis, ut habere dicatur δύναμις \*\*\*), instillantem, ingenierantem, augentem bona spei, laetitiae, concordiae, et alia, ut sit effector scientiae \*\*\*\*). Nam haud dubie apostoli, quidquid in describendo opere salutari appellant πνεῦμα, id post vberiorem Christi institutionem ideo dicunt πνεῦμα, quia ponunt et sumunt, esse aliquem Spiritum Dei, horum omnium effectorem et adiutorem: plane ut, cum religionem ipsam appellant Christum aut Dominum, veluti, *Christum docere et discere*, et nosse consilia Patris et Filii dicunt ἔχειν πατέρα et οἰκον, sumunt et ponunt, esse Patrem et Filium,

\*) Io. 14, 17. 26.

\*\*) Luc. 11, 13.

\*\*\*) Rom. 15, 13.

\*\*\*\*) Ephes. 1, 17. πνεῦμα, ἡ πνευματικότης.

esse Dominum, quibus debeamus hanc religionem; hanc scientiam, haec bona, qui ceperint haec consilia et exsecuti sint. Sed siue in talibus spiritus sit ipse effector et auctor, persona; siue efficientia eius et effectum bonum (sic enim variatur verbi usus): manifestissimum est, sacros scriptores, de spiritu loquentes, indicare etiam eam rerum diuinarum scientiam, quae sine Deo locum non habeat, vniuersa Deo debeatur, superet omnem inventionem humanam, sitque sapientiae plena. Vnde Paulus \*), hanc scientiam sibi vindicans, laetatur ea et adquiescit, ut egregia, etiamsi careat artium literarumque cognitione. Arbitramur enim, illud *ἐλάβομεν τὸ πνεῦμα τῆς κόσμου* significare: *non contigit nobis exquisita eruditio, qualis est vulgo hominum*, et ab iis celebratur, *σοφία τῆς αἰῶνος τάτου*: alterum vero, *ἐλάβομεν τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τῆς Θεᾶς*, hanc vim habere: *contigit nobis diuinitus concessa diuinorum consiliorum scientia, σοφία Θεᾶς*, quam Deus nobis per Spiritum illum, nobis promissum, impertit (v. 10). Addi potest, etiam *πνευματικὸν* dici, non modo qui habeat illam scientiam; sed in ea etiam excellat, prouectior, non tiro \*\*). Adeo verum est, in *πνεύματος* verbo exquisitae diuinarum rerum intelligentiae notionem, etiam ex propria causa, quia Deus eam per Spiritum impertit, comprehensam esse.

Qui ergo christiani in libris noui testamenti *πνεῦμα Θεᾶς* legunt, hi, nisi merum sonum praeter-

\*) 1 Cor. 2. tot.

\*\*) 1 Cor. 3, 1.

teruolare aures patientur, aut hebetem habeant ad magna beneficia sensum, admonitos se intelligent, ut de scientia graui et utilissima cogitent, quae a Deo per Spiritum eius in omne genus humanum deriuata, et omnium communi felicitati destinata est, quae nouam rationem *χαρίτος Θεος* describit, noua documenta paterni animi diuini pandit, nostrasque mentes de his rebus edocetas transfert cogitatione et spe ad futura, felicitatis certae et duraturae plena. Sentiet aliquis, cur ea re, quod potitus est hac scientia, tenet pignus felicitatis futurae \*), nec Deus, qui talem scientiam inchoavit in his terris, destituere possit olim hos, quos in hac vita excitarat ad futura et praeparauerat, quibus alia in posterum promiserat. In his esse materiam sensuum piorum, et haec populariter dici posse, num verbis eget? nisi vero obscurum est, cogitanda scientiae praestantia et utilitate aliquem ad laetitiam, animumque gratum erga auctorem eius, commoueri posse.

Breuiores esse possumus in illo declarando, quidquid sit *refum, bonum, pium*, nullaque ex parte abnorme, malum, peruersum, id quoque saepenumero in Deo spiritu aut Dei spiritu cogitando comprehendendum esse: et proinde hominem *πνευματικὸν*, aut *ἔχοντα πνεῦμα*, dici ea cum Deo similitudine perfectionis moralis gaudere, qua sit nulla excellentior et homine dignior; eo sensu regi et ferri, quo sit nullus melior Deoque probator; et quod homo talis fit maneatque, et huius perfectionis incrementa capiat, id omne esse

esse πνεῦμα, et deberi πνεύματι. Qui enim uno fertur impetu adpetitionis, atque eo rapitur vrgeturque more brutorum animantium, quasi nulla gaudeat ratione religionisque notitia, is, ut sacrae literae summatim loquuntur, non habet spiritum \*). Quid ergo non habet? Nec voluntatem, nec propositum, nec studium sentiendi agendi que conuenienter dictamini diuino, uno verbo, morali perfectione ad quam Deus per auxilium Spiritus et religionem adducit, destituitur. Habet igitur e contrario πνεῦμα, qui religionis beneficio ad hanc moralem perfectionem venit. Ipsa lex Dei, cuius dictamini mens emendatior hominis obtemperare studet, cur dicitur πνευματική \*\*)? Nempe quoniam abstrahit a vitiisitate, et sine fine tendit ad virtutis pietatisque incitamentum. Et est in hoc loco ἐντολὴ ἀγία, δικαια, ἀγαθὴ, eadem quae πνευματικὴ, hoc est, lex, virtutis officiorumque magistria, perfectionis moralis norma, adpetitionique illicitae contraria. Quemadmodum præterea vox et dictamen instigantis ad mala rapiensque cupiditatis est νόμος τῆς ἀμαρτίας: sic vox et dictamen religionis, carpentis et minuentis illam cupiditatem, est νόμος πνεύματος, νόμος Θεοῦ, cui voce qui obtemperat, is Φρονεῖ τὰ τὰ πνεύματος, studiosus est eorum, quae πνεῦμα, quae Θεὸς prescribunt \*\*\*). Adeo vrget et repetit doctrina librorum sacrorum, πνευματικὸν inesse in morali perfectione, referrique ad Dei Spiritum, et origine, et similitudine. Nam non potuissent ita loqui

scripto-

\*) Epist. Iud. v. 10. 19.

\*\*) Rom. 7, 14:

\*\*\*) Rom. 8. init.

scriptores sacri, nisi posuissent illud fundamentum loco, Deum, in quo esset illa perfectio, nulla vero vitiositatis imperfectio ( $\sigma\alpha\eta\xi$ ), per πνεῦμα efficere in genere humano similem suae perfectionem virtutis, ut esset etiam inter homines πνεῦμα.

In quo autem is, qui Deum, spiritum, ad popularem intelligentiam accommodate describere vult, certiore in habeat spei excitandae pietatis, in hac doctrina latentis, de quo libenter in hanc partem dicat, quam de sermone Christi, Deum, ut spiritum, colendum esse docentis \*)? Quo sermone nihil repetiri potest ad maiestatem Dei dignius, ad iudicium de cultu Dei verius, et ad communendam eius colendi voluntatem amantius. Nimirum e quaestione, inter Iudeos et Samarianos controversa, de loco legitimo, in quo colendus sit Deus, nascitur ibi occasio docendi, instare tempus, quo is tantum cultus Dei quaeratur et postuletur, qui proprius sit cultus, sublata legis illius auctoritate, quae necessitatem atque officium cultus certo loco adstringendi introduxerat. Quod cur ita futurum sit, redditur haec ratio, quoniam Deus sit spiritus. Hoc ergo cogitandum est, ut inde consequi adpareat, quod Christus inde voluit concludi. Offert autem se haec cogitanti illud per quam facile, postulare Deum, ut ipse, cum non sit corporeus, πνεῦμα πνεύματι, mens mente, natura intelligens aliorum intelligentia, a similibus sui ipse similis eorum colatur. Si ea est nostra cum ipso similitudo, ut sit mens: non cadunt in

eum, quae aliena sunt a mente, quae non possunt recipi a mente, victimae, libatio, thus, omninoque quidquid corporeos sensus, qua sunt tales, tangit. Nihil enim horum, vt ipsi nostro sensu experiri, mentem, qua est mens, potest vlo pacto adficere, nisi mens illa voluntatem et animum offerentis talia, quae proprie nihil pertinent ad mentem, respiciat: id quod interdum iam a Mose, vbi non leges scribit, sed docet \*), centies vero in psalmorum et prophetarum libris admonitum est. Sic illud, mentem mente colendam esse, reuocat nos ad interiorem sensum nostrum, illustrat notionem cultus diuini ad evidentiam usque, (scimus enim ipsi, quid mens recipiat, quid eam non adficat) cauet, ne Deum vel homine prudenti humilius iudicantem existimemus, et uno velut ictu profligat multa, vt a vero Dei cultu proprie remota, hoc est, per nostram Deique naturam, per nostram cum Deo necessitudinem non necessaria, sed arbitraria. Iam mente *coli* vult Deus, ideoque inesse menti nostrae rectas sententias de se, qui creauit, conseruat, alioque beneficio per religionem libere tribuendo salutifer \*\*) nobis, et his tribus de causis noster Deus est, ipse vero in se perfectissimus; praeter has de se rectas sententias etiam iudicium rectum fieri de nobis ipsis, qui simus, cur simus, quid agendum, quo tendendum sit: vt secundum has deum sententias, et haec iudicia, colatur a nobis, hoc est, vt his congrui sensus erga ipsum, nos, alios, sumantur,

hisque

\*) Vid. Herderus de poesi hebr. P. 2. p. 118.

\*\*) 1 Tim. 2, 3.

hisque conuenienter agatur. Has tales sententias vt vbique colligere possumus: ita sensus inde ortos per adspectabilia potius signa, quam quidquid recte agendo, prodere, in certo potius templi loco, quam ubicumque stes, incedas, sedeads, exprimere, per naturam Dei hominisque non est necesse, nec erit amplius per arbitrariam legem necesse. Dum enim Christus loci necessitatem, exemplum ceremoniae, tollit, tollit et alias ceremonias: dum locum remouet, remouet, quae illi loco alligata sunt. Sed cur non est necesse? Nimirum qua rem ipsam propterea, quod abesse haec externa possunt, relicta tamen vera veneratione eius, qui noster Deus est; qua notionem spiritus etiam ideo, quod Deus est omniscius, cui ullius hominis recti sensus, recte facta, et horum cum illis nexus pateant. Qui ergo Deum, quoniam spiritus est, *mente colere* nos docet, is, dum spiritum dicit, haud dubie etiam *omniscium* vult intelligi. Et vidimus antea, cum omnem perfectionem Dei, tum omniscientiam nominatim, in Deo spiritu intelligi.

At quantopere haec doctrina de cultu spiritus euehit Deum ultra omne id, quod in honorando humanum esse, et imbecillitati tribui solet! Quam digna Deo est! Nos homines desideramus externam honoris significationem, vt et ipsi videamus, et ceteri cernant, nos coli; vt hoc faciat ad externalium rerum fortunam, et transeunte animi laetitiam; aut ne iure nostro priuemur, quod vel lex, vel consuetudo sanxit, et quae sunt alia. Horum nihil opus est in illo spiritu, in quem talia ne cadunt quidem: qui se interna mentis humanae conformatio[n]e adquiescere declarat, e qua ne tan-

tillum quidem accessionis ad ipsius beatitatem fit, sed quae vnicē nobis prodest: qui non humilius iudicat viris sapientibus, a quibus externa parui sunt, aut si exhibeantur, ad arbitrium, saepe etiam ineptias consuetudinis referuntur: qui omnisciens est. Nam qui negant, Deum colendum esse, quia non sit honoris cupidus, hi nec sciunt, quid sit, colere Deum, nec norunt, ad quem fructus illius cultus pertineat: de quo mox dicemus. Quid rursus amantius hominum est illo Deo, qui, cum per Christum declararet, qua ratione vere coleretur, eam rationem sibi, spiritui, caram probata inque declarauit, quae omnibus communis esset, (omnes enim possumus mente erga Deum adfici, ut par est) et a qua neminem lex natalium, angustiae patriae, disciplina rituum, extenorū inque exercitiorum arbitrium excluderent: qui religionem, in qua tamen vnicē spectatur, quo modo homines ad Deum referantur, et quid haec eorum cum Deo necessitudo postulet, qui ergo religionem ita instituit, ut, si religionem exerceant, faciant ea, quae necessitudo illa cum Deo postulat, et si huic necessitudini conuenienter agant, exerceant religionem. Nam in priore, in cultu omnibus communi, beneficium fit generi humano commune: in posteriore, et perpetuitas religionis, cum omnibus vitae partibus copulatae, singulisque factis velut intertextae, introducitur, id quod menti nostrae praesentem ubique seruat religionem, et occluditur via τῇ σωματικᾳ, τῇ ἀθελοθρησκειᾳ, τῇ παρατηρήσει τῶν ἡμερῶν \*), et

\*) 1 Tim. 4, 8. Coloss. 2, 16—23. Gal. 4, 10.  
Rom. 14, tot.

et aliis arbitrariis externisque. Quid amantius hominum illo Deo, qui proprie non postulat religionem, molestia ceremoniarum sedulam, auxiam, artificiosam; sed, quae est in mente, simplicissimam. Vis enim colere Deum? Persequere modo cogitando illud, te creatum esse conseruarique, Deum tibi et his de causis esse beneficium, et ea ratione, quam sacrae literae peculiarem detexerunt, tibi salutiferum esse velle, hoc est, te ab eo penitus pendere, et hoc age, ut beneficium et propitium tibi ames, ei gratus sis, ei te, quo cumque modo benefaciendi accommodes, nec voluntati tibi benefaciendi resistas. Quid amantius hominum illo Deo, qui religionis, quam esse vult mentis, exercitium constituit, quod totum ad animi nostri uititatem pertinet. Omnis enim religio, quae est mentis, exerceatur aut in sententiis, aut in sensibus, aut in factis. Quod si religio est mentis, exerceberis in sententiis ita, ut earum ambitum augeas, persuasionem firimes, nexum intelligas, salubritatem animaduertas, in iisque adultus fontes sensuum actionumque detegas, quos puer ne suspicatus quidem eras, aut si monstrati fuerant, haurire renueras. Capis ergo *tu* incrementa sapientiae. In sensibus vero, si religio est mentis, exerceberis ita, ut, quo plura in illis sententiis cognoueris argumenta, quare Deus sit admirandus, eo magis velis induere sensum venerationis; quo fortius urgeant argumenta, eo celerius induas sensum; quo saepius repetieris argumenta, eo altius infigas sensum animo. Veniet ergo *tibi* copia sensuum bonorum, facilitas eos instaurandi, et

adsuetatio animi iis occupandi. Haec vis sententiarium et sensuum dimanabit in facta, hoc est, efficiet, ut sint facta mentis, religione occupatae et plenae, facta, quae te exhilarant, *tibi* spem praemiorum firmant. Sic omnis utilitas, quam gignit religio cultusque Dei, spiritus, qui fit animo et mente, est *tua*.

Hinc in constituendo cultu Dei ex ea causa, quia Deus fit spiritus, notio spiritus indicabit eam omnino Dei naturam, propter quam proprietatis cultu prosequendus est, non per externa, corporea, arbitraria. Cui naturae si responderit cultus, colitur Deus *ἐν αληθείᾳ*, vere, recte, ut res ipsa, natura eius postulat \*).

Summa igitur huius disputationis haec fuit: si spiritus nomen, in libris sacris de Deo usurpatum, indicat potentissimum, sua vi interiore viventem aliisque vitae largitorem, omnipresentem et omniscium, sapientissimum, scientissimum, morali perfectione plane excellentem; si e spiritus notione concluditur, Deum naturae suae conuenienter venerandum esse: sequitur, spiritus notione et nomen exprimere variis modis perfectissimam eius, qui spiritus dicitur, naturam, et inde nasci materiam pietatis.

\*) Sic arbitramur facile iis responderi posse, quae Limborchius in theol. christ. 2, 4, 3. de hoc Ioanneo loco scripsérat, et propter quae eum nolebat intellegi sic, *Γεὸς εἰς πνεῦμα, sed Γεὸς ζυγοῖ πνεῦμα,* inusitata plane ellipsi. Vel breuis admonitio Bengelii in Gnom. ad Ie. 4, 24. illis dubitationibus satisfaciet.



## XI

*Ostenditur*

*in tradenda religione buc etiam respiciendum esse, ut eam experiendo cognoscere Christiani possint.*

Cum doctrina christiana homines de certis consiliis certisque beneficiis Dei, suaque cum Deo necessitudine, liquido edocere, edocentesque reddere tranquilliores et meliores, atque ita futurae post hanc vitam felicitati praeparare debeat: propositum nobis est, quaedam in futurorum religionis doctorum usus de experientia christiano-rum ea differere, sine qua doctrina christiana neque sic adficere animum potest, vt se quoque discenda ea vere diuino beneficio beatum esse firmiter statuat; neque in pectus ita penetrare, vt, liberatum sollicitudine de praesentibus, futurorumque metu vacuum, a Deo cum fiducia bene sperret, exhilaratumque maneat; neque mentem eo permouere, vt, conformata plane ad doctrinam, inuicto studio immotoque proposito dare se ad agendum pergit, omneique vitam exhibeat documentum intus habitantis doctrinae. Videtur autem, quoniam non ipsam experientiam describere \*), sed de officio accommodate ad illam adiuvandam docendi monere, constitutum est, hoc maxime

\*) De hac potest adiri Mosheimius. Sittenlehre der heil. Schrift. T. 4. p. 467.

maxime modo differendum, ut eorum, quae experienda sunt, exempla quaedam enumeremus: ita enim efficietur, partim ab his, qui alias erudiunt, inter alia eum tradendae doctrinae modum attendi et quaeri debere, per quem, qui discunt, adiumentur etiam experiri vim et usum doctrinae; partim, quinam ille modus sit. Sic fortasse morebuntur futuri doctores, etiam ad hoc consilium accommodate doctrinam religionis tradere.

Quid autem experiendum sit, omnino sic describi potest: attendendum esse, an adsit, beneficio doctrinae christiana, ad sensu probatae, tranquillitas hilaritasque mentis, cogitantis Dei natum, opera et consilia patefacia, et hominem, obstrictum Deo, euendeinque vitiosiorem, ac semper futurum; an serio lubenterque tendat mens, sic tranquillata, ad contraria superioribus et meliora studia et facta, per Iesum Christum monstrata, et argumentis commendata; et an mens, vfa hoc duce, eodeinque seruatore, adsequatur facile constanterque, quo tendat. Dum ita experitur mens, se, vt nuper nullo arguento tranquillari plane potuerat, ita nunc nihil sollicitari; et vt nuper adpetitionem, neque examinationem, neque gubernatam, secuta fuerat, ita nunc iudicium rectum et normam sequi: cognoscit simul hoc usu, se nunc praestare posse, quae olim non potuerat, se, hoc administriculo fultam, plus celeriusque, quam nuper opinata fuerat, praestare. Vnde rursus sentit et credit, quibus nec ipsa per se, nec per alium potiri potuerat, haec sibi nunc facilis negotio contigisse, ideoque omnem illum apparentiam in religionis doctrina propaganda, confer-  
vanda,

vanda, singulisque impertienda, non sine Deo et late patenti consilio diuino factum esse, seque vere diuino beneficio beatam, diuinaque efficientia mutatam esse, sibique nunc vsu constare de haud dubia diuinitate huius beneficii, cuius originem ad Deum referre per alia quoque argumenta didicerit. Sic laetabunda mens se accenset iis, qui grati profitentur, nisi haec doctrina ipsis procurata et exhibita fuisset, et iuuante Deo ab ipsis probata et in usum conuersa, se mansuros fuisse, quales antea fuerant, et, si mansissent, miseros futuros fuisse. Continetur ergo res partim experiendo, partim concludendo ex his, quae quis expertus fuerat. Prioris causa futuri doctores perspicuum facient, esse vbiuis in doctrina, quae tranquillent et emendent, homines hac institutione vbiuis uti posse, neque vim iis fieri, aut insciis et segnibus haec contingere: sic enim habebunt quod experiantur posterioris causa monebunt, quid attendendum sit, ut facilius concludatur, quod coneludi debet: ita enim poterunt concludere. Iam etsi neque arte, neque certa ratione atque methodo indiget, haec experiri et concludere: fit enim usu: tamen negari nequit, in docendo ad iuuandam rem respici posse. Atque hoc ipsum nunc quibusdam exemplis videamus.

Igitur omnium consensu experiendum est, an doctrinæ singula capita *necessaria* cum ad placandum animum, tum ad regendam vitam valeant. Quae enim doctrina ceteris, quas discimus tractamusque, rebus sic se adiungit, ut tranquillando emendandoque magistrum se felicitatis profiteatur, ea, nisi omnia retulerit ad hanc felicitatem, sed

multitudine rerum, ab hoc consilio alienarum, aut difficultate praceptorum, quibus satisfieri nequit, animum obruerit et absterruerit, ea igitur doctrina non constare sibi videbitur. Eo autem magis hoc experiendum erit, partim, quia doctrinae capita non omnia promittunt aliquid diserte atque praecipiunt, sed tantum docent, ut tantum ad cognoscendum pertinere videantur, non ad tranquillandum animum corrigenduique; partim, quia quaedam in iis sunt, quorum interior natura intelligentiae nostrae vim exsuperat, vel per se, vel quia de futuris exponunt; ut adeo partem tantum eorum sciamus.

*Officiorum* quidem *praecepta* quid ad agendum valeant, et quo modo ipsa quoque certainiam inuniant ad tranquillitatem animi et consensione nostrorum consiliorum nostraeque voluntatis cum Deo, et recte facti conscientia, et persuasione de beneficio non frustra accepto \*), et spe certa certorum praemiorum, neinomibi hoc loco demonstrari cupiet. Sed quo plura huius generis sunt in religione, et quo manifestius hinc est, contineri eam emendandi disciplina, et sic quoque tranquillandi: eo magis futuri doctores exercebuntur ad facultatem ita docendi, ut auditores experiri possint, an haec ipsa, quae doctrina christiana praecipit, hoc modo, his de causis, hoc animo, ut praecipit, praestent; alias enim nesciunt, se religionis monitu, iussu et administriculo praestare: unde semper a doctore vrgenda sunt argumenta, doctrinae christianae propria.

Rur-

\*) 2 Cor. 6, 1.

Rursus ita docebunt, vt experiantur audientes, an sic, vt illa traduntur, praestare possint: vnde ostendent doctores, a quibus initis, quo successu, per quae praesidia, iri possit ulterius, et quoad usque. Explicabunt item res ea ratione, vt audientes sentiant, an praestitisse, quae praestanda sunt, tulerit et ferat iis promissum fructum laetitiae, adprobacionis, noui firmique propositi, noui roboris, maiorisque in agendo facultatis. Hinc docebunt, quo modo, et quam necessario, hi fructus e recte factis gignantur. Sed curabunt etiam doctores, haec ita exponere, vt quilibet attente audientium fateri cogatur, ita se hoc habere, sic fieri in animo, sic debere fieri, sic occurrere in vita communi, sic transferri in usum posse in singulis causis, hoc domi, illud publice valere, hoc nos posse, modo velimus, impedimentum reuera in animis nostris esse, vbi dicatur esse, his, quae sic dicantur, non posse negando aut tergiuersando obsisti, nisi quis ipsi experientiae obloqui voluerit. Quarum vero disciplinarum adminicula haec docendi facultas postulet; quibus exercitiis contineatur; quomodo libri sacri legendi sint, vt hinc cogitandi dicendi que materia petatur; qua ratione cum argumbris, doctrinae christianaee propriis, etiam aliunde ducta copulanda sint, vbi illis tantum, illis praecipue utendum sit, vbi haec adsumenda, haec paria sint; cur haec ipsa facultas docendi non possit inter libros, sed debeat inter homines perfici, et suo cuiusvis sensu atque animo observando excutiendoque ali, non est huius loci docere.

Quo luculentius autem est, per ea, quae in doctrina religionis promittuntur, duci nos ad tranquillitatem, cui proprie comparata sunt, et ad studium, ea quaerendi atque possidendi, neque nos iis indignos praestandi: eo magis ad docentibus opera dabitur, ut religionis doctrinam ubique ferre constare promissis, et promissorum euentu, adpareat. Nam non ea tantum, quae olim contingent, in promissis censenda sunt; sed quae quotidie religionis beneficio accipimus, quae iam teneamus, tranquillitatem, propositum seuerum, constantiam, vim, incrementum, facilitatem reclusus agendi, successum nostri studii, a Deo adiuti, ea et accipimus, et teneimus, quoniām promissum fuerat, et uti spes facta erat \*). Quod enim veniam peccati christiani sunt tranquilliores, quid est, nisi eos nunc de se et in se quoque vera statuere, quae in vniuersum omnibus certa conditione destinata sunt et promissa? Atque ut primum ita de se statuunt, adeo δικαιώσεις, venia et absolutio, quae non fit extra eos nescio quo actu coelesti, sed intra eos, in animo. Deus ab aeterno voluit iis condonare, suo tempore promisit. Haec promissa ubi de se quoque valere statuunt, pertinet ad eos venia, decreta ab aeterno, et suo tempore promissa, et sunt nunc δικαιωθέτες. Quod per doctrinam libertati seruitio vitiositatis sunt, quid est, nisi illud ipsum, quod futurum audierant \*\*)? Et quod bona, quae iam tement, porro habituri sunt, et aucturi, et ad vitae finem usque possefuti,

\*) 1 Cor. 1, 5—8. 2 Cor. 1, 23.

\*\*) Evang. Ioann. 8, 31.

furi', quid est, nisi exspectantium, et, si studuerint ea tenere, sperantium, se iuuante Deo ita possessuros, atque hac possessione felices futuros? Ut ergo quidque maxime cum promissionis euentusque notione cogitando coniungetur: ita maxime non modo tranquillabit per se, et ad agendum vterius inspellet eos, qui hactenus nihil se frustra conatos viderint; sed amorem etiam quotidie beneficia largientis Dei, quotidie praeflantis promissa, memoriae praesentem seruabit, non sine multa minoris erga maiorem, felicis erga felicitatis auctorem reuerentia, non sine magna in usu cautione: ita vero etiam maxime spes futurorum firmabitur, ut, a quo indies adiuuant promissa bona, in quibus sit futurorum praeparatio, qui adiuuet ipse et secundet hanc praeparationem, is nullo modo existimari possit fine in dandi facturus, si que dissimilis futurus, cum olim ad consummandam rem ventum fuerit. Sic, qui audiunt, experiri quotidie poterunt, quales se gerant erga talium rerum, quae a doctrina exspectandas sunt, promissiones, quo sensu exspectent, quo animo accipient, qua cura caueant, ne impediatur vel tardent euentum, an intelligant, in talibus etiam veracem esse Deum \*), an sciant, quid sibi velit, promissa et accepta nunc religionis bona esse pignus futurae felicitatis \*\*), et, quemadmodum iis hic usque promissa contigerint per Christum, ita etiam cetera et sempiterna per illum rata fore. Sic vero usu et experientia certiorem red-

\*) 2 Cor. 1, 19. 20.

\*\*) Ephes. 1, 13. 14.

ditum esse, et pari cum persuasione cetera praedividere, nihilque perturbari, est, nisi fallor, *βεβαιωθῆναι* et *σφραγισθῆναι* \*). Hac mentis adfuesfactione illud etiam assequentur, ut magni faciant religionem propter promissa. Ut enim taceamus, quae sint libera Dei beneficia, ea innotescere aliter, quam declarando promittendoque, non potuisse: quis non concedat, etiamsi in aliis quibusdam rebus concludendo et argumentando intelligi possit, ubi hoc fuerit, ibi illud etiam, eum eo coniunctum et ex eo nexum, secuturum esse, etiamsi in futuris quoque coniecturae non improbandae saepius locus sit, tamen nec omnes hoc ita concludere posse, nec, si concludatur, ad omnes tantam viam habere, quantam habet interveniens auctoritas declarantis promittentisque Dei: quod vel in doctrina de prouidentia diuina experiri licet.

Quae rursus docemur, *ut ita esse dicamus statuamusque*, et si nec praecpta sunt, nec promissa, veluti, unum esse verum Deum, esse Deum spiritum, in his in primis agendum erit, ut, a contemplationis merae studio abducta, transferantur ad facultatem experiendi, an et haec tranquillent, atque ad agendum ducant. Idque facile fiet, si modo

\*) *Σφραγίδες* est *nota insignitus*, et, quia hac insignitus est, *tutus* a vi et iniuria. Ergo tropice *σφραγίζειν* est, exhibere alieni causam, quare nihil sibi metuat, praestare aliquem tutum, et vacuum a metu. Hoc planum fit ex Ezech. 9, 4. Apocal. 7, 3. Hinc in epistolis Pauli Christiani *σφραγίδεις* sunt, qui possident bona, quae inchoant futura, et, quia possident, tuti sunt a metu miseriae et miseria ipsa.

modo attenderimus, talia non nude poni a saeris scriptoribus; sed adiungi mentionem officiorum, quae illis sententiis, ut fundamento, innitantur, et propter eas utique praestanda sint. Itaque cum vnum verum Deum esse discimus, num difficile videtur aestimare felicitatem eorum, qui, quod vnum colunt, et ab uno omnia exspectant, non coguntur diuidere fiduciam inter plura numina, et ab uno pluuiam, ab altero mercaturae successum, vel matrimonii fortunas exspectare, nec distineri metu, ne, si habuerint alterum propitium, alterum tamen non consentiat? Idem de omnibus erga Deum sensibus valet, qui si ad vnum illum referantur, quocum uno nobis religionis necessitudo intercedit, cuius unius moderamini tristia pariter ac laeta subsunt, cuius unius adprobatio ceteras res compenset, satis est. Et hoc latissime patet. Quae cogitando Deo, spiritu, reperiri possint ad placandum agendoque adsuetudinem animum, est alibi a me expositum \*).

Quorum autem partem tantum scimus, interiora natura ignorata, in his illud: Paratis ut in primis valebit. Sed utinam in vita communis paratis, quorum tantum partem nouimus, dum in hoc terrarum orbe collocati aceipimus et admittimus bona, e rebus paratis in natura rerum, sed non omni modo cognitis, ad nos promanantia; dum iis laetamur; inde capimus occasionem officiorum, Deo aliisque praestandorum; e constantia, qua nobis contingunt, de posteris bene speundi materiam eruiimus; examen multorum in-

\*) Cf. pag. 328.

tactum relinquendum esse cernimus, ne impediantur officia indubitata; et posse omitti examen, vsu saluo, intelligimus. Haec bene procedere, quo diutius experti sumus, eo magis nos aetate proiectiores, vbi iuuenilis impatientia ignorantis deferuit, taediu[m] adeo examinandi omnium explicandique capit, quia frustra fit, et tamen vsu harum rerum locum habet, isque tam amplius et multiplex, vt vel vitam omnem satis occupet. Ad hanc vero animi aequabilitatem nemo, nisi expertus, peruenire potest. Similiter in religione tum, cum interior rei natura interdum latet, utendum est paratis; veluti beneficiis, quae Pater per Filium et Spiritum sanctum instituit tribuitque; sed ut beneficiis, a Patre per Filium et Spiritum exhibitis acceptisque: sic animus tractandus, ut his beneficiis, quaqua patet eorum ambitus, frui velimus et possumus, in quo vita omnis consumenda est. Haec ab iis, quibus obstricti sumus baptismino, non item ab aliis, iuxta Christi doctrinam expectanda et exspectanda sunt: haec talia et tanta censenda, qualia et quanta non tribuuntur ab hominibus. Dum ita grati, laeti, iis freti, pari diuinaque veneratione Patrem cum Filio et Spiritu coemamus, experimur, an hoc didicisse nobis proficit, an tranquillet, an recte agendi animum et viam addat, an agendi sentiendique materiem et argumenta suppeditet, statuimusque, his bonis esse locum, etsi modus, quo Pater, Filius et Spiritus ad se ipsi referuntur, explicari nequit. Sed neque hic, nisi experto hunc usum, aequabilitas animi continget: ceteri aut negant, aut de more talia dici autumant, aut reticeri omnino volunt, aut explicari

cari cupiunt, aut, si non explicitur, vſu carere omni perhibent: et vt in communī vita seniorem, ſuarū rerū fatigentem, examinandique incurium, opinantur ſeniliter hebetatum, non vſu prudentiorem redditum, ſic item animum, officiis et vſu adquiescentem, ceterum linitum ſuorum memorem, permittentemque ſe diſciplinae, cuius vberior perſpicientia futuri temporis fit, vel tarditatis, vel credulitatis accusant. Sunt ergo haec et his ſimilia adeo non reticenda, vt diligenter potius et quoquis modo persuaderi audientibus debeat, vſum horum elle certum paratumque, his inniti officia, quae a christiano negligi nequeant, his modum adeo, quo officia praeficitur, defini: hunc enim vſum experiri poſſunt, et hoc cognito, porro experiri, quam parum aliena ſint haec a communī religionis tranquillantis atque emendantis conſilio.

Doctrina de futuris quid ad agendum, ad parandum ſe futuris, valcat, tanto certius experientur auditores, quanto planius didicerint nou modo, coeptam hic vitam ibi perpetuo continuari, cum compensatione in utramque partem, et progressu maiore; ſed penſitare quoque adſueti ſint, quid ſibi velit hoc, quam hoc ipſum vnum graue fit ad miferiam vel beatitatem, in perpetuum minimiffe superioris vitae, vt cauſae, cur quis nunc beator miferiorue fit; in aeternum ſentire ea, quae nexa ſint e vta ante acta, vt necessaria tamdiu, quamdiu natura Dei animumque nostri ea eſt, quae reuera eſt; ſine fine progredi ad meliora, et ſcien do, et agendo; in perpetuum tantum habere felicitatis, quantum quoque tempore maxime et plane

capias; in perpetuum se postpositum aliis, ab iisque separatum videre, qui sunt religionis causa cum Deo eiusque Filio felices; aut, si vel maxime varietas quaedam et iuminutio fortis miserae locum habitura sit, eam tamen numquam aequatam fore felicitati vere proborum, sed discrimen insursum esse necessario in perpetuum \*). Nam nisi notiones sempiternitatis, et sempiternae felicitatis miseriaeque, his cogitandis illustrentur, ut cum iis aliquid cogitando coniungamus: percellant fortasse animum, conantem assequi mensurae magnitudinem, aut pascentem se imaginibus suavium rerum, aut horrentem in tristium specierum adumbratione; sed non erudiunt, ut aliquid teneat. Si non erudiant: rapiant fortasse ad agendum; sed non ducunt per argumenta, et cum spe constanciae, et vt decet religionem, docendo prouehent ad proposita et facta. Ad tranquillitatem vero, e doctrina de futuris capienda, plus valent et modo dicta, de nexu huius futuraeque vitae, et in primis naturae diuinae iuminutabilis cogitatio, totius operis diuini cohaerentia, diuinaeque promissionis auctoritas; quam vel exaggeratio miseriaram huius vitae, vel perfectionis, quam homo fortasse non capiet, descriptio, vel repentinae perfectionis pollicitatio, vel de arbitrarisiis comodis, qualia futura sint, conjectura. Sed omnino hic locus de futuris melius tractando coniungitur cum singulis doctrinis et officiis, vbi sponte adparet eorum vis ad tranquillandum et emendandum, quam per se explicatur; nec aliter tractant futuras res sacri

\*) Crucis Moralttheologie T. I. p. 77—80.

sacri scriptores, quam, prout nexae sunt cum hac vita, promittendo et incitando,

Vt ad aliud exemplum progrediamur, experiendum est, an, quam doctrinam in usus nostros institutam audiuiimus, eamdem exercendo in usus nostros per omnem vitam conuertere possumus. Sunt enim, qui omnia quidem illa, quae doctrina religionis postulat, in se preeclara; sed ita tamen comparata statuant, ut in homines, qui nunc sunt, non cadere, sed vel omnino frustra doceri discique, vel ex parte tantum locum habere videantur. Audiunt nimirum, christianos ad perfectionem niti debere; cognoscunt ex historiis, fuisse, qui alios perfectionis huius opinione mire superarent, coercendo animo et corpore \*), qui nouo plane modo amare Deum \*\*), non nisi ad quiescere agente Deo, et toti illius esse, agentemque recipere vellent \*\*\*). Vident etiamnum, quae maxime sanctitas, siue potius, qui modus eius exercendae, quae mensura, quaenam item signa et exercitia, postulentur a quibusdam. Competiunt, inulta censi simPLICITER illicita, quae interdum corporis, animi, externarumque rerum causa sint necessaria; nomine mundi, terrae, vanitatis, pluribus rebus peccati labem adspergi, in quibus sint quotidiana Dei et magna beneficia; atque ita contrariam potius ponit religionem vitae, et hanc illa tolli, quam illam cum hac coniungi, et vitam usumque rerum religione gubernari.

\*) Theodorei historia religios. T. 3. p. 1100. ed. Halens.

\*\*) Mosheimus I. l. T. 3. p. 247 seqq.

\*\*\*) Ibid. T. 5. p. 188.

In his erratur ignoratione interpretationis; nam litera vrgetur, et vni tempori proprium ut omnibus commune tractatur \*), negligiturque historica interpretatio \*\*): hiuc talia mutantur in yniuersa praecepta: non consultur natura rei et sensus communis \*\*\*): non curantur rectae rationis rata et immota de moribus decreta: non cogitatur, religionem esse partem totius operis, a Deo in condendo mundo instituti, quae pars consentire cum toto opere auctoris eiusdem debeat: non agnoscitur, quantam hoc habeat exercitationem naturarum liberarum, si, norma et argumentis instructae, permittantur usui rerum obuiarum, ut videant, an moderari libertatem velint, possint, soleant.

Nonne igitur futuri doctoris erit, ut huiusmodi de usu et exercitio doctrinae erroribus occurrat, et, ut possit, eorum causas norit, atque ita doctrinam tradat, ut auditores sic tradita se vti vbi-vis posse quotidie experiantur? Proinde ostendet, perfectionem, siue verum et genuinum christianismum, non censeri omnium omnino factorum exercitio consummato; sed animi conformatio, adiuncta accommodare se libenter, serio et prompte,

\*) Euang. Luc. 9, 23. Hic neque praedicitur, omnes omnium temporum christianos percessuros esse σαυτὸν, rerum externarum molestias religionis causa; neque praecipitur, ut aliquis eas quaerat et expectat, si sic demum officio sectatoris Christi satisfacere possit. Illis temporibus huiusmodi calamitates euitari non poterant, ideoque quisque se quotidie iis parare debebat.

\*\*) 1 Corinth. 6, 1—6. et cap. 7.

\*\*\*) Euang. Matth. 5, 29.

promte, normae obuersant, exhibitae a Deo, cui omnes subsumus, et qui nihil errat, posthabita virtute nulla, excusato vitiq; nullo \*). Grauiter demonstrabit, non coli ab eo Deum, qui pietatis opinione, hoc est, quia mauult Deo diuinisque rebus occupari, et in libris sacris literae obtemperare, aut impedit, tollat, negligat officia, per institutionem rerum omnium indubitate; aut temere adsingat scriptoribus sacris sententias; sed ubicumque sit aliquid factum cum illa mentis conformatio, de qua modo dictum est, ibi statuat respici ad Deum, seu officium ei praestari; sacra vero literas etiam intelligi, non legi tantum syllabatim et nominari debere concedat. Illud natura imitationis Christi describenda illustrabitur, quae non posulat, ea omnia eo modo facere, quae ille, talis potissimum, tali tempore, in tali munere, tali potissimum modo fecit; sed eo referenda est, ut discamus, Christum nihil virtutis exclusisse, nihil viti excepisse; ut huic integritati similiter nos adsuesciamus, imprimisque sensum eius erga Deum hominesque sumamus, in propriis et communibus officiis, et cum hoc sensu praestemus, quidquid nobis in nostro vitae genere, et tempore, quo nos vivimus, et nostro modo praestandum est. Vnde fit, rem redire ad animi conformatioinem, et per hanc quemque praestare sua, ut a Deo sibi demandatum negotium.

## Sacras

\*) De re vid. Crucius l. l. p. 710. De modo, haec perspicue et πρακτικῶς, ad agendum experientiamque accommodate, docendi, vid. Chemnitius in Locis theol. P. 2. p. 94. De controversiis quibusdam cf. Gerhardus in Loc. th. T. 3. p. 73.

Sacras vero literas intelligi debere, vincet ita, et, ut sibi concedatur, coget, si, quae male intelliguntur et vrgentur, in his ipsis libris alibi planissime definiri monuerit. Nam ubi πᾶν ἐν τῷ κόσμῳ explicatur additamento, esse ἐπιθυμίαν σαρκὸς, ὁ Φθαλμῶν, et ἀλαζονεῖαν τῆς βίου, praeceditur omnis dubitatio, et vis fit scriptori, si res creatae intelligantur potius, quam dominans inter homines vitiositas omnis generis \*). Rursus scriptores illos iniquissime tractari docebit ab his, qui in legendis iis nihil tribuant naturam rei, sensui communi, patriae, temporis, sermoni scriptorum: cum ulli cuiuis homini et libro hanc aequitatem concedamus, ne auctores inepta, et αὐτούσια, et αδύνατα loqui videantur. Ostendet etiam, ab uno horum scriptorum non omnia, neque uno loco rem omnem plene perfecteque traditam esse; sed omnium scriptorum omnisque doctrinae confessionem querendam neciendo, concludendo, examinando, mitigando, accommodate ad scribendi tempus, locum, occasionem et consilium. Monabit porro, naturam et consilia Dei, aliis in locis perspicue declarata, non euerti posse, sed his inniti omnia debere. Dabit quoque operam, ut sibi ac proprie loquatur. Nam cui dicimus, ut hoc utar, studio seuero opus esse, sine superioribus sceleribus fieri debere, is quomodo haereat? Idem vero fortasse nimium ab se postulari existimet, si necandam cupiditatem, abolenda membra, sequè mori debere audierit. Signabuntur vero etiam limites notionum, eum communium, quae sunt

\*) I Epist. Ieann. 2, 16.

Sunt fundamenta, ut officii, liciti, argumenti, adminiculi; tum earum, quae virtutes singulas et officia, singula indicant ut moderationis, saepe illae simillimae: ne aliter atque aliter adpellanda re, modo amplificando, modo coartando eius ambitu, incertos, quid agant, relinquamus auditores. Ac fateamur quidein, hac via doctorena non persuasorum semper, quod vult, iis, quibus semel infixae sunt istiusmodi opiniones, cum isti nulla probent placita, secundum quae vel explicetur locus, vel res aliqua diudicetur; sed praemuniturum animos, adhuc ab opinionibus integros, et manu veluti ducturum, ut experiantur, his ita intellectis se vti posse, hic esse aliquid certi, sic se in omnibus vitae partibus fore christianos; ut Deum adeo venerentur et laudent, qui beneficium religionis exhibuerit, quo, quidquid vsp*ian* est conditum ab ipso, et utiliter institutum ab hominibus, saluum et intactum relinquatur, tantummodo v*us* earum rerum legitime gubernetur.

Si vnum genus addere licet, experiendum etiam est, quidquid efficere religio soleat et debeat, id eam efficere morali, ut cum scholis loquamur, modo, hoc est, animo per sententias et argumenta, cogitata, intellecta et probata, huc adducendo, ut velit possitque sic potius statuere et agere, vti didicit, quam aliter. Nam hoc cognito, intelligitur, esse religionem naturae nostrae, sive animi nostri institutioni, congruam; eam, quia talis sit, postulare, ut sponte sumamus bonos sensus et recte agamus, et sponte sentire atque agere ibi esse, vbi malum in sensibus et factis argumenta sequi, quam spernere ac repudiare;

eama

eam improbare, quidquid ab inficiis, nihil cogitantibus, nihil deliberantibus, nihil sibi propontentibus fiat, aut iis sic tribui et euenire videatur; eam redire cum primis ad interna, sine quibus externa nihil valeant; eam non esse otiosorum; sed, dum adminiculum exhibet, doctrinam, nos ad illius usum amandare, neque velle a nobis illapsorum numen ipsum (immediatam operationem) exspectari, aut adiumentum diuinum, eum usu doctrinae coniunctum, ab hoc usu sciungi, et solum expeti; eam, dum spondet progressu auxilium Dei ad successum, ponere, non omnia fieri a Deo, sed, qui adiuuetur, hunc ipsum agere debere, in quo adiuuetur; certum porro signum, quo homines agnoscant, se religionis debere, quidquid tranquillitatis et emendationis teneant, contineri ea re, si e doctrina hauserint haec bona, ea utentes haec sint adepti; esse perpetuo incremento locum, et indefessae exercitationis necessitatem summam; hac natura religionis et nostra, cui se accommodat religio, niti, quod erga eam cognitam alio atque alio modo se fuisse viu ad praeium aut culpam habeat. Quae si scitu sunt utilia, horumque ignoratio aut perturbatione multos in statuendo et agendo errores genuit: diligenter haec natura religionis declaranda erit, ut usu quisque suo experiatur, an sit moraliter modo per eam tranquillus et correctus. Nec difficile hoc erit de ea religione demonstrare, quae in partibus operis, a Christo administrati, nexum, causas, consilia, effecta et fructus respici vult, ut in factis, quae in sensus incurruunt, et historiae sunt, existare documenta diuinorum attributorum moneta-

neamur, ea indagemus, repertisque nos accommodemus adprobatione, sensu, vita; quae non modo docet, promittit, praecipit, sed horum omnium causas etiam commemorat, cur vera, certo exspectanda, utilia et necessaria sint; quae agendi arguentia, praeter necessitatem et utilitatem, repetit etiam a dignitate ex imitatione Dei, ab auctoritate exempli Christi, ab aequitate, decoro, laude; quae per haec ipsa remouet impedimenta, errores, ante captas opiniones, vim et frequentiam et suauitatem adpetitionis illicitae, ac, dum his robur detrahit, animum ad contraria et meliora roboret, ut iam non modo inclinatus velit, sed roboratus possit melius sentire et agere; quae precandi administriculi ideo commendat, ut expeterites sibi auxilium diuinum animo haec praesentia habeant, esse sic agendum, se labi posse et solere, non satis esse scire, quid agendum sit, et agere omnino velle, sed in dies attendendum atque cogitandum esse, hodie quoque sic agi debeare, propositum saepe denio capiendum, in hac re respiciendum esse ad Deum, hunc et promissum, et adnuere successum. His modis adgredi animum, si non est, morali modo adgredi: quid tandem erit? Hoc modo et his administriculis antiquis fuerit tranquillus emendatusque, si non potest experiri: quid tandem poterit experiri? Ac si fuerit expertus, concedere debet omnia illa, quae paulo ante diximus inde consequi. Quibus conicessis, de natura religionis verissime iudicabit, gratulabiturque sibi beneficium, sui animali naturae conuenientissimum.

Hacce, quibus plura poterant addi, exposita  
in Ernestii egregia disputatione de disciplina  
christiana, haec ergo qui experitur, is multis de  
causis amare atque venerati religionem discet,  
quam ab omni fraudis suspiciose liberare, et  
optime ab aduersariis defendere. Sed qui nomi-  
natim vsu experitur et cognoscit, ineunda via,  
sibi a religione ad tranquillitatem et emendationem  
monstrata, se ad haec ipsa bona peruenisse, ad  
quae antea neque adspirauerit, neque peruerterit,  
is iam concludere hinc poterit, vt supra vidimus,  
ad quem auctorem haec institutio sit referenda.  
Ut autem facilius et certius concludat, monebitur,  
ne adquiescat laetando iis bonis, quae tenet, ob-  
litus auctoris; sed vt redeat saepe in memoriam  
superioris vitae, eiusque ab hac ratione, quam  
nunc sequitur, dissimilitudinem spectet: vt atten-  
dat, nuperae vitae peruersitatei aliquamdiu nulla  
re corrigi potuisse, aut, si quid iminutatum fue-  
rit, externam mutationem fuisse; vt prium vero  
doctrina serio cogitari coepit, veluti sedem  
peruersitatis intus euersam esse, et vt doctrinam  
magis magisque cogitata sit, ita magis etiam per-  
uersitatei correctam esse; rursus vt prium se-  
gnescat ipse aut dormitet ad usum doctrinae, ita  
moueri ac redire plus peruersitatis, simulatque  
vero denuo ad doctrinam studiosius se dederit,  
minui rursus peruersitatei; nihil ad animum  
suum tantum valere, quantum haec doctrina va-  
leat; huius dictata et praecepta se contuentem  
magis percelli, quam alia cogitantem; alia, quae  
ad agendum moueant, arguimenta relinquere fe-  
re, quod excusat aut sibi seruet, religionis do-  
ctrinam

etrinam praecidere; per Dei *καρδιογνώστη* cogitationem, quidquid vulgo seruetur et excusetur, et istud quoque accusare, improbare, eiectum velle. Fierine potest, ut haec expertus diu dubitet, an praeflet nunc, et celerius quideam certiusque; quae nuper non praefliterat? an probare velit debeatque, ut utilem *θεωρίαν*, cui superstructa sit haec *πράξης*? Num suspicari; aut angi cura poterit, an per hos, qui viam hanc monstrarint, fortasse turpiter deceptus sit? Dubitatne; an beneficio sit ornatus, et per Deum ornatus? Cunctabiturne, ad quem omnia corporis externarumque rerum bona refert, ad eumdem hoc tantum ac tam nouum animi bonum referre, quo suaē dignitati felicitatique redditur? quō iam auctus scit; et solet suae cum Deo necessitudini; et recte; et libenter; et facili negotio, se conformem gerere? Recusabitne; cui oīnūm suarum rerum successum acceptum refert; huic in una hac re, quae est una omnium difficillimā, successum adscribere? Monebitur vero etiam, ut recordetur; quid interdum serio de se cogitans senserit, quid, tactus ea re, quod se praeter modum a norma recedere viderat, sperauerit metueritue, quo sensu animi fuerit adfectus; cum alios morientes vidiit; aut idem sibi imminere cogitauit; aut periculum mortis subiit. His enim in memoriam reuocandis sentiet; se talibus temporibus agnouisse serio, indigere se clementia, venia, solatio; et auctoritate promittentis haec omnia Dei; concedet item atque profitebitur; se tum' his omnibus esse erectum confirmatumque, et probatis veniam impenetranda conditionibus; a Deo constitutis; lubentius atque studiosius finem fecisse priscae peruersitati morum atque vitae.



## XII

*Ostenditur*

*quibus causis allegoriarum interpretatio  
nitatur.*

**V**bi Homerus de Mantii cuiusdam familia loquitur, Polyphidem, eius filium, ab Apollo line hoc beneficio ornatum esse narrat, ut futura posset praedicere; Clitum vero, alterum eius filium, ab Aurora refert ablatum esse, ut in posterum inter deos versaretur \*). Quae hic de formoso Clito aliquo translatu traduntur, ea non retulerint ad amores Cliti et Aurora, aut omnino ad illud genus fabularum de mutuis deorum hominumque connubiis, quod ideo excogitatum erat, ut nobilium virorum auctoritas et virtus hac natalium opinione illustrior redderetur. Ut enim in eiusmodi narrationibus fere mentio prolis fit, connubio tali procreatae, et praecclare factis celebratae: ita hoc in loco nihil est de prole, ac ne in terris quidem alterius fuit Clitus; sed Aurora eum ideo abstulit, ut inter deos versaretur. Quod quidem additamentum et permittere videtur, et vero etiam flagitare, ut allegoriam agnoscamus, siue carentem, non verbis suis et propriis, sed ab alterius rei similitudine hoc translatis, expressum. Videtur ergo describi Clitus, puer aut iuuenis, *praematura morte*

\*) Homer. Odyss. 15, 249. 251.

*morte his terris exemptus \*), et ita exemptus, vt, liberatus necessitate subterranei loci adeundi, quem  
vibris vulgo assignauit antiquitas, sublimis in coelum abitet, diisque interesset, siue *statim a morte corporis maiore*, quam vulgo fit, et *perfecta felicitate* frueretur. Sic familia Mantii duobus duorum filiorum bonis fortunata fuit, honore et auctoritate alterius, alterius praeinatura morte, hoc est, iam in pueritia perfectae felicitatis initio. Exprimitur ergo hac narratione idem fere, quod nostri homines hunc in modum elocuti essent: O fortunatos diuinis beneficiis parentes, quorum alterum filium Deus interpretem suum ad homines esse voluit; alterum, florente aetate, et adhuc moribus integris, ad se in coelum recepit \*\*).*

Huius interpretationis allegoricae causas proferre, non difficile videtur. Ut enim mittam, de quo vel e Palaephati et Heraclidis Pontici libellis constat, homines aetatis priscae veritatem historias euentorumque in huiusmodi delcriptiones, et modos loquendi allegoricos, mutasse: sed hoc missò, certum est, nominatim narrationes de hominibus,

A a 2

ab

\*) Sic locum hunc intellexerunt et alii, et Heraclides Ponticus (de allegor. Homer. p. 492. in Gal. opuse myth.), Eustathius ad Odyssieam (p. 1527. v. 50. p. 1780. v. 49. ed. Rom.), Winkelmannus in libro, Dresdae a. 1766. edito, *Versuch einer Allegorie besonders für die Kunst*, p. 80.

\*\*) Etiam paganos praeinaturam mortem reposuisse in documentis benevolentiae diuinae, et aliunde constat, ete Plutarchi consolatione ad Apollon. (Vol. 6. p. 420. ed. Reisk.), ubi multorum loci collecti exhibentur. Cf. Clericus ad Menandri et Philem. reliquias, p. 46.

ab Aurora natis, dilectis, raptis, iam a multis veterum modo e physicis, modo ex historia, explicatas esse. Nam quod Memnon, rex Aethiopiae fortissimus ac formosissimus \*), Aurora et Tithoni filius dicitur, Tithonus vero ab Aurora raptus: partim filius Aurora simpliciter est homo, in orientis plaga natus, fere ut in hebreo sermone filii regnum et oppidorum sunt indigenae; partim filius Tithoni, ab Aurora rapti, est filius patris, in aetatis flore mortui \*\*). Vbi autem Cephalus, ab Aurora raptus, Phaethontem ex ea genuisse fertur, ibi physica et historica commixta sunt. Nam aurora, mater τὸς Φαέθοντος, est sine ambagibus, aurora diem agens, Φωτός, lucifera, plane ut sol, pater τὸς Φαέθοντος. Sed fuit etiam homo, Phaethon, formosus Cephalii regis filius, alicuius templi custos a patre constitutus. Quid ergo homines prisci? Historiam, patrem Phaethontis fuisse Cephalum, breuis aeuī virūm, cominiscunt cum physicis, tropice expressis, matrem τὸς Φαέθοντος (lucis) esse auroram, et sic detorquent in fabulam, Cephalo et Aurora parentibus natum esse Phaethontem, Cephalum vero ab Aurora raptum. Quae res, ut sit, non a poetis tantum decantata, sed operibus etiam artis efformata est. Legat aliquis Pausaniam \*\*\*), de statua Aurora Cephalum leuantis loquentein, et videat, an non insint manifesta historiae, per allegoriam corruptae, vestigia. Si ergo et filii Aurora, et ho-

\*) Quinti Calabr. Paralipom. 2, 493 seqq.

\*\*) Vid. Eustathius in locis, supra indicatis.

\*\*\*) In Attici, c. 3. p. 8. ed. Kühn.

homines ab ea rapti, opinione atque consuetudine veterum aliud significant, quam quod e verbis intelligi potest: etiam superiorem de Clito narrationem simili modo exortam, intellectam, et ad fabulas traductam esse, credibile fit. Reliquae causae cui non sponte in mentem veniant? apud omnes nationes primam aetatem cum aurora, oriente sole, et illucescente die conferri, omninoque initia morandi, agendi, sperandi, laetandi, tropis ab aurorae similitudine ductis exprimi, vitam denique, in coelis cum deo transactam, existimari longe felicissimam. Sic homo, e terris ad veriorem felicitatem ocyus translatus, dici potuit ab Aurora raptus, ut diis interesset. Si quis Heraclideam et Eustathianam admonitionem sequi velit, qui tradiderunt, iuuenes praematura morte ablatos ante lucem, sub ipsum diluculum, humari solitos esse \*): hinc quoque intelligi poterit, cur eos ablatos ab Aurora dixerint. Sed fortasse hic mos non certis rei, in facto positae, testimoniois confirmari potest, sed fictus potius est ab his, qui allegoriae huius causam speciosam reddere vellent. Verum non pugno.

At Clitus tamen ab Aurora pulcritudinis causa perhibetur ablatus, id quod cum illa de praematura morte explicatione non conuenit, sed ad fictas de connubiis hominum deorumque narrationes referendum videtur. Quid vero, si hoc, ut in allegoria sit, merum eius additamentum est, mutataque semel mortis praematurae notione in

\*) Exempla Galeus ad losum Heraclid. p. 492. collegit.

notionem raptus, adiungi coepit fabulosa raptus causa, vt historia corrupta in speciosiorem abiret fictionem? Sed ne opus quidem est hoc effugio, Nam fuit antiquioris temporis opinio, non fortis modo, et de humano genere aut patria meritissimos viros, consortio deorum dignos esse, sed formosos etiam homines \*): non quo corporis intelligeretur forma, quatenus ad amorem alliceret; sed quatenus esset insignis praestantia, eximiū bonum, secernens aliquem vulgo, et euentum ultra ceteros diis similem reddens, quasi divinae pulcritudinis homo esset idem vita cum diis dignus. Ut enim quidquid, praeter modum excellens et augustum, a Deo ortum erat: ita idem, dignum Deo, ad eum reuerti credebatur, vt, perfecta felicitate dignum, ea etiam potiretur. Socrates adeo voluit in huiusmodi narrationibus pulcritudinem animi intelligi, vt in quodam Xenophonis loco \*\*), quamquam ad meum sensum subtius, quam verius, disputat.

Quod si inter veteres, adsuetos rei ita cogitandae atque eloquendae, quidam artifex in sepulchrali monumento effigiem Auroraे, infantem vlnis leuantis, expressisset: sine dubio quilibet sponte intellexisset, situm ibi esse infantem, praematura morte humanis rebus exentum. Quod enim sic cogitare et eloqui solebant, id cogitare hoc loco coegisset sepulcri adspectus.

Iam

\*) Apollon. Rhod. Argon. 3. 115, ubi, missis nugs de Ganymede, sum, vt in primis formosum, simpliciter inter deos receptum dicit, eorum coniuctorem futurum, h. e. felicissimum.

\*\*) Sympos. 8. 29. 30.

Iam in hoc allegoriae antiquissimae exemplo tria possunt obseruari: *esse duarum rerum similitudinem*, mortis et raptus, aurorae et aetatis primae; *eam aliqua tantum ex parte spectari*, ut rapiens Aurora sit mors praematura simpliciter, omnibus aliis missis, quae de morte, prima aetate, aurora et raptu dici cogitarique possunt; *quae pars spectanda sit*, nempe mors praematura, *id per adiuncta* (*περιστάσεις*), hoc est, sequiem orationis et historiam, *definiri*, quia partim diserte additur, ad deos translatum hominem esse, partim mos ita loquendi fuit, et hominibus illius aetatis cognitum, hunc esse terris morte praematura exemitum. Proinde poteram, vel vnu[m] hoc exemplum secutus, de allegoriarum tractandarum modo studioflos harum literarum admonere, iisque causas, cur sic potissimum tractandae essent, in animum reuocare. Sed exemplum huiusmodi, a poeta factum, aut ab artifice inventum, videatur alicui nihil auctoritatis ad præcipiendum habere, ad regendumque de re iudicium parum idoneum. Addam ergo aliud, ex historia de promtu[m], de cuius sensu nemo dubitare potest: si fortasse denuo adpareat, tria illa, quae modo dixeram, hic quoque coniuncta esse, et causam sic potissimum interpretandi continere: Tarquinius Superbus, a filio de stabilienda Gabiis potestate per nuncium consultus, fertur, in hortis inambulans summa papauerum capita decussisse; ceterum nuncio nihil respondisse. Nihilo minus filio patuit, per has ambages patrem significare voluisse, proceres ciuitatis ante omnia tollendos esse, si ipse vellet summo imperio potisi.

potiri \*). Iam et in hac allegorica responsione primo duarum rerum similitudo est: ea deinde aliqua tantum ex parte spectatur, ut summorum papaueris capitum decussio simpliciter sit caedes procerum: denique adparet ex adiunctis, quoniam tyrannidem adfectans tyrannum ea de re consulit, eique respondeatur, papauerum capita decussa esse, significari vnum illud necessario, summa reipublicae capita e medio tollenda esse.

Si ne hoc quidem exemplum, quamvis verum, certum, perspicuum et euidens, ad diiudicandam rem sufficere videatur: licebit addere omnes, quotquot sunt, allegorias, aut usurpatas iam et dudum expressas in carminibus, operibus artis, dogmatibus philosophorum \*\*), aequa ac religionis nostrae doctorum \*\*\*), sententiis, proverbiis, oraculis, mysteriorum Eleusiniorum reliquiis †), sacris arcanisque Aegyptiorum figuris ‡), symbolis, emblematibus, historia denique fabulari; aut ab artificibus recentioris aetatis inuentas,

et

\* ) Liv. I, 54.

\*\*) Pythagoreorum petitissimum, Heracliteorum et Orphicorum. Orphei quidem sententias Eschenbachius in Epigene collegit.

\*\*\*) Mutationem hominis in melius commendare praecepto de necando, exuendo et induendo homine, transeundo a nocte ad diem, quid aliud est, quam per allegoriam docere?

†) Platon. Phaedo c. 13. Videntur etiam Samothracica sacra fuisse nihil aliud, quam Orphica philosophia, allegoriis inuoluta. Cic. N. D. I, 40.

‡) Cf. Herapollinis hieroglyphica: etsi multa huius libri capita non tam ad allegorias referri possunt, quam ad *eikones logetas* omnino pertinent.

et a Winkelmanno nuperrime demonstratas \*): et quouis pignore contenderim, si verae sint allegoriae, (id quod paulo post definiam) ipsa illa tria, quae iam bis commemoraui, in omnibus reperiri \*\*). Sed quod omnibus exemplis constanter commune est, quantumvis variatis ceteris partibus, id sine dubio naturam rei, et id, quod necessarium est, continet. Si vero is, qui in rebus, quas homines omnium aetatum atque nationum constanter cogitarunt, dixerunt, inuenierunt, elaborarunt, docendi, monendi et oblectandi causa, si, inquam, is tenet, quod naturale, necessarium, et omnibus exemplis commune est: sequitur, eum et hoc tenere, quid, quantum, quomodo in talibus quaerendum sit, ne iusto plus quaerat, hoc est, abhorrentia ab ipsa re, et hominum perpetua sentiendi, loquendi agendique consuetudine. Sic deum talia recte tractabit interpretando.

De his tribus rebus, quae in vna qualibet allegoria occurrunt, nunc quaedam dicam, vt literarum studiosi, qui his vti velint, habeant interpretandi principia, quae in scholis dicuntur, vnde concludant, quid agendum sit, aut, si quando egerint, examinare possint, quae egerint.

Aa 5

Ac

\*) In libro ante indicato. cap. II.

\*\*) In discessu animi a corpore apud Platonem, aut secessione illius a mundo apud Epictetum et Marcus Antoninum, est vnius cum altero similitudo, discessus aut secessionis cum definendo: ea spectatur tantum aliqua ex parte, vt animus definat consuetudinem sensuum sequi: hanc vero partem spectandam esse, cum e consilio dicentis in quolibet loco, num e totius disciplinae nexu cognoscitur.

Ac primo quidein in omni allegoria *duarum rerum similitudinem* esse, per se non eget verbis. Nemo enim dubitat; nec potest allegoria intelligi, quae non habeat hoc; et quotquot eam definierunt, in hoc saltem omnes consenserunt, quamquam verbis differunt; denique quaecumque nominata huic allegorico dicendi generi ab hominibus imposita sunt \*), ea de comparatione alterius cum altero simili explicantur. Sed cum nec quaevis duarum rerum similitudo, nec quiuis eius expri menda modus, allegoria sit: videtur eius definitione vtendum, vt, quid hic intelligi velim, adpareat. *Dico igitur allegoriam, modum sententiae*

int-

\*) ἀληγορία, quoniam aliud, quam intelligi debet, h. e. tantum simile quid dicitur. v. Heraclid. Pont. p. 412. Τρόποι, quoniam cum eo, quod dicitur, cogitando coniungendum est aliud, idque simile. v. Plutarch. de poet. leg. c. 4. et Krebs ad ll. l. Τὸ μυστήριον, quia eo, quod dicitur, aliud simile rectum et occultum latet: vt saepe apud Philonem Iudeum. Τὸ αἴνυμα, quia teste indicatur aliquid, simile huic, quod dicitur. Τὸ ἴδιον, apud eumdem, quia res in facto posita, similitudine observata, mutantur in disciplinam conformandi animi et ad intelligendum, et ad agendum. — Fuerant etiam, qui in euangelio Matthaei (13, 11.) γνῶναι τὰ μυστήρια τ. βασ. τ. ὁρ. interpretarentur, perspicere sensum sermonum occulorum, i. e. allegoricorum et parabolicorum, quibus indoles coetus christiani adumbratur. Certe qui dixerat, suis discipulis concessum esse, illa μυστήρια perspicere, iisdemque deinde parabolis explicandis naturam coetus christiani explicari, is facto et re declarat, hunc perspicere μυστήρια, qui sensum illarum parabolarum et allegoriarum tenet.

*integrae \*) sic exprimendae, ut loca rei, quae proprie dicenda erat, dicatur res, ei similis.* Cum, ut hoc vtar, Cicero \*\*) dicere vellet, se, quondam inter principes administrandae reipublicae, nunc in ultimis esse, et a nemine consuli atque audiri, dixit potius, se in puppi sedisse, et clavum tenuisse, nunc vix in sentina locum esse. Itaque loco integrae sententiae, quae proprie dicenda erat, rem ei similem posuit. Aut cum Petrus \*\*\*) apostolus ostendere vellet Hierosolymitanos senatus, Iesum, quem ipsi regem agnoscere noluissent, tamen esse coetus regem et dominum, quo mitatur contineturque coetus, dixit potius, lapidem, ab his, qui dominum exstruere voluerint, abiectum, tamen in angulo parietis positum esse (sustentante in quippe atque neclentem aedificium).

Ita quidem allegoriae differunt ab aliis similitudinum exprimendarum generibus, velut a metaphoris: illae enim integras sententias, hae singulas tantum notiones similes permutant: differunt item ab iis, quae in libris sacris nomina, tim parabolae dicuntur: hae enim sunt narrationes de serie cuiusdam eventi, factae non quidem, monendi atque illustrandi causa: alias vero παραβολὴ omnino est illa quaelibet comparatio. Differunt denique ab eo genere narrandi, quod Aesopicum dicit consuevit. Rursus, ubi poetæ, oratores,

\*\*) Volo hoc, ein ganzer Gedanke, siue una constet propositione, siue pluribus.

\*) Ad Div. 9, 15.

\*\*) Act. Apost. 4, 11.

tores, et alii utuntur comparationibus, plene atque perfecte ita expressis, ut protasi adiungant apodosin, velut cum turbulentam concionem comparant mari fluctuanti, hanc nemo allegoriam appellat, quia utraque res similis coniunctum dicitur, non vero una loco alterius ponitur. Simul atque vero sententiae integræ exprimendæ causa unum id, quod alteri simile est (protasis), ponitur, omisso altero, cui illud simile est (apodosi), omnes esse allegoriam fatentur. Hanc ergo loquendi consuetudinem secutus, allegoriam ita potissimum definiendam putavi. Vbi enim de rebus, usu hominum atque sermone tritis, interpretandi causa iudicamus, ibi non ipsi rem constitueret, qualis esse debeat, nec pro arbitrio definire; sed, ut nobis offertur, spectare debeimus, ne nostra potius opinione aestimemus, quam usu et consilio ipsorum, quos nobis interpretandos sumimus. Ac ille quidem, qui de virtutibus et vitiis allegoriae praecipit, et allegoriae naturam, qualis esse subtiliter spectata re debeat, constitutere vult diligenter, poetisque et artificibus leges scribere exactas, is receptam consuetudinem deferere, vitia eius arguere, rem melius et acutius definire, et sic viam ad incorruptum iudicium, et ad irreprehensum usum, pandere potest. Ego vero ex obuiis exemplis rem erutam exhibeo, quia illis exemplis interpretandis principia subministro. De reliquo, nisi fallor, etiam in artis operibus talis est allegoriae natura. Subsunt igitur allegoriae imaginum, quae oratione exprimi solent, generis

Quod si subsunt imaginum generi, necesse est, rem similem, loco ipsius rei positam, aliqua tantum ex parte spectari, ad excitandam in animis aliorum sententiam illam integrum, quae reticeretur, et maxime tamen atque proprie intelligi debet. Et hoc est alterum, omnibus allegoriis communem, cognosciturque cum natura rei, tum vitae communis usu: Natura quidem huius rei, ut ab aliis centies dictum est; his continetur: non esse duarum rerum perfectam similitudinem; sed semper aliquid diuersitatis relinquere: res toto genere diuersas, adspectabiles adeo et intelligibiles, comparari posse, ideoque tum non modo non omnia, sed pauca sibi mutuo respondere: Haec ut certa sunt, ita non minus certo efficitur inde, non valere comparationem ullam ad subtiliter docendum, ut rem explicet accurate, definiat, argumentisque, ductis a natura rei, confirmet; sed ad illustrandum atque oblectandum, ut illustrando inchoetur notitia rei, aut eius intellectus utcumque adiuuetur, et adsensus eliciatur, oblectando tarditas excitetur; ut velit libentius discere, atque aliquid saltem memoria tenere: Verum his nolo immorari; etsi iam per haec necessario concludi potest, non nisi partem rei, quae cum altera confertur, spectari debere; neque unquam allegoriam fundamentum subtiliter docendi, hoc est; rem omni ex parte accurate cognoscendi declarandique, fieri posse; neque inde notio nem naturamque rei, attributa omnia plene ac perfecte, argumenta denique et conclusiones peti, ut petuntur e loco; ubi res ipsa propriè tractatur.

Communis vero vitae usus, plerumque fidissimus interpres naturae rerum popularium, idemque semper certus testis sensus communis, nunc constat consensione hominum, etiam indoctorum, in proponendis et intelligendis et ad usum vitae transferendis allegoriis, quibus proverbia et sententiae solent exprimi. Quem modum propo-  
nendi et intelligendi si quis attenderit, et, qua ratione metaphoris, comparationibus, allegoriis, fabulis, parabolisque adficiantur, adiunxerit: intellegit, si qui modo rem, de qua sermo est, et linguae indolem tenuerint, quam acute tantum, quantum dieitur per similitudinem, videant; quam apte id, quod est in similitudine, adstringant ei, quod latenter simul exprimitur; quam certo negligant ea omnia, quae similitudine quidem continentur, sed nunc non ad rem pertinent; quam dextre talia repeatant monendi causa; quam opportune agendo ea sequantur; quam constanter, si quid interdum nimis vrgeatur, id ioco, risui, lusi verborum atque hilaritati tribuant, atque eos, qui nimium vrgent, dicant captare verba, peruertere, apte inepte ludere in verbis, eos vero, qui non assequuntur, talia non esse vrgenda, obtusos ac stupidos censeant, et rideant. Et videtur interdum plebs miratura, si doctorum virorum commentarios legerit, in quibus metaphoras et allegorias cum puluisculo excutiunt, aut his, quae a vulgo statim intelliguntur, magnam omnis generis doctrinae copiam adfundunt. Neque vero inihi obiicietur, ab indoctis haec non semper intellegi. Ideo enim dixeram, si rem et linguam tauerint, expeditum iis talium sermonum intelle-  
ctum

**um esse.** Quod si quis futuras res imaginum umbris occultat, si disciplinam integrum obducit Heracliteis coloribus, si res ab intelligentia populari remotas procul monstrat, si nouas, et in omni rerum natura non obuias, figuratas fingendo componit, si nostrarum linguarum simplicitati adsuetos ad orientis igneam vim, sublimitatem, tumorem, redundantiam transducit: non poterit ab indoctis intelligi.

Si ergo natura rei euincit, non posse allegorias aliter proferri et intelligi, vita vero communis confirmat, non solere eas aliter vulgo intelligi, quam ut aliqua tantum ex parte similitudo spectetur: sequitur, aberrationem ab hac re gravissimum esse errorem, in quem interpres allegoriae incidere potest.

Tertium erat, *qua potissimum parte in singularis locis spectanda esset similitudo, id semper per adiuncta (περιστάταις) definiri.* Sed scire, quantum certo in loco certa similitudo iudicanda sit, id caput rei est. Nam omnes res similes, etsi non omni ex parte similes sunt, tamen pluribus de causis conferri possunt; et quacunque de causa conferantur, quacunque parte similitudo spectetur; bonus sensus in multis locis effici potest: ut sit in admonitione de vitando fermento, in sacris libris obuia \*), qui modo doctrinam falsam, modo flagitia fermentum adpellant; aut in verbis luminis, caliginis, vitae, mortis, coeli, terrae, quo-

\*) Matth. 16, 12. 1 Cor. 5, 6. In priore loco fermentum cum errore, in posteriore cum vito comparatur.

quorum multiplicem et ambiguam significatur; et inde natas interpretum dissensiones, nemo necit. Quid ergo certi habebimus, si alter hoc, alter illud malit; unus angustius, alter laxius interpretetur; et quilibet tamen aliquam sententiae suae speciem conciliare soleat; saepe vero etiam possit? An dirimetur controvërsia, si vel unum plane et ubique excludamus, vel omnia ubique coniunctim intelligamus, et ad efficaciam sensus nescio quam efficiendam in unum compingamus? Illud iniquum fuerit; et, sine argumentis idoneis, cur aliquid excludatur, arrogans ac temerarium; hoc ab omni lege et consuetudine scribendi, legende libos aliorum, abhorrens.

Rursus arripere similitudines ope phantasiae, aut inuenire vel obseruare eas ingenii beneficio, non est diligenter et exacte aestimare, examinare, iudicare: unde, si quis scriptor phantasiae aut ingenio indulget, et similitudines sine iudicio profundat; multis in locis plus minus ad similitudinem referri; eaque aliis atque aliis modis spectari potest; nisi aliunde constet, quid et quantum is; qui similitudinem profuderat, intelligi velit. In Euripidis Hecuba \*) Polymestor inducitur excoecatus, quo se vertat, nesciens, et cupiens tamen eo auolare, ubi filiorum occisorum corpora iacebant, ut foedam dilaniationem, quam minata erat Hecuba, ab iis prohibeat. Ibi se dicit σέλ. λοντα Φάρος πεισμασι, ὅπως ναῦς. Hoc veterum grammaticorum alius sic explicat, contrabens uela ut nauis. Bene. Ita enim Polymestor coecus se nescire

\*) Vers. 1080. al. 1067.

nescire dicit, quo abeat, quia nequit ire coecus, et veluti nauis velum contrahit. Alius maluit aliter intelligi, *adornans nauigationem*. Dicet ergo coecus, se nescire, quo abeat, et si paret abi-  
tum, abire velit, tamquam adorans nauigatio-  
nem. Vtraque interpretatio rei, temporis, ho-  
mini, congrua est: et quamquam equidem prior  
rem malo, cum *Ισία σέλλειν* fere sit, *vela contra-  
here*; scio tamen, qua ratione posterior per usum  
verbi *σέλλειν* defendi possit. Accedere igitur aliud  
debet dirimendae ambiguitati, si dirimi potest.

Praeterea sunt, qui res comparent, quae nec possunt per naturam suam. nec solent vulgo usu hominum comparari; sed qui meram sequantur in ea re libidinem. Pindarus \*) regem iubet  
*γλῶσσαν χαλκεύειν πρὸς ἄκμων ἀψευδεῖ*. Video quidem, quoniam praecesserat cokortatio ad iustitiam, hic regem moneri, ut etiam in sententia dicenda iustitiae operam nauet, ac veluti confor-  
met recte linguam. Sed aliter quoque intelligi potest, et sunt variae viarum ambages, per quas ad propriam notionem iri possit. Proinde fluctuat similitudinis interpretatio, ut saepe in hoc poeta.

Sed ut hi libidinem sequuntur, ita nonnulli in comparandis rebus, quae non possunt per natu-  
ram, nec solent consuetudine vulgari conferri,  
vnam hanc causam habent, quod tali rationi disciplina sua sunt adsuerti: ut Stoici philosophi,  
tum cum vel poetas interpretantur \*\*), vel de fe-  
veri-

\*) Pythior. I. str. 5. v. II.

\*\*) Cic. de nat. deor. 2, 24—28.

veritate in vincendis cupiditatibus; animique commotionibus extirpandis \*), disputant. Iudeorum vero magistri mirum est, quantum sibi in hoc genere licere putauerint, ut, omnibus ad allegoriam et occultum sensum translatis, quidlibet in quolibet loco reperire possent. Quam eorum rationem si quis, in compendium redactam ab Surenhusio \*\*), eo consilio recognoscere velit, ut attendat, quibus fundamentis illae comparationes nitantur: obseruet facile, sic in vita et sermone communii non agi solere, ut causae comparandi ponantur in mero arbitrio, neglecta necessaria et naturali rerum coniunctione. Qui vero Alexandrinae scholae addicti fuerunt Iudei, ut Philo \*\*\*), ut omnes; secuti gnosticam rationem, (quam quidem hic laxiore significatu dico,) ut alii ecclesiae christianaee doctores †); hi, et si non malo consilio ‡) scriptum (literam) reliquerunt, ἀρμηνείαν commendarunt, et omnia transducere studuerunt ad τὸν νοῦν et τὸν ὄψηλον, tamen via legi.

\*) Vid. p. 377. not.

\*\*) In περὶ τὰς καταλλαγῆς, praefertim libro tertio, p. 57—88. Illustravit rem exemplis, et alios scriptores de hac re laudauit Vitringa de synagogā 3, 1, 5. p. 673.

\*\*\*) Satis exemplorum collegit doctissimus Carpzouius in exercitationibus in epistolam ad Hebraeos e Philone, pluribus in locis.

†) Vid. meritissimus Semlerus in integra parte prima libri perutilis, Vorbereitung zur Hermeneutik, vbi de iudeis pariter atque Christianis dicitur. Cf. Turretinus de S. S. interpretatione cap. 4. p. 111. ed. Teller.

‡) Vid. præfat. archaeolog. iudaicae Iosephi, sect. 4.

legitima non semper incesserunt, historia plane deserta, in eiusque locum substituto alio verbo-  
rum sensu, confictis falsis etymologiis, græca philosophia cum Mosaicis narrationibus coniuncta, et saepe opinionibus suae scholae positis, vbi simpliciter monendum et hortandum erat. Vno verbo, historiam, quae iis occasione in monendi et philosophandi praebere poterat, mutarunt in ipsam admonitionem et philosophiam.

Alii denique tot allegorias unum in librum \*), aut in unum opus artis \*\*), compingunt, ut, dum integrum rei naturam per meras imagines adumbrare conantur, propemodum a nomine intelligentur.

Cum vero, nisi fallor, hæ praecipuae causæ sint ambiguitatis, obscuritatis, dissensus, et erroris in interpretatione allegoriae: haud dubie caput rei est, nosse, ex qua potissimum parte, in eo potissimum loco, quem nunc tructo, similitudo spectanda sit. Quod *qua ratione per adiuncta definiatur*, nunc edisleram. Ut autem in artis operibus variis modis constituitur, quid nunc sibi velint, per inscriptiones, per locum, vbi proposita sunt, per adiectam descriptionem, unde hieroglyphicae formæ certos in Aegypto interpres habuerunt; ut porro in vitae communis sermone intellectus certus proverbi allegorici pendet a loco, vbi tale quid dicitur, et ab hominibus, ad

B b 2

quos,

\*) Talia sunt integra systemata allegorica.

\*\*) Tales sunt tabulae pictæ, quae per meras imagines ( $\pi\acute{p}\acute{o}\sigma\omega\pi\acute{\alpha}$ ) exprimunt indeolem et nexum partium alicuius regni, naturam integrum et attributa cuiusdam artis, plurium artium nexus.

quos, a quibus, et de quibus dicitur: sic etiam in scripta oratione definitur pluribus modis.

Quidquid uspiami in scripta oratione ambiguum est, id certum sit vel usui loquendi, qui de significatione certa, non ficta, testimonium prohibet; vel orationis serie, quae constituit, quam e pluribus significationibus, per se certis, hic potissimum locus necessatio postulet; vel natura rei cogitanda, vbi per usum loquendi et orationis seriem explicatio duplex locura habet; vel historia. Atque has dico nunc περιστάσεις et adiuncta. Sequitur ergo, ut etiam in allegoria, genere quodam orationis, aut per adiuncta haec omnia, aut quaedam eorum, remouenda sit ambiguitas; aut si haec non sufficerint, ne remoueri quidem possit. Iam vero in allegoriae interpretatione usui loquendi et naturae rei longe praferuntur series orationis et historia: atque adeo usus ille et natura rei hic ne multum quidem valent. Nam in allegoria naturam rei cogitare, est, videre, duas res, et quatenus omnino comparari possint. Sed nunc non modo quaeritur, an possint, et quoad omnino possint conferri; sed multo magis, quatenus hoc nominatim loco reuera sint a scriptore comparatae, et a lectoribus conferri debeant. Pastores dici possunt reges, doctores, ac singuli quidem pluribus de causis: natura enim rei multiplicem comparisonem patitur. Sed nonne ubi vis singulariter queritur, qua quis parte nunc dicatur pastor? Similiter usus loquendi grammaticum quidem sensum similitudinis certo potest demonstrare; sed quae res nunc in similitudine, grammaticae intellecta, lateat, sive illud, ad quod

accommodari similitudo transferrique debeat, usus loquendi demonstrare non potest. Quid est, quod usui loquendi debemus, ubi Christus discipulos iubet alimenta et enses sibi parare \*)? Nihil, nisi ut intelligamus, alimenta procuranda et enses parandos esse. Sed, quod in illo latet, penuriam et odia hominum metuenda iis in posterum esse, omninoque molestias vitae iis praedici, hoc non dicimus usui loquendi. Verissime igitur Ernestius, post mortem quoque doctor et dux meus, admonuit \*\*), allegoricum sensum, si vere aestimes, ne sensum quidem esse; sed eius sensus, qui proprie dicitur, accommodationem ad aliquid illustrandum. Relinquitur, ut, quidnam in loco certo similitudine indicatum sit, per seriem orationis aut historiam definiatur.

Ac de serie quidem orationis nemo cupit admoneri, (res enim loquitur ipsa) vel praecepsisse, vel sequi aliquid, quod rei, similitudine tectae, adspectum lectoribus pandat; atque hoc modo vel consilium dicentis, vel occasionem huius potissimum allegoriae usurpandaे animaduerti: porro, ut plurimi allegorio sermoni verbum proprium immixtum esse, quo, velut ansa prehensa, vis et sensus totius allegoriae deprehendi possit: denique non raro scriptorem ipsum disertam admonitionem de sensu verborum suorum addere. In his vero leuissimum est, occasionem allegoriae usurpandaे obseruasse: nam interdum est multiplex \*\*\*); unde alias interpres aliunde incipit rem

\*) In euang. Lucae 22, 36.

\*\*) In institut. interpr. N. T. p. 9. §. 9.

\*\*\*) 1 Petri 2, 4—9.

cogitare: interdum vna quidem occasio est, omnibusque obseruata, sed allegoria ipsa nihilo minus ab aliis aliter explicatur \*). Grauius est, consilium dicentis animaduertisse: nam est consentaneum naturae, aliquem ad id, quod manifeste intelligi vult, omnia, quae propter hoc, quod intelligi vult, dicit, ipsum retulisse, et ab aliis etiam referri velle. Grauius etiam est, admixtum verbum proprium videre, quod vel permittatur cum tropico \*\*), vel improviso additur \*\*\*), vel, vbi allegoria finita scriptor ipsam rem propriis verbis vberius exponit, legitur †). Quod si scriptor ipse rem explicat, vel per partes eundo et consulto ‡‡), vel obiter et transeundo ‡‡‡), vel, ut in parabolis, epiphonemate addendo: tum omnis ambiguitas et dubitatio sublata est.

Historia vero quid facit ad sensum allegoriae detegendum atque constituendum? Perinultum sane tum, cum in proponendis allegoriis aliquis consulto quamdam obscuritatem sectatur, quam olim, ipso euentu lucem assundente, nullam fore praesentiscit. Ea saepe fuit Christi, in his terris do-

\*) In epist. ad Hebr. 3, II. καράπαυεις οὐδε. ibid. 12, 18. ὅρος στατικόν.

\*\*) In euang. Ioann. 6, 35 et 47. οὐδὲ φήσει et ἔχει σωῆν αἰώνιον. it. 35 et 51, οὐ πιστεύων et οὐ φάγων οὐ τῷ ἀρτῷ.

\*\*\*) Ibid. 12, 36. πιστεύετε εἰς τὸ φῶς.

†) I Petr. 5, 9. τὰ παθήματα. Totus ergo locus agit de calamitatibus, quae ad deferendam religionem animum inclinare possunt, et de necessitate mutuendi ad constantiam animi.

‡‡) Ephes. 6, 14—19.

‡‡‡) I Cor. 5, 8.

docentis, conditio. Habebat enim fere auditores imperitos \*), magna ex parte opinione inani de splendidissimo regno Messiae captos, plebem promiscuam, nunc cateruatum cum magna doctoris admiratione et praedicatione sequente, nunc discedentem vel taedio et indignatione, vel nouitatis gratia obliterata, vel metu molestiarum, in hoc coetu subeundarum, vel doctorum et magistrorum Iudaicorum auctoritate et minis, homines denique, non interioris apud ipsum admissionis \*\*), qui domini doctorem interrogare, et

B b 4

plura

\*) Huc referto Matth. 13, 13. Non enim puto hic contumaciam hominibus illis exprobrari: quoniam is, qui sermonem ailegoricum non intelligit, propterea nondam est contumax: sed simpliciter hic describi ignorantiam et imbecillitatem, cui attemperanda sit ratio docendi, ut nec plane nescii muneantur, nec doceantur ea, quae capere nequeant. cf. Marc. 4, 33. Verba Iesaiæ aliis in locis aliter ad id, de quo sermo est, transferuntur: et Io. 12, 39. aut Act. Apost. 28, 25. sane continent accusationem perverbaciae.

\*\*) Exotericos. Marc. 4, 11. Qui ergo ab his distinguuntur, discipuli Christi, hi necessario sunt Esoterici, qui cum magistro familiaritate vtebantur, eum interrogare domini poterant (Marc. 4, 34.), hac consuetudinis cum eo perpetuitate iam plura didicerant, ut facilius prouehi possent. His ergo esotericis concessum erat, talia perspicere (Matth. 13, 11.), h. e. ea erant conditione, ut possent facilius perspicere. Nam modus loquendi, Non concessum est illi hoc, significat: ille hoc non potest facere, accipere, propter ~~perspicere~~ animi, corporis, rerumque exteriorum. Ergo et proverbum adiectum, οὐς ἵκε — αὐτῷ, quod in multis humanæ vitae causis verum est, hoc loco, ubi de discendo et intelligendo profertur, necessario ad discēntes

plura edoceri posse<sup>nt</sup>. Hos tales auditores cum nihilo minus admonere velle<sup>t</sup>, ex altera parte, vt e multis paucula dicam, de lento suae disciplinae progressu, ex altera, de numerosissima sectatorum multitudine, certissime exspectanda; neque vero posset hoc siue circuitione semper proloqui, ne per illa bonas mentes deprimeret, leuesque plane abigeret, per haec iactator videretur, qui incredibilia diceret: proposuit quasdam similitudines, quibus olim in memoriam reuocatis intellecturi essent, non mirum esse, si res ita potissimum se haberet; eum enim praedixisse. Qui ergo non credituri erant docenti Christo, doctrinam, cuius sectatores publice prohiberentur sacerorum iuriumque communione \*), vergente saeculo primo per omne imperium romanum celebratissimam, multorumque millium assensu comprobatam fore, his interea ostenditur similitudo exignae copiae fermenti \*\*), per magnam farinae massam distributi,

gra-

discentes et intelligentes referendum est interpre-  
tando, in hunc sere modum: *Qui iam aliquid didicit, iam fundamenta iecit, is facile plura potest addere, his fundamentis superstruere. Qui vero vix primis labris rem degustauit (οὐ μὴ ἔχων), is adeo non facit progressus, ut etiam paucolorum, quae fortassis arripuerat, obli-  
visi possit atque soleat.* Vnde apud Lucam (8, 18.) additur: *Excute animum et sensum vestrum tum, cum quis vos erudit, an intelligatis, an, si obscurum sit, cupiatis intelligere, an impedimentum intelli-  
gendi sit in vestris viribus, moribus, cupiditatibus, institutis et negotiis vitae: nam nisi iam quaedam initia cognoscendi facta fuerint, non potest esse spes proficiendi.*

\*) Ioann. 9, 22.

\*\*) Matth. 13, 33.

granuli \*), procerum et patulorum fruticem gigantis. Sed qui deinde vicissitudines coetus christiani viderunt, ab his sermones eiusmodi facilissime intelligi potuerunt, euentu cognito. Et necesse est, ut persuasio de auctoritate, fide, diuinaque legatione Christi, qui haec tam accurate adumbrata praedixerat, multorum animis etiam hac de causa penitus ingenerata sit et infixa, quod euentum diligenter respondere cogouerant. Nos quidem et hos, et alios sermones, quos de certaminibus, quae seruire vellet \*\*), de incendio \*\*\*), cuius auctor ipse vellet esse futurisque esset, de jejunio \*\*\*\*), apostolis imminentibus obscurius habuerat, unde tandem intelligimus? Nimirum ex historia. Euentu edocti scimus, per doctrinam religionis diuisa esse hominum studia, sequentibus aliis hanc doctrinam, aliis eam oppugnantibus: et haec esse illa certamina. Experientia moniti didicimus, magnam rerum conuersioneum per doctrinam christianam effectam esse, inque hac incendum agnoscimus. Historia loquente audimus, post discensem Christi ex his terris vitam apostolorum plenam molestiarum miseriariuinque fuisse, et hoc esse illud iriunium statuimus.

\*) Ibid. v. 32.

\*\*) Matth. 10, 34. μάχαιρας βάλλειν.

\*\*\*) Luc. 12, 49.

\*\*\*\*) Luc. 6, 34. 35.



## XIII

*De**nexu significationum eiusdem verbi.*

**N**on iniustae sunt eorum querelae, qui in linguarum studio memoriam aut unam, aut iuslo diutius, occupari dicunt. Audiendus ergo est, quisquis se habere profitetur, quo memoriam in ea parte literarum adiuuet: siue breuiores, faciliorem ac certiores viam monstret; siue doceat, quibus institutis efficiatur, ut tum, cum memoria oceupatur, iudicium quoque vim suam exserat, atque adeo ii, qui discunt, et inscii iudicio vtuntur, se eo cum maxime vti sciant. Ita enim fit, ut non modo, praeter sonum et ideam cum eo coniunctam, aliquid amplius cogitetur; sed a discentibus etiam cognoscatur, quid et quo modo ingenium, memoria, phantasia, iudicium agere soleant, ideoque vel tenerima aetas, his animi facultatibus obseruandis, dignoscendi atque moderandis adsuefiat. Sed missis reliquis, quae de hoc genere accommodate ad educationem puerorum dudum praecepta sunt, et hodienum iterari atque commendari solent, vaum in praesenti eorum causa repetam, qui non tam facultate libelli alicuius intelligendi, aut vtcumque dicendi, frumentum omnem studii linguarum censem, quam hoc agunt, vt studium illud cum philosophia coniungant, hoc est, causas significationum teneant. Est enim in promptu, si quis sciat, quare aliquid ita

potissimum adpelletur, quo modo plures eiusdem verbi significaciones cohaereant, qua ratione ex se inuicem fuerint prognatae, eum, quoniam memoriam iudicio adiuet, rem multo facilius tene-re posse, quam qui significaciones singulas memo- riae simpliciter inculcat.

Sed causae significacionum multiplici modo quaeri possunt. Nam alii origines verborum indagant, vel in primitiis, vel in extera lingua, e qua verba sunt in aliam translata: alii consentium plurium linguarum, praesertim cognatarum, exponunt, et, ut vna in verbo aliquo nexuit plures significaciones, sic item in altera euenisse putant: alii indolem mentis humanae, et vires, et viam, quam natura in inueniendis nectendisque rerum ideis persequitur, obseruant: alii, historia duce, vicissitudines ipsarum nationum cum incrementis, cultu, ornatu, affectatione, subtilitate et copia linguas, qua quaeque natio vfa est, comparant, ut accessiones nouarum significacionum, ex his vicissitudinibus, ut e causis, deriuent: alii in animaduertenda similitudine soni et naturae rerum, sonno expressae, periclitantur. Nolo iam interpretari, quaenam harum rationum ceteris certior, et ad memoriam, de qua dicimus, fructuosior videatur: nam palam est, omnes esse coniungendas, et, qui reliquis neglectis vnam tenuerint, hos multa aut plane non, aut difficulter, cum opinione sua coniungere potuisse, neque memoriam adjuuisse, sed torpisse, suoque errore alios, qui multa deesse, multa ficta, multa item a vero aliena viderant, ad eam opinionem duxisse, ut nihil esse in his certi suspicarentur, sed dominari libidine

dinem ingenii, opinionisque vanitatem. Quae quidem suspicio vbi seipso animum incasit, quis non veluti machinatione impressas memoriae verborum significaciones recipere malit, quam istius modi commenticium causam disceat? Ita vero fit, ut, quod opinionum huiusmodi auctores voluerant memoriae adimiculo esse, id eam magis etiam fatiget, et, si tirones linguae alicuius discendae necessitatem impositam sibi senserint, onus hoc inuiti et recusantes subeant.

Liceat haec studiosorum causa ipsius historiae auctoritate confirmare. Auctor etymologici magni, quod Fridericus Sylburgius edidit, inter alia et hoc voluit efficere, (nam unum hoc profecto non spectauit) ut singulorum verborum veluti radicem inueniret. Quam operam ut in pluribus bene collocavit, tum praesertim, cum prima graecae linguae vocabula unius aut duarum syllabarum suisse demonstrat \*): (est enim verissimum, aliquaque linguarum similitudine confirmari potest:) ita vehementer interdum argutatur, quoniam ubique, etiam tum, cum fieri nequit, praestare vult, et, ut praestet, pro arbitrio, nulla certa perpetua que lege usus, omnis generis figuram comminiscitur, transpositiones, permutationes, coalitiones, eli-

\*) λῆ, δῶ, θῶ, γῶ, τῶ, σμέχω, σάχω, σένω, σύνω, σώνω, σώνω, et multa alia. Cf. Salmasius de Hellenist. p. 391. Hemsterhusius et Valkenarius in multis animaduersionum ad varios scriptores locis. Idem, sed longe alia via, nuperime in vernacula lingua tentauit Fr. C. Fulda, vir in primis doctus, edito hoc libro: Sammlung und Abstammung germanischer Wurzelwörter, Halae. 1776. 4.

elisiones, adiectiones literarum vel syllabatarum: ut exempla infra posita declarant \*). Sed fuit haec illius aetatis consuetudo, quae in Euflathii quoque commentatio Homerico, et scholiis ineditis Homericis, quae in bibliotheca Paulina Lipsiensi adseruantur, passim obtinet \*\*), videturque tum quidem.

\*) Νήπιος, παρὰ τὸ ἥπιος, πλεονασμῷ τῷ Ν. ἡ παρὰ τὸ Νη σερτικὴν ἐγί τὸ Εἰπτῆ γίνεται νηέπιος, καὶ κατὰ συγκοπὴν (add. νήπιος), ὁ μὴ δυνάμενος λέγεται ἡ νηέπιος, ὁ ἀσφρυμένος τῷ βίῳ: καὶ νήπιον, (an.; νήβιον) τὸ ἀσφρυμένον τῶν βιωτικῶν φροντίδων. ἡ παρὰ τὸ Νη ἀπιτατικὸν, καὶ τὸ Πῖον, τὸ λιταρὸν. ἡ Νέον τίον.

'Ετοιμάσσοτε, ἐκ τῆς ἔτοιμων τότο ἐκ τῆς ἔτοιμος. Παρὰ τὸ Οἴμος, ὁ σημαίνει τὴν ὁδὸν, καὶ τὴν ἔπι πρόσθισιν, γίνεται Ἐποιμες καὶ ἔτοιμος, ὁ ἐπὶ τὴν ὁδὸν ἀν παρσπενασμένος, τροπῇ τε Π ἢ Τ. ἡ παρὰ τὸ Οἴμα, ὁ σημαίνει τὸ ὄρμημα, καὶ τὸ Ἑδὸς, τροπῇ τε Θ ἢ Τ γίνεται Ἐτοιμος, ὁ πρόχηρος ἢ τὸ ὄρμημα καὶ πρᾶξαι. His addi possunt permulta. Nolim tamen haec a tironibus in contemptum huius libri trahi, qui in alio genere, praesertim ubi glossarii locum tenet, perutilis, omninoque ad emetiendum graece linguae ambitum necessarius est.

\*\*) In his scholiis ad Iliad. I, 321. haec notantur: Οὐραρὸς γέγονε παρὰ τὸ Τρέω, τὸ σημαίνον τὸ Φοβημαν. Ὁνομα ρίμητικὸν Τρεερὸς, ὡς Φανερὸς, καὶ κατὰ κράζει τῶν δύο ΕΕ ἢ Η Τρηρὸς, ὁ δικλός, ἐξ εἰ καὶ τρίτου παρανύμως, καὶ μετὰ τῆς σεργτικῆς Λ Αττηρὸς, ὁ δρασικὸς καὶ μὴ δικλός, καὶ μεταβολῆ τῆς Λ ἢ Ο, Οὐρηρὸς. Ἡ παρὰ τὸ Θρω, τὸ Θ;μᾶ. De verbo ἐπέσαντο ad Iliad. I, 464 ita differit: Τὸ Σέιρα Πατῶ, ὁ σημαίνει τὸ Εἴδιον ὁ μέλινος Πατήσων, καὶ κατὰ συγκοπὴν Πάσων ἐντεῦθεν γέγονε καὶ φάγη, ὁ τόπος, ἐν φι ἐθίσει τὰ ἀλσογα. Τὸ δὲ Πατῶ, ὁ σημαίνει τὸ Εἴδιον, γίνεται παρὰ τὸ Μάσσων, τὸ Μαλάσσων, ὅθεν καὶ Πάσσασθαι παρὰ τὸ Μαλάσσων, τροπῇ τῆς Μ ἢ ΣΠ, καὶ ἀναδρομῇ, τῆς τόντων, Πάσσασθαι. Ad Iliad. II, 219. Τὸ ἐπένηνος ἀπὸ τῆς Θέων, ἐν ὑπερβιβασμῷ Ἀθέων, ἀναδιπλα-

dem haud parua pars reconditae doctrinae grammaticae fuisse, etymologias quocumque demum modo reperire posse, quasi nulla pateret alia ad causas significationum via: nam in omnibus grammaticorum veterum libris multa huius studii vestigia exstant. Idem vereor, ne Isidoro in originarium libris, et, qui hunc secutus est, Vossio in Etymologico latinae linguae saepe numero acciderit. Rursus qui similitudinem soni et naturae rei *vbius* quaesiverunt, ut inter veteres Plato, ii quantopere indulserunt ingenio, et eorum, quae in hoc genere certa sunt, (sunt enim vocabula, rem ipsam sono imitantia) dissimilia dixerunt \*).

Aliud

*τιασμός Ἐνέργεια, Ἀνάθεται, καὶ Ἐνύποδα.* Haec non inutiliter cum Etymol. M. conferentur. Ceterum vix opus videtur, ut admoneam, multa alia, eaque longe utiliora, in his scholiis contineri, ea praesertim, quae de variis Homericorum carminum recensionibus, et omnium grammaticorum explicationibus diligentissime et utilissime dicuntur. Particulas quasdam horum scholiorum codicis Lipsiensis edidit nuper Wassenbergius in edit. lib. 1 et 2. Iliados Homericae. Franequer. 1783.

\*) Notissima est Platonis sententia, in Cratyle p. 54. ed. Bas. (c. 19. ed. Fisch.) expressa, qui cum ex Heraclito posuisset, omnia moueri, nihil quiescente, hanc ipsam uniuersi mundi legem omnibus linguae graecae verbis significatam esse autumat, si quis ad eorum origines redire nouerit. Ita φρόνιμος est φορᾶς καὶ βῆ νέκτας, ut, si componas φ et ρ et νέκτας, efficiatur φρόνιμος. Ita αἰσχρὸν est αἰσχόρρητον, hoc est, αἱ τέχναι τὸν βῆν, quod cohibet cursum uniuersi, siue legi naturali repugnat. Deinde cum instrumenta loquelae vario motu varios sonos efficiant, volubiles, pressos, asperos, quiritantes, concludit, in quibus verbis litera volubilis aut aspera sit, iis verbis rem volubilem aut asperam significari. p. 63.

Aliud enim est, in verbis αλαλάζειν, ὄττοτος,  
 βόμβος, agnoscere similitudinem rei ac sonis:  
 aliud, in litera Rho celeritate vel motum ex-  
 pressum sentire. Recentiores etiam non nulli  
 conati sunt. Non eos dico, qui in hebraicarum  
 literarum figuris luserunt; sed qui nuper admo-  
 dum, obseruandis literarum singularum sonis,  
 eorumque vi ad ideas quasdam exprimendas, ver-  
 naculae linguae veluti stamina indagare coepe-  
 runt: quos ut admiror et magni facio, res enim  
 est immensi laboris et inaudita constantiae, ita  
 quantum progreedi licet, tempus et doctrina Ful-  
 dae decebit. Qui vero rationem expedire conan-  
 tur, qua humanus animus ab una eiusdem verbi  
 significatione ad aliam transierit, ut in tropis, hi,  
 et si verae et experientia comprobatae sententiam  
 sequuntur, tamen neque ultra causas deriuatarum  
 significationum progreedi, neque semper definire  
 possunt, quaenam omnium prima sit, unde initium  
 ad ceteras descendendi iure fiat, cum pro-  
 pter ambiguatem, tum quia multorum verbo-  
 rum primas significationes intercidisse con-  
 stat. Similitudo denique linguarum, quarum  
 altera cum altera communicavit verba ipsa, (ut  
 Dorientes cum priscis Italos) verborumque signi-  
 ficationes, et in vita communi, et in poesi  
 aliisque artibus ac disciplinis obuias, illa igitur  
 consensio permultis indiget argumentis, ex histo-  
 ria populorum et artium petitis: de quibus si vel  
 maxime constet, magna tamen in singulis mode-  
 ratione opus est, ne confessionem hanc latius pa-  
 tere putemus, quasi ii, qui linguam aliunde acce-  
 perint, nihil ipsis adinuenient aut mutauerint:  
 quod

quod interdu<sup>m</sup> difficultimum est intellectu. Quod si nulla ratio causarum quaerendarum per se sufficit, manet hoc, quod posui, omnia causarum inuenientiarum praesidia conquirenda esse.

Sed si quaeratur, quodnam horum praesidiorum animum vberissime nutriat, hoc est, praeter id, quod memoria tenendum est, etiam ingenio et iudicio materiam conferendi, examinandi et decernendi offerat; non dubitem illud praeferre, quod in nexu deriuatarum eiusdem verbi significationum sinest. Nam primo, qui hac via incedunt, a certis et vsu loquendi confirmatis significationibus faciunt initium. Deinde similitudinis et nexus omnia genera (relationes volo) intelligunt; quod quantum habeat utilitatem, in metaphysicis docetur. Rudiora porro antiquissimorum ingenia, successu temporis exculta, mutatosque mores vident. Rursus ipsa initia doctrinae et artium, ab aliqua gente suscep<sup>t</sup>tarum, perspicue animaduertunt. Quid illam suavitatem an utilitatem dicam, cum palam sit, rerum honestarum vocabulis paulatim aliquid indiguitatis, vilitatis aut irrisionis haesisse, contra vitiorum nomina subinde ad hilaritatem, facilitatem, lepidamque petulantiam tracta esse. Verum haec atque talia a multis saepe iam exposita sunt. Et quis tandem neget, si memoriae hoc modo succurratur, multo certius ei infigi vocabula, quam si sonum et ideam, temere quasi et casu hexa, arripiat quidem, sed nullam habeat ansam, qua ea prehendat et teneat. Arbitrer etiam, linguas ita libenterius atque utilius disci.

Ac multi quidem multa verba hoc modo illustrarunt, Rudeus in commentariis linguae graecae, Stephanus in thesauro, veteru inque scriptorum interpres passum, Perizonius nominatim, I. Fr. Gronouius, Hemsterhusius, Wesselius negari tamen nequit, plura superesse, in quibus ingenium exerceri possit. Itaque unum in praesenti delegi, verbum λαμυρὸς, cuius varias significaciones nexus inuicem esse ostenderem. In quo si quid dixero, quod iam ab alio dictum sit, et si mihi non innotuerit, feram libenter, si ad alium auctorem referatur, atque adeo, me cum eo, quem non legi, coasensisse laedabor.

Videtur ergo, qui paulo liberius et audacius loqueretur, ab antiquioribus dictus esse λαμυρὸς. Etenim Socrates, ubi amorem venereum contemnit describit, et ad illiberalern humilitatem deprimit, se dicit impauide et liberrime iudicare (*παρέγνηστάζεσθαι*), ac fatetur, vino se incensum, et acriore liciti amoris studio commotum, aduersus amorem venereum vehementius dicturum: neque adeo mirum videri, εἰ λαμυρώτερον λέγη<sup>\*)</sup>). Hoc, si verborum contextus spectetur, in primisque simile verbum παρέγνηστάζεσθαι, nihil aliud esse potest, quam: si dixerit liberius, acrius, vehementius. Seruavit hanc verbi viam, quamquam in alia re et alio modo, Aelianus \*\*), ubi bestiae cuius-

<sup>\*)</sup> Xenoph. Sympos. 8, 24. Huc arbitror suidam respexisse, qui in λαμυρὸς post alia multa sine interpretatione posuit: Καὶ λαμυρώτερον. Nisi potius recentior manus hoc addidit.

<sup>\*\*) de natura animal. I, 14.</sup>

cuiusdam indolem describit, tam prouae illius ad voluptatem, et in ea quaerenda tam artificiosae, ut Medorum et Persarum ritu.<sup>\*)</sup> viuere videatur. Quae comparatio bestiae et nationis alicuius cum haud dubie paulo audacior sit, ipse Aelianus fassus est, se haec λαμυρώτερον ελεγκέναι, *audacius dixisse*<sup>\*\*</sup>). Adparet ergo, propter aliquam notionum similitudinem, vocabula ab alio ad aliud transferri: nam differt profecto libertas acerius et vehementius disputantis, quae in Socrate fuit, ab libertate scriptoris, duriore tropo videntis: tamen utrumque est, λαμυρῶς λέγει<sup>\*\*\*</sup>). Iam ut audacia et duries, in his duobus locis descripta, nihil habet improbitatis et vitiositatis: ita, cum eadem in licentiam atque temeritatem facile degenerare soleant, coepit verbum inflecti ad impudentiam, temerariam fortitudinem et asperitatem significandam. Plutarchus quidem conqueritur<sup>\*\*\*\*</sup>), non nullos crimen timoris et ignaviae ita effugere, ut ubique prae se ferant λαμυρίαν et θρασύτητα. Atque altero verbo, θρασύτης, ferociam indicari,

palam

\*) Hanc luxurandi consuetudinem descriptis Xenoph. Cyrop. §. 8.

\*\*) Vid. Abreschius ad Thomam Mag. p. 568. ed. Bernard.

\*\*\*) Idem valet in eo, quod Dionysius Halicarnassensis; Longinus, Demetrius Phalerenus, aliqui rhetores, grammatici et sophistae, duriores tropos adpellant παρακειδυνευμένως λεχθέτας. Nam aliud est, παρακειδυνεύειν, aut παρέβαλον et φύσειδυναν εἶναι, h. e. *audacius se exponere periculo*: aliud, *in dicendo aliquid andere*. Tamen utrumque dicitur παρακειδυνευμένον.

\*\*\*\*) De discr. adul. et am. c. 37. ed. Krigelii, qui ibi vid.

palam est. Sequitur, ut in altero, λαμυῖα, sit *audaciae* vis, non honestae illius nec probanda, verum turpis et indecorae, adeoque *temerarijne* et vanae: quae *vicitius τόλμα ἀλόγισος* dicitur \*). Inde auctor etymologici magni et Phauorinus λαμυῖαν interpretati sunt ἀλόγισον ἀνδρεῖαν. Quod autem λαμυῖον esse dixi *impudentem*, id e Phrynicho infra ostendam. Sed et haec asperitatis ac ferociae significatio ad plura transfertur, ac de rebus adspectabilibus usurpatur. In quodam loco Theocriti \*\*), ubi irritatus leo, iram et vlationem spirans, aperto rictu dentes λαμιές sien-disse dicitur, interpreter *asperos, horridos*. Nam vidi, grammaticos, Hesychium nominatim, Suidam et Phauorinum, λαμυῖον interpretari κατα-πληκτικὸν, *terribile*: id quod Georgius Arnaldus \*\*\* ) loco Nicandri \*\*\*\*) illustravit, ubi de serpente est: Σμερδαλέου — ἐπὶ οἱ λαμυῖον πέφρεξ κάρηνον, *caput, ad terrorēm usque horridum*. Itaque λαμυῖον non tam est *terrificum*, (alioquin enim Nicander non potuisse addere σμερδαλέου) quam *asperum, horridum*, hoc est, ab adiuncto *terrificum*. Traditur enim in illis glossariis non semper ipsa verbi significatio; sed ita, ut signifi-

Cc 2 cationi

\*) Thucyd. 3, 82. Ita ergo λαμυῖα et θράσος syn-onyma erunt, si recte monuit de verbo θράσος Ictiolastes ad Eurip. Med. 469. 470. et Ammonius (p. 71. ed. Valkenar.) iisque opponitur εὐτολμία.

\*\*) Idyll. 25, 234.

\*\*\*) Lect. Gr. p. 89.

\*\*\*\*) Theriac. 294. Fluctuat ad hunc locum scho-lastes, qui λαμυῖον explicat λαῦρον, ή ταραχῆδες, ή εὐθυντες. Lonicerus *asperum* vertit.

cationi adiuncta idea, (consequens, effectus, relatio, similitudo, vel illa quaelibet determinatio) exprimatur: unde saepius perquam lubricum est, glossariorum interpretationes pro ipsis verborum significationibus habere \*).

Hactenus effectum est, λαρυγλαν esse audaciam, asperitatem, temerariam fortitudinem, et impudentiam: nec difficile fuit, horum omnium nexum, qui palam est, deprehendere. Sed longe ab his recedunt, quae nunc tractanda sunt. Numirum qui liberius omnes addoquitor, a neinane refugit, sed, quod cum singulis colloquatur, libet, qui adloquio et colloquio omnes capit et delinit, in quo non est pudor subruscus, qui neque in dicendo anxius est, neque in agendo moribus contortis, a venustate et elegantia liberali longe remotis, is graece dicitur λαρυγλης. Nonne vero adparet, veterem illam significationem liberioris audaciae, temeritatis atque impudentiae, paullatim ita immutatam esse, ut, sublata vitiostatis macula, omnino liberam, aut, si lenius dicitur, liberalem et blandam ac suauem viuendi rationem

\*) Αμφιλαρης non est κατάσκοιος, ut Hesychius explicat, si ipsum verbi significationem spectes; sed multum, copiosum: tamen illud nemus, δένδραν αμφιλαρης, arboribus frequens, densum, quod Callimachus H. in Cep. v. 27. describit, hanc ipsam ob causam, quia densum arboribus est, idem est κατάσκοιος, umbrosum. Ergo κατάσκοιος est adjungit τῷ αμφιλαρης, siue eius consequens, neque λαρυγλης, sed δένδραν αμφιλαρης est umbrosum. Neque δένδραν in Sophoclis Alage (288.) est cobibere, impedire, ut Scholiastes vult, sed obiurgare: tamen qui obiurgat, exhibet alterum.

tionem (das freye ungezwungene Wesen) recentiores verbo hoc exprimerent? Et nonne haec per rei naturam ita cohaerent, ut alterum cum altero opinione permutetur? Quae enim rudiori ac seueriori, fortasse etiam honestiori interdum, vetustati visa sunt audaciae ac proteruiac tribuenda, ea recentior aetas non numquam blanda, liberalia, hilaritatis atque facetiarum plena censet. Atque adeo, quae in pagis, oppidulis, ac terris, nullo magnopere cultu expolitis, studiose fugiuatur, ne quis immodestus, nimius, procax, intemperans aut petulans videatur, ea interdum in celebrioribus urbibus, vbi omnia liberalitatem spirant, iudicantur eorum esse, qui sciant, quo modo inter alias sit viuendum, qui vincula inconditae verescundias abiecerint. Itaque non mirandum est, si recentiores λαμπρὸν in meliorem partem dixerunt, de homine in sermonibus et vita liberali ac venusto, cum olim verbo eodem notatus esset is, qui ad licentiam sermonum ac vitae progressus existimatetur. Proinde Phrynicus \*) verissime dixit: Οἱ νῦν μὲν τὸν ἐπίχαριν τῷ ὄνοματι (λαμπρὸς) σημαινόσιν, οἱ δὲ ἀρχαῖοι τὸν ἡταμὸν καὶ αὐαδὸν. Sed age, exemplis haec videamus.

In vita Luculli, a Plutarcho scripta \*\*), mentio fit cuiusdam Praeciae, quae laude pulcritudinis et λαμψίας Romae floruerit, eadem tamen

Cc 3

a me-

\*) Pag. 128. ed. Pauw. Hemsterhusius quidem ad Thomam Mag. p. 569. Phrynicus non multum tribuere videtur; sed in hac quidem observatione ausim Phrynicum defendere.

\*\*) Cap. 6. vol. 3. p. 233. ed. Reisk.

a meretricia turpitudine non ab fuerit. Sed λαμψία eius in se non magis est vitiosa, quam pulcritudo; cum et λαμψία et pulcritudo paulo post communis venustatis (χάριτος) nomine appellentur. Quaenam ergo fuerit λαμψία, sic videtur reperiri posse. Scilicet Plutarchus narrat, Praeciam ea fuisse arte, ut specie honestatis \*) quemlibet in suam sententiam traheret, omniumque studiis, blandissime sibi conciliatis, e re sua atque arbitrio vteretur; ea item gloriae cupiditate, ut quiduis ab se effici posse videri vellet \*\*). Nonne ergo λαμψία, quae hanc artem et astutiam placendi dominandi multum adiuvit, blanda fuerit suadela, cum summa inorum venustate (das Einnehmende), cui nemo facile posset resistere? Sed veteres hanc dixerant πειθώ, cum in dictis, tum in factis, ad capiendas aliorum voluntates accommodatis. Itaque auctor etymologici magni, Suidas, Thomas Magister, Phauorinus λαμψὸν interpretati sunt εὐτράπελον, et λαμψόν interdum volunt esse ἡδύτητα: Suidas etiam exempla ex epigrammatibus adiunxit. Similiter dicendi genus ornatum et exquisitum dictum est λαμψὸν. Synesius quidem \*\*\*) , ubi dixerat, rem ab aliquo exquisite scriptam esse, σοφιστικῶς μετακεχειρισμένην, sic explicat, τῇδε λαμψῶς καὶ δεξιῶς, ut adeo liber plurimum haberet suavitatis, πολλὴν τὴν ἀφροδίτην ἐπαγόμενος.

Hacce

\*) Ἐχρῆτο τοῖς ὄντυγχάνεσιν αὐτῷ καὶ διελεγομένοις πρὸς τὰς ὑπὲρ τῶν Φίλων σπεύδας

\*\*) Σοβαρὰ καὶ τανήγυρική καὶ δρασύριος.

\*\*\*) In Dione p. 25. ed. Turneb.

Haec igitur suauitas in quaecumque vitiis degenerare solet, dicacitatem, loquacitatem \*), scurrilitatem, ea omissa hoc ipso verbo exprimuntur. Perspicuus est Plutarchi locus \*\*) ubi Alcibiadis in administranda ciuitate rationem πολιτείαν ἀγανάκτησεν fuisse arguit. Cum vero, ut est in eodem loco, Alcibiades omnia retulerit ad captandum populi fauorem, omnibusque blandimentis, quibus se in animos plebis insinuaret, usus sit, atque adeo, modo populum sibi conciliaret, scurrilitati et petulantiae indulserit: sequitur, in eius λαμψέω, quae huiusmodi signis se exseruerit, in uniuersum quidem fuisse studium placandi, sed cum studium hoc nimium fuerit, οὐτούς λαμψέα, hoc est, adulatorium, humile, vitiosum, videtur in *nimirum obsequiostate* ponendum \*\*\*). Sed interdum, et si illud *nimirum* non additur, tamen verbum in detinorem partem dicitur: quod et aliunde, et a glossariis antiquis intelligi potest. Hesychius enim λαμψέων interpretatur verbo λαμψάσου. Suidas contra, apud quem λαμψάζειν scribitur, esse vult χλευάζειν: ideoque cum Hesychius λαδρά \*\*\*\*) explicet λαμψά, eique tribuat omnes verbi λαμψάō significaciones, efficitur, ut λαμψά interdum

Cc 4

sunt

\*) Vid. Hemsterhus. ad Thom. Mag. p. 569. ubi locum e lexico MS. Cyrilli profert.

\*\*) In comparatione Alcibiadis et Cerialani init. Vol. 2. p. 161.

\*\*\*) Hemsterhus. l. l. e codice antiquorem locum etym. m. profert, quo haec confirmantur: λαμψάν πολιτῶν, τὸν ἀναδῆ καὶ λάθρου (λαθραγόρης. Homer. Iliad. 23, 479.) ἕγει τὸν μεγαλόβυλον καὶ θορυβώδην. Ac talis fuit Alcibiades.

\*\*\*\*) Non videtur hoc differre ab λαθρά, λαθυρά, λαθυρά.

sint χλευασικά. In eodem glossario λάτρεια<sup>βος</sup> est λαμψός, et λατρεῖαν, ἀλαζονεύμενος: unde cogi videtur, λαμψὸν etiam dictum esse iżfato-reū \*). Sed d. his non nisi dubitanter dici potest, donec scriptorum loca, ad quae glossariorum autores respexerunt, reperta fuerint. Quam ipsam ob causam non sustineo indagare, qui factum sit, ut Phauorinus λαμψὸν interpretaretur *multum, copiosum*, et Thomas Mag. καθαρὸν, quamquam πηγὴ λαμψός, quam ille dicit καθαρὸν, (*limpidum fontem*), esse potest *blanda*.

Sed etio cuius liberum, utrum tam diuersas eiusdem verbi significationes, sine omni nexu, discere velit, an cogitando coniungere. Quod si in ipsa vita communi haec ita coniuncta reperiuntur, vt, qui liberrimi sint, interdum ad impudenteriam usque, tamen ab aliis liberales existimantur, ut liberales sint faceti, faceti porro dicaces, dicaces rursus loquaces, loquaces denique scurrae, et haec omnia, suo quodque modo, his illis placeant: quidni etiam linguae usu coniuncta esse obseruemus? praesertim cum coniunctio in ipsa re haud dubie fuerit occasio, ut loquendo exprimeretur, et, ut mores mutati fuerant, etiam verborum usus mutaretur.

\* ) Suspicor, in eo loco, ubi Hesychius λατρείαν esse dicit λαμψόν περ' ἀριθμάσεως, intelligi inuitis extortam iactationem.

## XIII

*De Euripidis Phoenissis.*

**N**on nuper admodum ego potissimum detexi, etiam in Euripideis carminibus bona malis mixta esse; nec Grotius\*), Brumoijus \*\*), aliquo recentiorum bene multi, hunc poetam laudare aut reprehendere demum instituerunt; sed ipsorum aequalium aliis probatus est, aliis improbatus, ab iisque acceptam hanc sententiam communi omnium aetatum consensu propagatain esse atque confirmatam, constat. Quod ergo aliis alio tempore licuit, ceterorum suffragiis suam addere opinionem, et vniuersae huius disputationis partem aliquam tractare, id mihi etiam concedi posse arbitror.

Sed cum omnis de huiusmodi carmine disputatione duabus partibus constet, ut partim de scriptoris ipsius arte atque facultate iudicetur; quo neglecto nulla magnopere imitandi spes, nec ullus ad bene dicendum fructus relinquitur; partim singula loca vel explicentur, vel e legibus criticis tractentur: etiam in praesenti placuit, praemissis iis, quae partium quarundam virtutes et via exanimarent, in alterum caput non nullas de locis dubiis coniecturas conicere: in interpretando enim operam collocare, post Celeberrimi Val-

Cc 5

kenarit

\*) Prolegomena Grotii ad Euripidis Phoenissas p. 817—830. ed. Valkenar.

\*\*) Theatre des Grecs T. 4. p. 157—203. ed. Amstelod.

kenarii studium non magnopere necessarium visum est. Ac illa quidem quaeſio, utrum Euripidis ingenio per omnem fabulam prosper ſuccellus contigerit, an quaedam occurrant, quae non videantur cum Longino κατορθώματα dici posse, tanto faciliorem habitura videtur excufationem, quanto pluri- bus lectoribus aptior eſt. Sed vt haec pars venuſatis eſt, et elegantiae, et imitationis, ſic altera illa critica pars, cum ad intelligendi explicandi que facultatem referatur, et in re indaganda princeps eſſe debeat, non potest praeteriniti.

Eorum autem cauſa, qui non recentes ſunt a lectione huius tragediae, et haec tamen, quae ſcripſimus, exattingare nobiscum ac dijudicare dignabuuntur, occaſione in atque ſummam, fabulae breuiter exponere liceat: qua non intellecta, de partibus singulis earumque nexo ſic, ut nos quidem in praefenti iſſituimus, ne iudicari quidem potest.

Cuin ergo Oedipus, hominum omnium, quos quidem fabulae horunt, calamitosiſſimus, de parricidio, quod inſcius commiſerat, certior factus ſeneti ipfe excoecasset; a filiis autem, Eteocle et Polynice, qui regni Thebani ſociam administrationem fuſcepereant, non ſine multa impietate cubiculi tenebris inclusus detineretur: dira concepit vota, ut intestinis eorum diſſidiis domus regia periret <sup>\*)</sup>. Sed quamquam de regno capeſſendo inter fratres ſic conuenerat, ut ei per annuas vices praeceſſent, et Eteocles quidem prior, exſulante interea

<sup>\*)</sup> Eurip. Phoen. 63—68. Statius Theb. 1, 56—67.  
Plato Alcibiad. ſc. init.

interea minore fratre, ne domesticis simultatibus locus daretur: tamen idem Eteocles, auctis post Polynicis fugam opibus, eum omni spe ac iure redeundi priuauit. Exsul ergo Polynices, ducta Adrasti regis Argui filia, adiutus a socero, nobilium illam expeditionem septem heroum ad Thebas suscepit. Qui dum urbem obsident, Iocaste regina, de filiorum salute sollicita, placare eos conatur, et Polynicem ad colloquium cum fratre e castris in regiam Thebanam inuitat: quae ipsa huius fabulae initia sunt.

Nimirum Iocaste, dum filium materno studio exspectat, dolore mersa, secum sola omnes superioris vitae calamitates repetit, tristique earum cogitatione fabulam orditur. Postquam deos auxilium precata discesserat, Antigone, dissidentium regum soror, manu paedagogi ducta, tectum aediuin adscendit \*), hostilem exercitum spectatura: cuius duces quinam sint, quibus nominibus et armis vtantur, paedagogus, nuper admodum e castris in urbem reuersus, spectanti atque sciscianti enarrat. Sic primo actu finito, chorus Phoenissarum, per Thebas iter facientium, deos rogarat, vt, soluta mox obsidione, ad Apollinis facra, quorum causa venerant, tuto sibi pergere liceat. Inter haec Polynices, vt erat inuitatus, regiam ingreditur: quo quidem agnito, Phoenissae illico Iocasten euocant. Itaque matri, percontanti secundos et aduersos exsiliis casus, peramanter omnes enarrat.

\*) Haec an cum superioribus bene cohaereant, et ad omnem fabulam vim quamdam habeant, infra disputabitur.

rat Polynices, donec Eteocles se inserit. Sic ar-  
bittam filiorum agens mater ambos causam dicen-  
tes audit, hortatur, rogit. Frustra. Durus ad  
cedendum Eteocles verborum asperitate proturbat  
Polynicen, ac spreto foedere bellum instaurat.  
Alterum hunc actum ode Phoenissarum finit, quae  
florenti antiquitus et illustri Thebaeo regno nunc  
quoque propitos deos adprecatur. Iam Eteocles,  
**ad exercitum abiturus**, prudenti consilio Creontis  
auunculi regitur, eique mandata de cura regni et  
familiae, de consulendo Tiresia, deque Polynice  
non humando relinquit. Dum vero Tiresias ar-  
cessitur, Phoenissae saeuitiam Martis, fata Theba-  
rum, et instantem calamitatem queruntur. Iam  
sub initia tertii actus Tiresias adeit, et a Creonte  
fata pandere iubetur: ille vero sic recludit, ut, si  
saluam cupiant patriam, Menoeceo, Creontis filio,  
pereundum esse moneat. Hoc responso irritatus  
Creon vatem asperc dimitit, filiumque fuga salu-  
tem querere iubet; sed amantior patriae Menoe-  
ceus laetus morti se offert. Abeuntem laudat cho-  
rus, commemoratis antea Thebani regui viçissitu-  
dinibus, ac talibus filiis beatas matres praedicat \*).  
Quarto actu ineunte adeit, qui Iocastae narrat,  
Menoeceum gladio se transfodisse, urbem fortiter  
defendi, Eteoclem et Polynicen viuere, sed in  
eam conditionem descendisse, ut singulari certa-  
miae decernerent, iamque adeo paratos stare. Ibi  
tum mater Antigonem euocat, et cum ea in aciem  
festinat,

\*) Sed et hoc, et laus Menoecei parua pars est  
huius carminis, quod totum fere fabulosae Theba-  
rum historiae impeditur.

festinat, si in matris amplexus, si sororis preces sae-  
uos et inhumanos fratres fortasse flectant: chorus  
autem certo periculo incertoque victoriae exitu  
angitur. Ultimo actu Creon filii quidem cadaver  
Iocastae curandum offert; sed interea, dum eam  
abiisse a choro discit, nuncius adstat, qui de regia  
domo actum esse narrat, Polynicen cecidisse, Eteo-  
clem, dum spirantem adhuc fratrem spoliat, ab  
eo nec opinum gladio transfixum esse, Iocasten  
inter amplexus cadaverum p[ro]ae insano luctu et  
ipsam pectus perforasse \*). Orba igitur Antigone  
velut dolorum furiis concitata reuertitur, euocato-  
que patri Oedipo, quidquid acciderat, ordine re-  
fert. Interea Creon irruit, partim Eteoclis et Io-  
castes funus paratus, partim, Oedipo in exsilium  
ejecto, imperium sibi vindicaturus. Ac Oe-  
dipus quidem ita cedit, ut se in primo quo quis  
campo perire inalle fateatur, quam tyranno humili-  
ter supplicare: sed Antigone, quam Creon et  
sepeliendi Polynicis officio prohibet, et in crafti-  
num nuptias Haemonis (qui minor Creontis filius  
est) exspectare iubet, muliebre[m] obnitendi perti-  
naciam et molliora verba miscet: denique amore  
patris abiturrentis victa Thebis valedicit, et exsulem  
comitatur.

Ex hac fabulae descriptione intelligi posse ar-  
bitror, primo, sumunam rei esse, quo modo fra-  
ternae controuerbiae componantur, et quem euen-  
tum hic conatus habiturus sit: deinde, principes  
totius fabulae personas Eteoclem et Polynicem cum  
Iocaste.

\*) Hoc euento ipsa res, cui haec fabula destinata  
erat, mihi quidem videtur finita.

Locaste videri; ceteros omnes, qui inducantur;  
 hōrum causa prodire sic debere, vt conata illorum,  
 vel adiuuent, vel impedian, aut saltē habeant,  
 quod eum illis primariis personis necessario agant.  
 hoc est, ideo, quoniam alias haec personae incepta  
 aut plane non, aut non hoc potissimum modo  
 persequi potuissent. Ab hac lege si quando poeta  
 recessit, nae ego quidem nihil indignor, qui pul-  
 cerrime exposita loca, quamquam cum aliquo artis  
 neglectu, admirari per se et ferre didicerim; sed  
 hoc tamen modeste admonere licet, non sum-  
 mam in neciendo diligentiam ubique conseruatam,  
 nec, vt Horatius ait, totum accurate composi-  
 tum esse.

In quam ergo reprehensionem sic instituta  
 fabula incurrite videatur, nunc quaeramus. At-  
 que vt eius auspicandae tempus bene delectum est,  
 (fuit enim rei natura, vt mater, talis filii aduen-  
 tum tali tempore exspectans, superioris vitae casus  
 aduersos cogitando renouet) sic altera illa scena,  
 quae Antigonē et paedagogum, e tecto regiae  
 hostilem exercitum prospicientes, deque armis et  
 habitu heroum colloquentes introducit, mihi qui-  
 dem pluribus de causis vituperanda videtur. Pri-  
 mumi enim, si modo fas est postulare, vt eiusdem  
 rei gestae vicissitudines ex se aptae sint, nec alia  
 aliam sine illa causa sequatur, sed si hoc licet,  
 quis probare tandem hanc scenam poterit, cuius  
 ne minima quidem causa aut occasio in proxima  
 scena fuerat? Neque enim adparet, cur hoc po-  
 tius colloquium habeatur, quam illa quaelibet  
 alia res geratur; cur in tecto aedium potius ali-  
 quid fiat, quam in alia earum parte, aut media  
 vrbe.

**vrbis.** Poterant igitur eodem iure multa alia hic  
 fangi; modo is poeta praeclarus esset, qui licen-  
 tius aliquid arcesseret, nec, quo res eum duceret;  
 duci se atque spectatores pateretur. Ipse adeo Eu-  
 ripides videtur sensisse, hanc rei parum necessariae  
 inferenda licentiam excusatione quadam egere:  
 de quo illa dubitare nos non patiuntur, quod  
 paedagogum de venia tecti adscendendi, Antigo-  
 nae concessa, loquentem facit; quod vacuas vrbis  
 vias esse demonstrat, ne virgo infamiam metuere  
 cogatur; quod exercitum cum maxime propius  
 vrbem moueri dicit, ideoque hoc in primis op-  
 portunum spectandi tempus iudicat. Quorsum  
 enim haec omnia, si in totius rei serie fuisset,  
 vnde hoc colloquium sponte originem duceret?  
 Rursus nihil habet haec scena, quod quaedam ve-  
 lut semina eventuum futurorum contineat; imo  
 adeo, denito hoc toto sermone, tota fabula falsa  
 est, et res, ut exiit, exire potuit: vnde gramma-  
 tieus ille, qui Phoenissarum argumentum graece  
 scripsit, non male iudicauit: Η Ἀντιγόνη, αἴσθη-  
 τῶν τειχέων θεωρεῖσα, μέρος ἔχει δράματος.  
 Quid dicam, quod spectatores ex atrio, ubi regi-  
 nam viderant, iam aliossum transire, emollientem  
 in tectum Antigonem cernere, ac diu ibi morati-  
 ratus in atrium ad chorūm (nam ad aram fuit  
 chorus, v. 281.) reuerti coguntur? Quamquam  
 haec libenter tulerim, si modo subitae mutationis  
 idonea causa intelligatur, et futurorum necessaria  
 praeparatio. Et quid choro tandem factum est?  
 Stetitne, dum illi in tecto confabulabantur, otio-  
 sus? Suspexitne tectum, et voces ex alto captauit?  
 Nam quomodo ipsi rei se iminiscere, et una agere  
 aliquid,

aliquid, aut iis sensibus moueri potuerit, qui secundum naturam in carmen aliquod erumperent, equidem fateor me non videre. Itaque illa ode, quam canunt (210 seqq.), magis consuetudini debetur, et instituto in veterum theatris ordini, quam rei atque necessitat[i].

Sed quid contra dici possit, video: expletum esse hoc Antigones et paedagogi sermone vacuum temporis interuallum, donec exspectatus Polynices in regiam veniret. Quid erat vero, quare tam longum spatium singeretur, quod otiosis curruum armorumque descriptionibus explendum esset, quibus insuper vereor ne ad omnia alia spectatores fabulae rapti sint, quam quae sentire, cernere et cogitare in praesenti par fuit? Nonne, sermone Iocastes finito, dum chorus cantabat, Polynices portas ingressus, iamque adstantis regiae fingi poterat? Nunc, ut res ab Euripide instituta est, non illam modo offensionem habet, de qua dixi; sed verisimilitudinis etiam leges in temporibus aduentus metiendis neglectae videntur. Nam si Antigone Polynicen, Niobeae stirpis sepulcro in mediis campis adstantem (v. 162.), e tecto vidit, nec nisi in urbem mox venturum esse audiuit (v. 174.), nullo autem signo, eum iam venire et proprius urbem moueri, agnouit: quo modo ille, dum chorus breuem oden cantat, e campis ad portas pergere, in urbem intromitti, et per vias urbis ad regiam progredi potuit, ut, finita ode, et altero actu ineunte, iam cum choro in atrio colloqueretur?

Forsitan etiam aliquis existimet, ita septem herorum personas, quae postea (1111—1147.) tracta-

tractatae sint, commode adumbratas esse, ut suo tempore facilius agnoscerentur. Quae oratio valeret aliquid, si ipsi illi heroes, praeter Polynicen, in reliquo fabulae decursu aut agerent, aut dicerent aliquid, quod ad summam rei, hoc est, ad fraternalm contiouersiam eiusque exitum. pertinebet. Nunc non nisi aliquo loco (111. sqq.) per occasionem narrationis nominantur, et ita nominantur, ut nullam eorum mentionem faciam esse maluum: adeo friget interdum ille locus, a realius est, a Valkenario per partes castigatus, turpique macula ineptissimorum versuum notatus, et Euripideae orationi dissimilis. Ausim prope inodium optare, ut integra illa particula inservia dici possit, quod duplex illud, *καὶ πρῶτα μὲν* (v. 1111 et 1148.) permettere saltem videtur. Sed haec in aliud tempus differenda sunt. Illud vero, quod Brumoius \*) dixit, spectatorum doceundorum causa poetam haec inferuisse, ut prius oppugnadarum urbium rationem cognoscerent, illud ergo ad huiusmodi digressionem in tragodia excusandam non sufficit, et si facilius aliquis tulerit in epico carmine, auctore Homero (Il. γ, 142.): deinde ne fuit quidem hoc consilium poetae, aut, si fuit, misere eo excidit; nemo enim ex hoc loco prius obsidionum rationem disset. Sed vidi non-

num-

\*) Theatre des Grecs T. 4. p. 161. *Euripide fait voir en quelque sorte au spectateur toute l'armée des assiegans au camp de Thèbes. Ces deux Poëts (Homerus et Euripides), qui vouloient peindre à leur siècle les choses au naturel, nous instruisent bien par là du génie des deux plus anciens sièges.*

numquam, loca veterum scriptorum superuacua, aut quae aliquid saltem dubitationis haberent, ita excusata, ut ad doctrinam eorum ampliam, et studium utiliter scribendi referrentur. Evidem fateri malo, ubi haeretam; si quis haerentem soluerit, et mea et scriptoris causa lactari soleo.

Itaque illud interea maneat, quod ostendere conati sumus, non satis intelligi, quo modo haec scena cum omni fabula cohaeret, aut quam ob causam necessaria, vel utilis saltem ad rem, dici posset. Vera eius inferendae causa sine dubio a nimio imitationis studio repetenda est. Cum enim duo essent nobilissimi loci, alter Homeri \*), quem paulo ante indicauimus, qui simile colloquium Helenes et Priami continet, alter Aeschyli \*\*), in quo septem heroum habitus descriptus est: Euripides, Aeschyli praesertim imitandi amore incensus \*\*\*), arrepta hac occasione demonstrare fortasse voluit, quid ipse in simili loco posset.

Sed cum ex altera parte hanc scenam per se specto, magnam commendationem meretur: quod quale sit, breuiter exponam, ne cupidus et iniquus poetae reprehensor videar. Quod ergo ille, qui, munere nuncii functus, nuperrime e castris hostium redierat (v. 95.), omnesque heroas comminus viderat, eorum arma et vultus describit, id quam aptum est ad fidem tunc quoque faciendam, cum vel minutissima diligenter persequitur. Illa porro

\*) Grotii proleg. ad Phoen. p. 821.

\*\*) In Septem heroibus ad Thebas v. 381 sqq.  
Vid. Interpretes Phoen. ad v. 1111 sqq.

\*\*\*) Longin. de sublim. 15, 5, 6.

porro latendi cura (v. 92.) digna erat pellari vercundia, et moribus illius aetatis. Rursum lyrici et alterius metri vicissitudo non spernendum indicat artificium. Praeterquam enim quod Graecis hominibus haud dubie periucunda fuit, etiam rei admodum consentanea videtur. Nam quae Antigone ardenter sciscitatur, cuiusnam illa splendida anima sint, quis ille, leoni similis, quid hic truculentus festinet, ille placidus tardet, ea omnia vim quandam orationis capiunt et sublatum dicendi genus: contra tenuioribus paedagogi responsis, quibus vel patria heroum, vel nomina traduntur, iamborum tenuitas, et cum vita communi similitudo, plane congruit. Quid, quod Antigone, ubi interrogat, saepe numero aliquid sensuum admiscet, qui et variant locum, et illud lyricum metrum elatioremque distinctionem admittunt. In singulis autem his locis ita animo commouetur, ut, quidquid se sentire prodat, id tunc necessario sensisse videatur: adeo rei conuenit. Nam cum anxie percontatur, num portae clausae sint (v. 114.), id utique mulieris est, et temporis illius. Parthenopaeum ubi confexit, eum ab ipsa matre Atalante sagittis confici cupit (v. 153.): nempe sic feruet ira aduersus hostes, ut eos non nobis magis, quam ipsorum amantissimis, ac parentibus adeo, inuisos putemus. Quem errorem, tam humaniter praefertim et pie correctum a sene (v. 156.), quis tandem ferre hic recuset? Sed postquam fratrem conspicata erat (v. 164.), quid quaebo? Agnoscit illico. Iam indignatur fortasse in viscera patriae saeuienti? Imo vero, ventis actarum nubium velocitatem sibi precatur, ut, ocyus

ad eum delata, tandem aliquando exsulis miseri amplexus renouet \*). Capaneo denique oculis oblato, (erat autem, ut Virgilianus Mezentius, deorum hominumque contemtor) ad preces conversa rogat, ut, sifito eius furore, Thebanis mulieribus libertas salua constet (189—200). Potuisse etiam Amphiarai imaginem (176—185.), dignam vatis sanctitate, hic proponere; nam candido currū utitur, victimas secum dicit, et placide instigat equos: sed volui tantum ostendere, me bona loci, ex alia parte reprehensi, et sentire, et concedere.

Veniam ad oden, quae tertium actum finit (1026 sqq.); quam ut omnino aptam rei atque temporis iudicare in, nunquam a me plane impetrare potui. Nempe Creon, ut supra dixi, de necessitate filii pro patria diis offerendi a Tiresia certior factus; filio quidem fuga salutem peteret suaserat; sed hic absentia patris ita usus erat, ut, insigne laetitiam de suo hoc seruanda patriæ honore testatus, ad mortem festinaret. Omnes quoquo, quotquot haec legunt, quid de eo iudicaturi, quibus vocibus abeunte comitaturi fuissent? Sed Phoenissarum chorus, quamuis amans Thebarum, quamuis fortē et piū erga patriam iūvenem praesentem videns et audiens, tamen suam de Sphinge fabulam, et Oedipi prosperos aduersosque casus percurrit, et ita dénum ad Menoecei laudes

\*) Ἀνθεύκεος ἦθε δρόμου νεφέλως

Πισσίν ἐξανύσαιμι δι αἰθέρος

Πρὸς ἐμὸν δμογνυέτορα,

Περὶ δ' ἀλέντας οὔρα φιλτάτη

Βάλοντι χρόνω, Φυγάδα μέλεον.

laudes venit. Verum ista fabula, etiamsi hoc loco non tractata esset, tamen ad fastidium usque per omnia huius tragœdiae loca iam sparsa fuerat. Cum ergo circa finem carminis quaedam temporis et rei conuenienter addita essent, de quibus mox dicam: tamen his vix syllabatum positis, Phoenissae denuo in fabulis et monstris et Cadineo serpente haerent. Estne vero hoc apte ad rem dicere? Geruntne hic Phoenissae dignam choro perlonam? Num hoc est spectatorum euenti cuiusdam et iudicium, quas choro personas ex antiqua institutione impositas esse nouimus, de omnibus aliis potius loqui, quam de eo, quod cum maxime fit; et lugere, ubi laetandum est; aut ubi aliquis laudandus, prae confabulandi studio virtutis, quam ille insignem exhibet, propemodum oblivisci? Quodsi oden hanc utcumque defendere temtemus, fortasse superioribus in hunc modum annecti poterit: de primis Thebarum miseriis, a Sphingis crudelitate ortis, dici, tum de urbis ospitatore Oedipo, qui idem multarum miseriarum auctor fuerit; ideoque eum, qui per omnes aetas vexatae ciuitati succurrat, admirandum videri. Vereor tamen, ne sic quoque alienior videatur antiqua urbis historia, cui id, quod nunc sumum est, postponitur. Utinam Euripides pauca illa, quae rei conuenienter addidit (v. 1067.), Τρυφεθ' ὥδε ματέρες, Γενιφεθ' εὔτεκνοι, utinam haec uberioris tractasset! Pulcherrimam profecto oden effecisset. Nam si animus mulieris, forte et pium iuvenem cernens, aliquo motu agitari debet, hoc primum omnium optabit, ut similis filius

sibi contingat, aut, si contigerit, gloriabitur. Sic enim *Romanas matres foecunditatis suae maxima voluptas subiit, cum cernerent, cui principi ci- ves, cui imperatori milites peperissent* \*). Sic illa, quae Christum sapientissime docentem audiuerat, unum illud exclamauit: Μακαρία ἡ κοιλία, ἡ βασάρασσα σε, καὶ μαστοί, τοὺς ἐθῆλασας \*\*). Quod si cuiquam mea haec sententia temeraria et iniqua videatur, is facilius mihi condonabit, si Grotii\*\*\* de hoc ipso loco iudicium cognoscere voluerit. Solemne, inquit, Euripidi dicitur, choris sermones tribuere, ad rem nihil pertinentes, extra quam Sophocli mos est. Id maxime reprehendi videtur posse in illo chori cantu, "Εβας, ἔβας, ubi Sphingis fabula, toties iam memorata odiose repetitur, et quidem eo tempore, quo laudandi Menoeceos et amoris in patriam ampla patebat materia. Itaque etiam arbitrer, si Euripides de re dicere, quam fabulas narrare maluisset, chorus eius multis in locis multo minus tumoris habituros fuisse.

Paulo cunctantius de ultima fabulae parte (1494 – 1754.) iudicare adgredior, quam etsi ab aliis aliter defensam vidi atque excusatam, tamen non

\*) Plin. Paneg. c. 22.

\*\*) Luc. II, 27.

\*\*\*) Prolegom. ad Phoen. p. 630. Cum his con-  
veniunt, quae Scholiastes ad v. 1026. scripsit: Πέρδες οὐδὲν ταῦτα ἔδει γάρ τὸν χερὸν οἰκτίασθαι διὰ τὸν θάνατον Μενοικέως, ἢ ἀποδέχεσθαι τὴν εὑψυχτὸν τοῦ νεανίσκου ἐλλὰ τὸ περὶ Οἰδίπου καὶ τὴν Σφίγγα διηγοῦσται, τὰ πολλάκις εἰρημένα.

non sine omniratione dubitare sustineo. Direntis mutua fratrum caede controversiis, nihil superesse videbatur, quod scire spectatorum interesset, nisi ut aliquis hunc exitum eorum et Iocastes mortem choro nunciaret: id quod poeta longa, perspicua et diligent narratione praestitit (v. 1365—1488). Nihilo minus idem ille poeta secundum haec omnia aliam plane rem, eamque duplice, tractare instituit, quae, si modo supra (p. 411 sqq.) summam rei recte constitutius, ab illa pacificatione plane diuersa est, duobusque singularibus euentis constat, et Sophocli duarum tragoeiarum argumentum praebuit; hinc enim Antigonē eius et Oedipum Coloneum fluxisse, in promtu est. Additamentum ergo apud Euripidem non necessarium est, quod Antigone tria cadavera ex acie in regiam humanda detert (v. 1485—1493.): quod Oedipum in atrium euocat (v. 1528.), ut ei rem omnem in campis gestam narret: quod Creon Oedipum in exsilium eiicit (v. 1580.) \*): quod idem Creon cum Antigone de sepultura Polynicis rixatur (1622—1665.): quod denique filia patrem exulem comitari decernit (v. 1677 sqq.). Male sedulus forem, si, quae posui, argumentis munirem, quasi non sponte intelligi posset: cum ne ii quidem, qui locum defenderunt, dicere ausi sint, eum cum ipsa re cohaerere. Sed quae in-

Dd 4

com-

\*) Grotii prolegom. p. 821. *Oedipodis fuga an recte tragoeiarda adiecta sit, disputationem recipit: est enim id per se quidem triste: sed exiguum quid post tot mortes, et consumatis iam circa maximis affectibus.*

commoda in his additamentis sint, quibusdam  
saltem exemplis videamus. Quod ergo filia patri  
rem omnem, qualis in campis euenerat, narravit,  
factum est, ut spectatores eadem ab Antigone ite-  
rata audirent (v. 1560 sqq.), quamquam paulo  
überius, quae modo a nuncio audiuerant (1464).  
Cur deinde patrem domo euocat? Nam ipsa eius  
conclave intrare, ibique, si narrandum et lugen-  
gendum esset, cum eo conqueri poterat. Quid,  
quod Oedipus, quēin per omnem fabulae decur-  
sum nemo nec viderat, nec audiuerat, in fine ideo  
in scenam veluti protritus videtur, ut coram spe-  
ctatoribus in exsilio eiici posset. Quod denique  
Oedipus, abire iussus, suam sortem sic luget  
(v. 1589.), ut inde a natalibus ordiatur, et nar-  
rationem de infantia sua et adolescentia, iam ab  
initio (v. 21 sqq.) uberrime explicatam, denuo  
persequatur, id nonne aliquid molestiae habet, et  
a plurium locorum similitudine fatietatem? Itaque  
grammaticus antiquus in arguimento Phoenissarum  
non temere censuit: ‘Ο μετ’ ὡδῆς αδολέσχε Φυ-  
γαδευόμενος Οἰδίπος διὰ κενῆς προσέρρειπται. (an,  
προσέρρειπται?)

At, dicat aliquis, videri tamen spectatores  
cupidos fuisse cognoscendi exitus, quem Antigone  
habuisset. Quod quidem concedereim, si modo  
in villa fabulae parte fecisset aliquid aut dixisset,  
quo spectantium hanc attentionem in se conuerte-  
ret. Nam quod e tecto castra hostium prospe-  
xerat, et cum matre, quae sine filia in aciem ruere  
poterat, in campos exierat, id profecto eam sin-  
gulari

gulari auditorum cura dignam non reddidit. Sed ut hoc mihi tam, de quo aliis fortasse aliter videatur, idem ille nuncius, qui locastes mortem narrebat, etiam hoc dixerat, Antigonem cum mortuis in urbem reuersuram (v. 1485.); in quo, cum de summa rei iam constaret, facile quiuis auditorum adquiescere potuit. Rursus, si quis neget praeter eundum fuisse, ad quem potestas regia venisset: id primo poterat ex iis mandatis intelligi, quae Eteocles Creonti dederat (v. 764—785.); deinde non magis necessarium erat, quam cognoscere, quinam hostilis exercitus euentus fuisset, de quo quod Euripides pauca tantum adspersit (v. 1469—1484.), nemo umquam vituperauit: neque enim de sorte Thebarum, sed Eteoclis et Polynicis quaerebatur. At pulcherrimus est locus. Fateor, et admiror Creontis cum Antigone altercationem (v. 1640—1675.), et illam veluti luctam patris atque filiae de fugae societate (v. 1676—1703.), quae duo loca omnes boni dialogi et communiae orationis notas impressas gerunt. Sed quantumvis pulchra membra, alieno corpori iuncta, hactenus faltem displacebant, quod non loco suo reperiuntur. Ceterum Brimoii \*) ratio, qua locum hunc excusat, rem non confidere videtur. Vrget autem hoc, e veterum moribus et opinionibus nondum ad exitum hominis cuiusdam, hoc est, poenas scelerum patratorum, sufficere, si de genere mortis, quam appetierit, constet; illud addendum esse, qui honor sepulturae, quaeve ignominia;

Dd 5

in-

\*) Theatre des Grecs T. 4. p. 201.

inhumati corporis fuerit: ideoque Sophoclem fabulae de Aiace, iam omni ex parte absolutae, similiem tamen de sepultura Aiacis locum adiecisse. Sed hae ratione, si quid video, non efficitur, haec non esse additamenta: unum illud cogi videtur, opinione et consuetudine temporis deceptos poetas sibi aliquid contra necessitatem induluisse, quae non tam opinionibus hominum, quam rei natura definitur. Certe prima illa poetarum lex, ne quid moribus et opinionibus contrarium fingatur, longe aliter intelligenda est, nec eo trahi potest, ut, quidquid in aliquo genere iis consentaneum sit, necessario uno loco coniungatur: alter enim nullus umquam poeta de scelerati hominis morte sine sepulturae mentione loqui potuisset, quod secus esse, quis ignorat? Sed condonemus Brumoio hunc de prohibita sepultura locum; tamen ille alter de Oedipo in exsilium migrante, quantum mihi quidem constat, nondum excusatus est.

Iam ad alteram disputationis partem progradientur, quam suspectis quibusdam locis destinaui, in quibus tentandis si parum felix fuero, tanto libentius aliorum dissensum feram, quanto aperius est, hanc omnem rationem in coniecturis versari. Primum locum delegi, qui v. 476 sqq. exstat. Ibi Polynices, qui ad paciscendum inuitatus coram matre et fratre suum ius defendit, orationem hinc orditur, se sui fratribusque amore ductum sponte patriam deseruisse, ne, si eodem loco ambo viuerent, simultatum facilior occasio esset,  
atque

atque ita paternae dirae cumentum haberent. Vfus autem est his verbis:

Ἐγὼ δὲ πατρὸς δωμάτων προσκεψάμην  
Τέμόν τε καὶ τᾶδε· ἐν Φυγεῖν χρήζων \*) αἴρας,  
Ἄς Οἰδίπος ὁ φθέγγατ' εἰς ἡμᾶς ποτε,  
Ἐξῆλθον ἔξω τῆςδε ἐκών αὐτὸς χθονός.

Numquam hic satis expedire potui, quid esset πατρὸς δωμάτων, quibus verbis sublatis, salua manet sententia: *Evidem meo fratriisque commodo prospexi*: sic enim dici προσκέπτεσθαι et σκοπεῖν τὸ αὐτοῦ (Thuc. 6, 12.) et constat, et monuit ad hunc locum Valkenarius. Ut ergo dubia haec verba ceteris attexerentur, aliis interpretum aliquid addidit, aliis difficiliore, ut videbatur, syntaxi expedienda, verbisque aliter ordinandis, efficerere conatus est. Ac Barnesius quidem, fortasse scholia \*\*) secutus, locum sic vertit: *Domui patris prospexi, et meo pariter commodo ac huius \*\*\**): de qua tamen interpretatione facile aliquis dubitet, qui, quomodo latina graecis accurate respondeant, paulo feuerius quaerat, nec adquiescat, si modo viderit, qui sensus inesse verbis debeat. Valkenarius ergo verba hoc ordine intelligenda esse docuit: 'Εγὼ ἐσκεψάμην τὸ ἐμὸν καὶ (τὸ) τοῦδε προσδωμά-

\*) Hic secutus sum ed. Barnesi. Alii habent χρήζω.

\*\*) Scholion hoc est: 'Εγὼ, προσκεψάμενος; πατρικῆς θεᾶς, καὶ βαλόμενος ἐμέ τε καὶ τῆτον ἐν Φυγεῖν.

\*\*\*) Consentit cum hac versione versio Musgravia-  
na, agnosciturque sic duplex syntaxis, προσκέπτεσθαι  
τὸ τινας, et προσκέπτεσθαι τι, in eodem loco obvia.

δωμάτων πατρὸς: *Ego domui paternae* (vel regno) *meum et huius commodum antetuli.* Sed de hac etiam ratione videtur dubitari posse, quoniam illud προσκέπτεσθαι diuellitur, non, quo talia non visitata sint, in carminibus praesertim, sed quod in hac nominatim loquendi forma fit, προσκέπτεσθαι τὸ αὐτοῦ, quae ut cum altera illa, σκοπεῖν τὸ αὐτοῦ, permutatur, quod ipse Vir doctissimus exemplis demonstrauit, ita necessario videtur significare, *antea de suis commodis delibera-* *re, hoc est, iis prospicere et consulere.* Fortasse etiam Polynices ne dici quidem potest regno suum et fratriis commodum antetulisse, cum non renunciarit regno, sed hac arte potius spem eius firmare sibi voluerit: tamen cum hoc possit commode explicari, non vrgebo. Itaque cum praeter has dubitationes etiam lectionis varietatem a Barnesio indicataim viduisse, δωμάτων πατρὸς, pro, πατρὸς δωμάτων, quam et ipsam metrum ferret, coepi locum pro suspecto habere, et vespigia variae lectionis fecutus dubiis illis verbis, δωμάτων πατρὸς, haec substitui: δειμαίνων πάρος, ut δειμαίνων ad ἔγω, et πάρος ad πρόσκεψάμην referretur. Sic enim locus hoc modo verti poterat: *Equidem, anxiis terrore, multo ante* (quam ipsa mala ingruere possent) *meae et fratriis saluti prospexi: nempe cum diras effugere cuperem, quas Oedipus quondam in nos effuderat, sponte hanc terram deserui.* Videbatur autem haec coniectura alio huius tragediae loco (69—72.) confirmari posse, quo iisdein prope modum verbis ea, quae hic leguntur, iam dicta erant. Ipse locus hic est:

Τω δ' (duo fratres) εἰς Φόβον πεσόντε, μὴ  
τελεσφόρες

Εὐχαῖς θεοὶ κράινωσιν, οἰκεύντων ὅμοῦ,  
Συμβάντ' ἔταξαν, τὸν νεώτερον πάρος \*)  
Φεύγειν ἐκόντα τήνδε Πολυνείκην χθόνα.

Quod enim hoc loco Euripides dixerat, fratres *metu compulso*s in hanc rem conuenisse, ut Polynices ad tempus fugeret, id nunc Polynices vere de se usurpare potuit, *δειμαίνων ἐξηλθού*. Et quod in altero loco dicitur constitutum fuisse, τὸν νεώτερον πάρος Φεύγειν, id nunc minor frater ita sibi tribuit, πάρος πρέστηψάμην τόπον καὶ τοῦδε. De verbo *δειμαίνειν* si quis praeter ea, quae Suidas habet, Platonis loca duo (de rep. 1. p. 372. v. 24. et de legg. 7. p. 569. v. 45. ed. Basil. 2.) conferre voluerit, intelliget, de eo dici, qui ex parte factus cohorte scere solet, ut qui tumultuosis somniis agitatur, omninoque facillime metu contrahitur. Hoc ergo sic expressi, *anxious terrore*, quem metus consistere non patitur. Ceterum ut e Suida, fortasse etiam ex Hesychio, appareat, in uniuersitate de metu dicitur, quod in altero Euripidis loco erat, *εἰς φόβον πεσόντε*.

### Videa.

\*) Grotius hoc πάρος paulo liberius vertit, *prior*: Barnesius plane omisit: Cel. Reiskius in animadu. ad Eurip. et Aristophan. p. 9. mutari voluit in πάτρας, ut πάτρας χθῶν poetica circumlocutione idem effet, quod χθῶν. Evidem arbitrer, teneri posse, et verti, ante: fratres enim, qui mala venientia metuant, decernunt, ut alter fugiat, antequam venire possint, quod saepe apud Homerum est, πάρος τάδε ἐργα γενέσαι. Si quis vertere velit, *dudum prospexram, non repugnabo*.

Videamus iam de ode, qua secundus actus finitur (653—661.), ubi Phoenissae, priscam felicitatem Thebarum celebrantes, inter alias laudes et hanc commemorant, Bacchum ibi natum esse. Id in hunc modum dicunt:

Βρέμιον ἔνθα δὴ τέκεν πεφ'·  
 Α μάτης, Διὸς γάμοις,  
 Κισσὸς ἐν περιεφῆς,  
 Ἐλικτὸς. εὐθὺς ἔτι Βρέφος,  
 Χλοηφόροισιν ἔρεσι  
 Κατασκοισιν ἀλβίσας ἐνώτισεν·  
 Βακχεῖον χόρευμα  
 Παρθένοισι Θηβαίαισι  
 Καὶ γυναιξὶν Εύτοις.

Hic cum quaeritur, quid sit, Κισσὸς Βρέμιον ἔρεσιν ὄλβίσας ἐνώτισε, auctoriibus grammaticis antiquis \*) vulgo sic vertitur locus: *Hedera Bacchum ramis beans texit.* Nam hoc fama tulit, et credulitas superstitionis arripuit, Bacchum recens natum foliis sponte surgentis hederae obuolutum esse, ne incendio domus, quae Ioue aduentante ardere cooperat, et ipse conflagraret. Itaque volunt, νωτίζειν esse tegere, praefertiū cum apud Suidam quoque et Hesychium ἐνώτισε explicetur, τὰ γῶτα περιεσκέπαστ; quamquam horum auctoritas nullum magnopere ad rem momentum facit, quos sua

\*) Scholia haec adscripta sunt: κισσὸς αὐτὸν περιέτεκεψε, περιειλέξε, ἔξωθεν περιπλακεῖς κατὰ τοῦ γάτου ἐκάλυψε. Sic ergo diuersi grammatici in eamdem interpretationem consentiunt.

sua vel e scholiis ipsis, vel e lexicis tragicis haussisse constat, de quo Cel. Ruhnkenius in praefatione Tomi posterioris operis Hesychianū perspicue et diligentissime disputauit. Interpretes vero Hesychii, amplius progressi, verbum hoc ex alio Euripidis loco (Herc. Fur. 362.) defendebant, in quo Hercules dicitur ξαρθὸν κρᾶτ' ἐπινωτίστας δεινῷ χάσματι θνήσκει, *flavum caput texisse truci rictu leonis* \*). Itaque poeta, relictis vñitatio-ribus huius verbi significationibus, de quibus Valkenarius ad hunc Phoenissarum locum egit, ad novam transiit, *tergum tegere*, (fortasse etiam *tegere tergo*, i. e. pelle, vt Hercules se leonis tergo tegere solitus est) omninoque hinc retinuit *obtegendi* seu *obuoluendi* notionem: quod a tragicis poetis saepe numero factum esse constat. Etiam si vero hactenus fortasse verbi defendi poterat, tamen alia de causa non videtur retineri posse: nam ita tres vltimi versus non habent, vnde satis apte pendeant, et Grotius aequae ac Barnesius, admoniti fortasse scholiis \*\*), versioni aliquid inferuerunt, quo nexus vtcumque efficeretur. Coepi ergo quaerere, an illud ἐνώτιστα sic corrigi posset, vt simul nexui consuleretur: talis enim emendatio non videbatur a mera innouandi libidine profecta.

Val-

\*) Alibi Euripides (Rhef. 208.) hoc ita dixerat:

Λύκειον ἀμφὶ νάτῃ θῆσομαι δορὰν,

Καὶ οχῆμα θυρὸς ἀμφὶ ἔμινθη θῆσω χάρα.

De quo loco egit Valkenarius in diatribe, Euripidis Hippolyto adiecta, p. 101.

\*\*) Ολβίστας τὸν Διόνυσον δὲ κισσὸς ἐνώτισεν, τὸ (f. 8) τοῦ βαχεύειν καὶ χορεύειν τὰς οὐρανές αἴτιον

Valkenarius quidem, cum ipse quoque de hoc verbo dubitaret, quoniam alia fere significatione dicitur, tamen non sustinuit coniecturam propone, sed lectoribus eam diuine idam reliquit. Opinatus ergo sum, si ἐνώτιστεν in ἐνώχιστεν mutaretur, et sensum commodum fore, et tres ultimos versus superioribus mollius nexos. Efficitur enī haec interpretatio: *Ibi* (in regiane Thēbana) *quondam mater e Ioue Bacchum peperit: quem cum infantem adhuc tortilis hedera, tamatis umbrofisque ramis circumfusa, beasset (propitia defendisset a vi flaminarum), INSTIGVIT Thebanis mulieribus et bacchantibus bacchitas choreas.* Ergo hedera, quod sponte nata Bacchum tutum praestitit, introduxit choreas, hoc est, causa et occasio earum in posterum celebrandarum fuit: nisi enī sic seruatus esset infans, haec eius saera his in locis hoc modo institui non potuissent. Ipsum vero verbum ἐνοικίζειν non est, cur multis vindicem aut illusorem: dabit enī quilibet, qui verbum ἐξοικίζειν (Thucyd. 1, 114.) comparauerit, eum dici posse ἐνοικίζειν τι, qui rem collocet aliquo loco, ut in propria et domestica sede, cum Thucydides (6, 2.) ἐνοικισαμένας dixerit, qui ipsi locum sibi habitandum delegerunt, rerumque suarum sedem ibi fixerunt. Itaque si quis in ciuitate quadam ritum sic introducat, ut domesticus illius gentis sit et ἐπιχώριος, et ab hac demum ad alias propagetur, is haud dubie ritum illum ibi ἐνοικίζει. Sed Bacchicorum sacrorum ritus fuit Thebanis ἐπιχώριοι: etenim non modo Baccharum hinnulea pellicis v. 1742. Kadmeia seu Thebana dicitur; sed scho-

scholiastes etiam ad hunc locum diserte pellem  
*ἐπιχωρίαν* interpretatus est, cum hac vberiore de-  
 scriptione: ἦν εἰδίσμεθα ἡμεῖς εἰ Θηβαῖς Φορέην.  
 Inde cogiturḡ eumdein ritum ibi dici posse  
*ἔνοικος θέντα.*

Tertius locus, quem sic tractare decreueram,  
 est versus 1717, ubi Oedipus, a Creonte so-  
 lium mutare iulus, fortē suam in hunc mo-  
 dum luget:

'Ιώ ιώ δυσυχεσάτας  
 Φυγᾶς. 'Ελαύνει τὸν γέροντα μ' ἐκ πάτρας.  
 'Ιώ ιώ, δεινὰ δειν' ἐγώ τλάς.

Hinc Antigone his verbis excipit:

Τί τλάς; Τί τλάς; Οὐχ ἔρεψα Δίκαια πακοὺς,  
 Οὐδὲ ἀμείβεται βροτῶν αἰσυνεσίας.

Hic duplex illud *Tί τλάς* non eo sensu accipi pot-  
 est, quo Barnesius interpretatus videtur: *Quid per-*  
*fers tandem?* ut velut mirabunda aut indignans pa-  
 trem interroget: nihil enim stultius foret, quam  
 eum, quem diu viderat miserrimum, quocum  
 multa luxerat, quem in exsilium electum esse au-  
 diuerat, et paulo ante calamitosissimum adpellarat,  
 eum ergo interrogare, quidnam mali pateretur.  
 Nec ita lugentis verba esse possunt, ut exclamet:  
*O quantum perfers!* Tunc enim, nisi fallor, poeta  
 scripsisset: *Οἶον τλάς*, siue *Ως τλάς*. Protulit  
 ergo scholiastes aliam interpretationem, quam,  
 quantum equidem scio, ceteri secuti sunt: *Τί ἀελ-*  
*λέγεις, ὅτι δεινὰ τλάς;* *Εἰ γὰρ καὶ συνεχῶς αὐτὸ-*  
λέγεις

λέγεται, ὅμως ή δίκη τοὺς κακοὺς οὐχ ὁρᾷ. Quae periphrasis etiamsi in se commodum sentium habet, tamen eum, ut sunt periphrases, addendo efficit, semperque illud quaerendum relinquitur, an is, cuius verba circumloquamur, hoc ipsum voluerit. Non licet periphrasibus, additamento arbitrario eo venire, quo venire voluisse scriptor videatur; sed ea, quae diserte scripta sunt, presso sequi debet periphrasis, iisque vel verbo notiore explicandis, vel, si notiones densatae fuerint, verbis pluribus exhibere scriptoris sententiam. Tum demum addi aliquid potest, cum per dialectica de concludendo praecelta ex iis, quae scripta sunt, necessaria consecutione aliquid efficitur, quod scriptor ideo omisit, quoniam cuius in mentem venire debet \*): aut cum ea, quae sequuntur, propositionis alicuius, non disertis verbis expressae, rationem reddunt, ut saepissime γὰρ ponitur, ubi nihil praecessit, cuius ratio per illud γὰρ redditur: aut cum usus vitae communis demonstrat, velut in diælogis, tale quid, quale circumloquendo inferatur, vulgo et sine ullo obscuritatis periculo omitti solere. Sed ut ad rem redeam, non unam hanc ob causam ab hac scholiaстae graeci periphrasi alienior fui; verum etiam dubitauи, an ita intellectus locus dignam tempore, dignam item Antigones persona orationem contineret. Nam quo tandem modo apud eum, cuius immensas miseras plane persentisit, uti hac ex-

pro-

\*) Sic post huius tragœdiae versum 222. οὐδὲ οὐδὲ μηποτ ποτε πάντας, nemo non videt intelligendum esse: οὐδὲ μηποτ εἰσι.

probrationis inhumanitate potest, *Quid vero semper miserias tuas narras?* Aut, si quis nolit exprobrationem dici, sed solatium vel cohortationem, quid ad consolandum leuius, ad hortandumque imbecillus reperiri potest ea oratione, quae ad ipsam desperationem viam muniat? Imo vero Antigone, quae paulo post (v. 1724.) tristem hunc exsiliī casum, ceteris omnibus posthabitis, cogitandum atque miserandum esse iudicat, non potest nunc eadem de re contemtim loqui, aut tale solatium quaerere \*). Hinc saepe cogitaui, si duplex illud Τι τλᾶς fortasse in Τετλᾶς Τετλᾶς, aut, quod cuidam amico meo magis placuit, in τετλᾶς τετλᾶς mutari posset: sic enim videbam, superius illud Τλᾶς bis repeti, in qua verbi eiusdem iteratione grauissima est asseueratio coruī, quae alter dixerat. Poterat itaque totus locus ita verti:

*Oed.* Heu miserum exsiliū!

Senem me patria eiicit!

Heu mihi, immensa mala perferenti!

*Ant.* Perfers vero, perfers. (Sed) iustitia

(deorum) non respicit scelestos,

Nec mortalium facinora remuneratur.

Ipse dicere ausum, nihil iam in hoc loco esse, quod vel frigeat, vel circumlocutione emolliendum ilustrandumque videatur. Illa porro verbi eiusdem repetitio ut vehementiori animi commotioni consentanea est, ita orationi aliquid roboris addit: falsa vero de diis opinio continet, ut nunc est locus,

E e 2

de-

\*) Musgrave hanc conjecturam proposuit: εἰ τλᾶς τι, τλᾶς, si quid pateris, perge porro pati.

desperantis et impatientis animi indicium, qualis est, qui in sua ipsius miseria alios scelestos florere videt, et de se desperat, Deumque iniustitiae accusat. Vereor tamen, ut multis hanc coniecluram probem, cum eiusdem quidem significationis, sed diuersarum quodam modo literarum verbum repeatatur, et saltem in Τετλας diiambus in paeonem secundum mutetur, nisi ultimam in fine pedis, ut v. 468. in μνειαν, et alibi saepe, produci posse concedant.

Sunt et alia loca, de quibus dubitari saltem possit, in his v. 85,

Kέγω (Sic Kingius) τι δρῶν, ὁ ποῖα δ' εὐ λέγων ἔπη

Eis ἔχθραν ἥλθον —

Hic enim oꝫ mutari poterit in εὖ, vt Tiresias hoc dicere videatur: *Ac ego quidem quibus factis, quibus item dictis merui odia regum?* hoc est, nonne me utilissimum et amantissimum eorum factis et dictis demonstravi\*)? Erat etiam, quod de v. 1262 et 1263. diceretur, qui et difficilem intellectum habent, et miras interpretationes experti sunt. Poterant autem ita constitui:

Mάντεις

\*) Beniaminus Heath in notis siue lectionibus ad tragicos graecos veteres p. 28. hunc versum sic constituit ἀγώ τι μὴ δρῶν, ποῖα δ' εὐ λέγων ἔπη: ei ἀγώ pro καὶ α potum putat Ibidem p. 36. Valkenarianam huius versus editionem improbat. Musgraveius edidit: ἀγώ τι εὐ δρῶν, ποῖα δ' εὐ λέγων ἔπη etc  
ἔχθρας ἥλθον. —

Μάντεις δὲ μῆλ' ἔσφαζον, ἐμπύρες τ' ἄκμας  
 'ΡΗΞΙΝ τ' ἐνώμων, (ὑγρότητ' ἐναντίαν  
 "Ἄκραν τε λαμπάδ") ηδοῖν ἔργες ἔχει,  
 Νίκης τε σῆμα, καὶ τὸ τῶν ἡστωμένων.

Verba enim, quae inclusi, scholiis et glossematis-  
 bus similia videntur: quippe prius, ὑγρότητ'  
 ἐναντίαν, eodem casu positum, interpretatur e ve-  
 terum grammaticorum opinione ἔηξιν, ruptam  
 vesicam felleam, effusumque inde liquorem, ho-  
 stibus male ominatum; sic enim ἔηξις est ὑγρότης  
 ἐναντία, ut apud Romanos in eiusmodi re pars  
 hostilis extorum dici solebat. Sed hanc explica-  
 tionem ἔηξεως, ipso Valkenario iudice a ritibus  
 ignispiicii \*) alienissimam, euidem numquam  
 serre potui. Alterum glossema, ἄκρα λαμπάδα,  
 rursus eodem casu positum, refertur ad ἐμπύρες  
 ἄκμας, nam ἐμπυροὶ ἄκμαι et ἄκρα λαμπάδες eam-  
 dem rem exprimunt, apicem flammæ, e quo super-  
 flitio augurium capere solebat. Si ergo ἔηξις et  
 ὑγρότης ἐναντία, et rursus ἄκμαι ἐμπυροὶ et λαμ-  
 πάδες ἄκρα ex ipsorum veterum grammaticorum  
 mente eamdem rem significant: cur Euripides qua-  
 tuor partes ut diuersas posuit, cum non nisi duae  
 discerni atque sigillatim intelligi possint? Cur post  
 ὑγρότητα non positum est τε, ut in ceteris partibus?  
 Nonne in tali loco suspicio glossematum oriri  
 potest? Nonne eodem modo ineptissimus versus  
 (1371.) ortus est, quem Cel. Valkenarius iam  
 reiecit? Ac si ibi tale quid irrepere potuit, vbi ne  
 opus quidem erat interpretatione; quanto magis  
 in

\*) Vid: Kusterus ad Suidam in Εμπύρῳ.

in hoc paulo obscuriore loco. Si ibi integer senarius insertus est, quidni hic duo dimidii senarii? Verum si remouerimus utrumque glossema, supererit, ut ἔντειν pro ἔντεις, quod in editionibus est, ponatur, quia non sequitur. Sic loci sententia huc redibit: *Vates — et igneos apices et scissuram (apicem flammea diuisum) obseruabant, quae duarum rerum confinia continet, signum victoriae et clavis.* De versione verbi ρωμαῖν, quod apud Sophoclem (Oed. T. 308.) est *animo agitare*, non erit, cur dubitetur, cum scholiales ad hunc Euripidis locum jam interpretatus sit, ἐπεσκόπευ.

Si in paucis his exemplis vel unum fuerit, quod aliqua verisimilitudinis specie placere posse videatur, tulisse me aliquid praemii arbitrabor: si defuerit ingenio omnis coniiciendi felicitas, at examinandi et attendendi studium fortasse non plane contemuendum videbitur.

---

# INDEX

## LOCORVM SCRIPTVRAE SACRAE, QVI EXPLICANTVR, VERTVNTVR, BREVITER ILLVSTRANTVR.

	Cap.	vers.	pag.		Cap.	vers.	pag.
Exed.	31,	3.	337		Matth.	12,	28.
Iob.	33,	4.	333		—	13,	11.
Psalms.	33,	6.	333		—	13,	13.
—	69,	10.	86		—	13,	43.
—	110,	1.	88		—	13,	32 sq.
—	115,	3.	91		—	16,	17.
—	139,	7.	335		—	24,	29-31.
Ies.	8,	4.	144		—	24,	30.
—	8,	14.	148		—	25,	34.
—	8,	18.	144		—	26,	10.
—	10,	20.	ibid.	Marc.	2,	12.	
—	10,	21.	ibid.	—	4,	11.	
—	11,	4.	333	Luc.	1,	17.	
—	28,	16.	148	—	2,	31.	
—	31,	3.	333	—	2,	34.	
—	40,	13.	336	—	5,	26.	
—	49,	6.	135	—	5,	39.	
—	54,	1.	84	—	6,	34.	
Ezech.	9,	4.	356	—	9,	23.	
—	14,	8.	144	—	11,	13.	
Dan.	7,	9.	89	—	11,	20.	
—	12,	2. 3.	212	—	12,	49.	
Ioel.	3,	1.	89	—	20,	35. 36.	
Zach.	4,	6.	333	—	20,	36.	
Sap. Sal.	6,	18.	64	—	21,	27.	
2 Maccab.	1,	4.	243	—	22,	36.	
Matth.	3,	15.	320	—	24,	45.	
—	5,	17. 19.	80 seq.	Ioann.	1,	18.	
—	5,	22.	85	—	2,	17.	
—	6,	9.	91	—	3,	6.	
—	9,	14-18.	94 seq.	—	3,	31.	
—	10,	34.	393				
					75-	187	

Cap. vers.	pag.	Cap. vers.	pag.
Ioann. 4, 21.	343 seq.	Rom. 8, 34.	298 seq.
— 4, 34.	312-316	— 9, 22.	140
— 6, 44.	243 seq.	— 11, 9.	92 seq.
— 8, 21.	186	— 11, 15.	237
— 8, 23.	73	— 11, 34.	336
— 8, 55.	312 seq.	— 14, tot.	218 seq.
— 10, 18.	317	— 15, 5-13.	219
— 10, 33.	85	— 15, 7.	237
— 10, 36.	312	I Cor. 1, 5-8.	354-356
— 11, 1-43.	48	— 1, 27.	162
— 12, 32.	243 seq.	— 2, 4.	332
— 14, 16.	307	— 2, 6.	338
— 14, 17.	281	— 2, 7.	329
— 14, 23.	280	— 2, 10.	85
— 14, 26.	307	— 2, 12.	338-340
— 14, 31.	317	— 2, 15.	338
— 15, tot.	263 seq.	— 2, 16.	336
— 16, 13.	307	— 3, 1.	73-340
— 17, 4.	315	— 4, 6.	110
— 17, 21. 22.	271	— 4, 20.	222
— 18, 37.	74	— 6, 11.	100
— 19, 12.	146	— 6, 13.	172
Aster.			
— 1, 20.	91	— 11, 10.	78
— 2, 23.	329	— 12, 22.	162
— 3, 21.	90 seq.	— 15, 25.	88
— 4, 11.	379	— 15, 35-55.	154 seq.
— 5, 38.	74	— 15, 45.	334
— 8, 6. 12.	64	— 15, 47.	75
— 9, 1-9.	48	2 Cor. 1, 20.	354-356
— 10, 38.	332	— 1, 21.	292
— 13, 48.	141	— 2, 15.	84
— 14, 15. 16.	296	— 3, 5.	266
— 16, 14.	243	— 3, 8-9.	209
— 17, 30.	295 seq.	— 3, 17.	338
Rom.			
— 2, 8.	74	— 5, 1.	193
— 5, 19.	326 seq.	— 5, 1-2.	74
— 7, 14.	342	— 5, 17.	273
— 8, 1.	273	— 6, 7.	86
— 8, 2.	342	— 6, 14.	84
— 8, 27.	85	— 7, 9-11.	295
		2 Cor.	

Cap.	vers.	pag	Cap.	vers.	pag.
2 Cor.	8, 2.	69	Ebr.	1, 13. 14.	88
—	8, 4.	127	—	2, 9. 10.	302
—	8, 9.	90	—	3, 6.	275
—	9, 8.	85	—	3, 14.	ibid.
—	9, 11.	69	—	4, 12.	329
—	10, 5.	99	—	5, 8.	318
—	10, 12.	86	—	5, 9.	302
—	10, 12. - 17.	99 seq.	—	7, 25. 90. 298 seq.	
—	11, 8.	69. 72	—	10, 5.	323. seq.
—	12, 2.	273	—	10, 10.	326
—	13, 4.	333	—	10, 11.	88
Galat.	3, 2. 3. 5.	338	—	12, 3.	146
—	3, 23. 24.	222	—	12, 23.	302
—	4, 3.	328	Iac.	3, 15.	74
—	4, 9.	85	1 Petr.	1, 6.	137
—	4, 27.	84	—	1, 8.	212
—	6, 1.	73	—	2, 8.	141
—	6, 8.	150 seq.	—	3, 18.	333
Ephes.	1, 17.	339	—	4, 4.	64 seq.
Philipp.	1, 17.	137 seq.	—	5, 9.	390
—	2, 7.	313	2 Petr.	1, 4. 244. 278 seq.	
—	2, 8.	317	1 Joann.	1 et 2.	268 seq.
—	2, 16.	64 seq.	—	2, 1.	306 seq.
—	3, 2.	85	—	2, 14.	265
—	3, 12.	302	—	2, 16.	75. 364
—	3, 21.	195. 211	—	2, 20.-28.	291 seq.
Coloff.	1, 25.-29.	266	—	2, 23.	78
—	2, 8.	328	—	3, 12.	74
—	2, 8. 21. 22. 23. 228		—	3, 19.	ibid.
1 Theiss.	2, 3.	329	—	3, 24.	338
—	3, 3.	135	—	4, 3.	191
—	4, 15.	196	—	4, 4.	265 seq.
—	5, 8. 9.	141	—	4, 6.	175
—	5, 23.	329	—	5, 12.	78
2 Theiss.	2, 8.	333	3 Joann.	11.	75
1 Timoth.	2, 3.	344	Rud.	10, 19.	342
2 Timoth.	1, 7. 14.	281	Apocal.	3, 20.	280
Tit.	3, 5.	287	—	4, 11.	333
Ebr.	1, 13.	90	—	7, 3.	356

# INDEX

**LOCORVM E SCRIPTORIBVS GRAECIS  
LATINISQVE, QVI EXPLICANTVR, AVT  
OBITER TANGVNTVR.**

Aelianus.	Pag. 401
Dionysius Halicar.	— 65
Euripides.	— 65. 384. 409 seq.
Hesychius.	— 404
Homerus.	— 370
Lycurg. in Leocr.	— 84
Nicander.	— 403
Ovidius.	— 77
Pindarus.	— 385
Plutarchus.	— 402. 405. 407
Quintus Calaber.	— 372
Scholiaenes Homer. Lips.	— 397
Sophocles.	— 68. 85
Suetonius.	— 25
Synefius.	— 406
Theocritus.	— 403
Xenophon.	— 401









